





<36622485010016

PHILOSOPHIA SINICA
TRIBUS TRACTATIBUS,
Primo Cognitionem Primi Entis,
Secundo Ceremonias erga Defunctos,
Tertio Ethicam,
Juxta Sinarum mentem complectens,

AUTHORE
P. Francisco Noël Societ. JESU Missionario.

De speciali licentia
SS. D. N. D. CLEMENTIS PAPÆ XI.
ET
SUPERIORUM PERMISSU.



PRAGÆ,
Typis Universit: Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Soc. Jesu ad S. Clementem, per Joachimum Joannem Kamenicky Factorem, Anno 1711.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Um Philoſophiæ Sinicæ nomen huic libro præfixum intueris, Amice Lector, nè cogites velim curſum Philoſophicum, qualem moderni nunc Philoſophi tradunt. Rem, non artem loquor; materiam & ſcientiam, non formam & ordinem propono; Veterum more Philoſophiam appello. Hæc juxta illos nunc virtutis, mentíſque corrigendæ ſtudium; nunc rectæ rationis operatio ac vitæ lex; nunc rerum divinarum humanarúmque ſcientia; nunc habitus intellectûs ſapientiâ & prudentiâ conſtans, & hominis actiones gubernans nuncupatur. Unde duplex Philoſophia exurgit; altera ſpeculativa, quæ in perſcrutanda rerũ veritate ſuam exercet induſtriam; altera practica, quæ in dirigendo humanarum actionum ordine, certas leges præſcribit. Illius præſidio, quod verum eſt, attingimus; hujus ope, quod honeſtum eſt, aſſequimur. Iſtam igitur Philoſophiæ rationem in hoc opuſculo, quod in tres partes ſeu Tractatus diſtinxi, ſequor. In primo Tractatu, ſpeculationis veritatem; in ſecundo & tertio, operationis honeſtatẽ maximè ſpecto.

In primo de ſublimiſſima antiquorum Philoſophorum indagatione, de vera, inquam, primi Entis cognitione, ad quam penè tota Ariſtotelis Philoſophia

ultimò reducitur, singillatim edissero; & utrùm Sinæ veram primi Entis, primi Principii, primi rerum Effectoris aut Dei notitiam tum olim habuerint, tum hodiéque habeant, investigo; nec tantùm intrinsecas primi Entis perfectiones, & extrinsecas ejus operationes juxta Sinarum mentem discutio, sed etiam quid ipsi de Intelligentiis aut Spiritibus sentiant, perquiro.

In Secundo variæ Sinarum Ceremoniæ tam erga Parentes, quàm erga Benefactores defunctos adhibitæ & recensentur & perpenduntur, moralísque illarum honestas indagatur; sive inquiritur, utrùm isti parentales actus, qui sunt & satis singulares & plurimi, aliquam rectæ rationi dissonam, naturalíque lumini, quod Deus signavit super nos, adversantem deformitatem; an potiùs ingenitam & specialem debitæ gratitudinis æquitatem includant?

In tertio ea, quæ Sinæ circa rectam humanarũ actionũ tam privatarũ & domesticarũ, quàm publicarũ normam sparsim in suis libris sine ordine, & ex data occasione tradunt, documenta ac præcepta succinctè reduxi ad ordinem Aristotelicum; & ex iis brevem Ethicam Monasticam, Oeconomicam, Politicam efformavi.

Denique ut istarum rerum Sinensium dissertationes fierent Tibi, Amice Lector, clariores, notiores, iucundiores; historicam notitiam tum Rituum quos habent, tum Spirituum quos norunt Sinæ, ex ipsorum libris excerptam, ad finem operis judicavi annectendam.

Itaque

Itaque quemadmodum antiqui Philoſophi, ac maximè Platonici Philoſophiam diſtribuerunt in Rationalem, Naturalem, & Moralem; ſic Rationalem in primo Tractatu, Naturalem in ſecundo, Moralem in Tertio utcumque & quaſi expreſſam, aut ſaltem adumbratam invenies.

Quod attinet ad veram primi Entis notionem; non tibi mirum videatur, ſi illam Sinæ recentiores terminis paulò abſtractioribus aut obſcurioribus involvant; & plerumque generalibus Cæli, Naturæ, Rationis, & ejuſmodi nominibus Primum Principium exprimant; cùm iſtæ voces & locutiones antiquis Græciæ Philoſophis, differentibus de prima omnium rerum Cauſa, adeò fuerint familiares. Quid enim frequentius apud illos reperias, quàm iſtud nomen Λόγος, ſeu Ratio? quid uſitatius quàm natura? Unde ſi illa abſtracta nomina ad veram Dei eſſentiam indicandam non ſufficerent; neceſſe foret non tantùm Sinas, ſed etiam omnes illos veteres Philoſophos nigrâ Atheiſmi labe condemnare, adeóque aſſerere totum mundum, exceptâ Judæâ, parte exiguiſſimâ, ante Chriſti ortum per tot ſæcula, veri ſui Conditoris & Remuneratoris ignorantiâ laboraſſe; quod certè nec ſana ratio admittet, nec Divinæ providentiæ videtur conforme.

Deinde nec verba ambigua, obſcura, imò & penè adverſa, quæ quandoque in libris Sinicis reperiuntur, huic inſitæ veri Numinis cognitioni obſunt, cùm illa

notioribus & clarioribus satis alibi explicentur aut refellantur. Ecquos enim in orbe libros proferes, præsertim doctrinæ præcepta tradentes, in quibus subinde obscura & ambigua non reperias? imò in ipsis sacris codicibus, si soli verborum cortici inhærere volueris, quàm multa difficilia, & primo aspectu quasi pugnantia invenies? Hæc pauca, quæ possunt ad nostram rem facere, tantùm appono. Fides docet Deum esse unicum; & tamen Deus ipse Moysi dicit: *ecce constitui te Deum Pharaonis.* Exod. 7. 1. *Dii fortes terræ vehementer elavati sunt.* Psal. 46. 10. *Deus stetit in Synagoga Deorum; in medio autem Deos dijudicat.* Psal. 81. 1. *Deos vidi ascendentes de terra.* 1. Reg. 28. 13. Ex his non infers dari plures Deos. Pari modo spiritus Dei est bonus; & tamen dicitur: *Post diem alteram invasit spiritus Dei malus Saul.* 1. Reg. 18. 10. non datur in mundo vacuum, aut nihilum; & tamen dicitur: *extendit Aquilonom super vacuum, & appendit terram super nihilum.* Job. 26. 7. Cælorum concentus sunt somnia Pythagoræ: & tamen dicitur: *Quis enarrabit cælorũ rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Job. 38. 37. Non hinc arbitraris ista infinitæ Dei bonitati, veracitati, sapientiæ adversari. Præterea Angeli in libro Jobi dicuntur filii Dei. *Quadam autem die cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino.* Job. 1. 6. & tamen Gen. 6. 2. dicitur: *Videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, accceperunt sibi uxores ex omnibus*

nibus quas elegerant. Non inde tibi fingis Angelos matrimonio conjunctos, aut ista de Angelis intelligi. Quemadmodum igitur hujusmodi sacri textus nec veræ Dei, nec veræ Angelorum notitiæ repugnant; ita etiam ea, (sed exclusa prorsus quacumque similitudinis æqualitate) quæ in Sinarum libris obscura ac implexa interdum occurrunt, non debent veri Numinis, & Intelligentiarum secundarum aut Spirituum cognitioni adversari, dum ea in aliis locis clarè & nitidè exponuntur.

Pari modo in parentalibus Ritibus, etsi insolita externorum actuum pompa, & nonnulla interdum verba, vehementis aut doloris aut amoris expressiva, quasi videantur communem agendi honestatem excedere; non ideò tamen confestim existima aliquid indebiti cultûs aut superstitionis in iis latere. Non vana rerum Species, sed actuum externorum scopus ac loquentis mens attendenda est; imò plerumque in ipsis sacris paginis nec ex sola exteriori specie, nec ex nudis verbis potes sententiam ferre, vel certè erroneam non rarò feres: v. gr. dum S. Scriptura ait: *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam Justi constitue.* Job. 4. 18. *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumposita sepulchro.* Eccli. 30. 18. An fortè dices escas ad sepulchrum apponi, ut homines defuncti comedant? dum ait: *incenso jecore piscis, fugabitur dæmonium.* Tob. 6. 19. An tibi finges in hoc superstitionem? dum ait: *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua u-*

triusq;

triusque conditio .... nihil habet homo jumento amplius. Eccle. 3. 19. *Mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Eccle. 9. 5. An hinc inferes hominum animas mori? Dum ait: *homines & jumenta salvabis, Domine.* Psal. 35. 7. *Ego dispono vobis .... ut edatis & bibatis super mensam in regno meo.* Luc: 22. 30. Credésne forsan bruta cum hominibus in cælo beari; & homines in cælo comedere & bibere? Hæc autem ideò tantùm affero, ut non velis in libris Sinicis exigere raram illam claritatem, quæ nulla prorsus explicatione aut interpretatione indigeat, cùm eam nec in aliis requiras, nec invenias.

Deinde quando asseritur in S. Scriptura Rex Salomon fuisse sapientior omnibus qui illum præcesserunt & subsecuturi sunt, numquid si cum Adamo, Prophetis, Apostolis, B. Virgine, Christo conferatur, istud sua explicatione indiget? Quando igitur Sinæ adeò multis, & nimiis fortasse laudibus suum Magistrum Confucium extollunt, agnosce etiam ista laudum præconia intra suæ limitationis terminos esse omninò coarctanda; & sicut sacri Interpretes hæc de Rege Assuero dicta: *Rex verò Assuerus omnem terram, & cunctas maris Insulas fecit tributarias*; Esther. 10. 1. ad veritatis declarationem certis limitibus circumscribunt; ita etiam Sinæ suorum verborum auxeses ad limitata tantùm justæ moderationis spatia nôrunt extendere.

Quare ut libri Sinici, quibus hæc tota Philosophia niti-

nititur, ritè possint intelligi, spectandus est totus illorum scopus ac verus sententiarum sensus, non sola quædam disjuncta & avulsa verba; uti ipsemet Doctor Sinicus Memcius lib. 2 cap. 3. sic ait: *Prudens libri Carminum interpres non debet abuti nudis verbis ad nocendum sententiis; nec nudis sententiis ad nocendum sententiarum sensui.* Idcircò non tantùm ea, quæ pro hujus Philosophiæ veritate faciunt; sed etiam multa, quæ ipsi videntur adversari, diligenter attuli; & plures fortasse difficultates mihi objeci, quàm quivis Adversarius objicere potuisset; sed objectas etiam dissolvere curavi; & rationibus quidem ex ipso librorum Sinensium fonte desumptis, ut sic non possint liberæ proprii intellectûs inventioni, aut opinantis mentis arbitrio adscribi. Et quamvis singulæ difficultatum solutiones seorsim sumptæ non semper intellectum convincant, quod in omni alia re vix exigi aut sperari potest; collectim tamen acceptæ non videntur ullum prudenti judicio posse relinquere ambigendi, aut in contrariam partem abeundi locum. Nec ipsi libri Sinenses, quos assiduè cito, possunt ingerere suspicionem favendi uni sententiæ aut opinioni potiùs, quàm alteri; vel enim conscripti fuerunt, uti penè omnes quos adduco, ante exortas de Philosophiæ Sinensis rebus contentiones, vel post illarum exortum; illos prioris temporis conditio, hæc Authorum suorum fama ab ista suspicione absolvit. Horum siquidem Authores sive Christianos, sive Ethnicos voluisse

 isse

isse suum nomen ignorantiæ opprobrio, & Litteratorum risui exponere, numquam, ut arbitror, vir prudens sibi persuadebit. Denique hæc pauca sequentia, rursus te præmonitum volo:

Primò, animadverte me in toto hoc opere semper loqui juxta mentem Sinarum litteratorum, qui veram sui regni doctrinam, dictam *Ju Kiao*, profitentur; nam de iis, qui pravas Idololatrarum *Lao* aut *Fœ* Sectas ac falsa dogmata fabulásque sequuntur, non est hîc quæstio.

Secundò, omnes penè libri, quorum testimonia aut textus in decursu profero, è China in Europam allati sunt, & Romæ asservantur, ut si quandoque opus foret originalia illorum loca inspicere, in promptu haberi possint.


Tertiò, ad significandas parentales hominum Defunctorum Ceremonias, quas Sinæ vocant *cy*, consultò abstinui à latina voce *oblationes*, & usus sum indifferenti & generali voce *Ceremonia cy*; quia cùm *oblationes* juxta Calepinum & alios Authores propriè dicantur, quæ Diis offerebantur, nec Defuncti homines apud Sinas litteratos pro Diis habeantur; ideò ad evitandam vel in ipsa vocis significatione omnem superstitionis speciem, ab illa abstinui; quamvis per se ista vox *Oblatio*, uti omnibus liquet, sive ad sacrum, sive ad profanum donum significandum usurpari possit.

Quartò, ut te levarem labore ac fastidio legendi tot allatos librorum textus, quibus tota hæc Philoso-
phia

phia Sinica innititur, ſuccinctum eorum ſenſum aut compendium in cujuſvis Quæſtionis, Sectionis, ac Paragraphi contextu ſemper inſerui, & ad calcem fusè illos, prout in libris Sinicis jacent, appoſui; & utrobique eumdem litterarum Alphabeti ordinem ſibi invicem reſpondentem ſervavi; ut, dum volueris vel ſolum textûs ſenſum ac compendium, vel totum dumtaxat textum, vel utrumque ſimul legere, ſtatim poſſis tuis votis ſatisfacere.

Quintò, quamvis Sinæ careant vino ex vite confecto; ad ſignificandum tamen potum illum, quem ex orizâ & aliis rebus conficiunt, adhibentque in ſuis Ritibus & uſu quotidiano, ſemper uſurpo vocem *vinum*, propter quamdam modicam cum vino ex vite confecto ſimilitudinem.

Atque hæc ſunt quæ ad clariorem rerum dicendarum intelligentiam tibi, Lector, præmittenda judicavi. Si quid poſteà in ratiocinationibus erratum inveneris, emenda; ſi quid in verſionibus, bene linguæ & librorum Sinenſium peritus reſtaura. Fruere labore non modico, & Vale.






INDEX
Tractatûs Primi
De cognitione primi Entis, seu DEI apud Sinas.

CAPUT I.

AN Sinæ antiqui habuerint aliquam Dei, seu primi Entis cognitionem, nec fuerint Athei ?

CA-



IN-

INDEX
Tractatûs Secundi
De Ceremoniis Sinarum erga Defunctos.

(c) §. SE-



IN-

INDEX
Tractatûs Tertii,
De Ethica Sinensi.

TRA-

TRACTATUS I.

De Cognitione primi Entis, seu Dei apud Sinas.

CAPUT I.

An Sinæ antiqui habuerint aliquam Dei, seu primi Entis cognitionem, nec fuerint Athei?

UT possimus scire an prisci Sinæ habuerint aliquam primi Entis, seu Dei cognitionem, debemus illorum libros, qui hucusque extant, consulere; illorum enim libri sunt illorũ cognitiones, imò & volitiones scriptæ; quódq; isti libri nunc asserunt, est id, quod isti Sinæ olim cognoverunt, & senserunt. jam verò ad hoc primum Ens exprimendum, ac significandum, solent isti libri adhibere vocem *Tien*, id est *Cœlum*, & vocem *Xam Ti*, id est *cœli Dominum*, vel *cœli Rectorem*; sed est controversia an illa vox *Tien*, vel *Xam Ti*, verè significet primum Ens, primum omnium rerum Principium, seu verum Deum? Discutiendæ sunt ergo illarum vocum *Tien* & *Xam Ti* significationes.

QUÆSTIO I.

Quot modis vox *Tien*, seu Cœlum accipiatur juxta antiquos libros Sinenses?

REspondeo tot ferè modis accipi, quot apud Latinos. 1. enim accipitur pro Cœlo aëreo (A) 2. pro Cœlo stellato. (B) 3. pro Cœlo animarũ post mortem (C) 4. pro Cœlesti Providentia (D) 5. pro Cœli agendi ratione. (E) 6. pro ipso cœli Domino, & Rectore, Sinice *Xam Ti*; de quo est maximè quæstio ac controversia. (F) Hanc ut elucidemus, debemus videre quamnam potestatem, quasnam virtutes, quasnam perfectiones isti libri Sinenses attribuant Cœlo, seu cœli Domino, ac Rectori; & an sint eædem quæ ipsi vero Deo attribuuntur. Cùm autem promiscue istis duabus vocibus *Tien* seu Cœlo, & *Xam Ti*, seu *cœli Domino*, ac *Rectore* utantur; ideo perfectiones, quas & Cœlo, & cœli Domino attribuunt, conjunctim apponam, ità tamen ut dum ponam vocem *Cœlum* intelligatur in textu esse vox *Tien*, & dum ponam vocem *cœli Dominus*, vel *cœli Rector*, intelligatur in textu esse vox *Xam Ti*, vel *Ti*; *Ti* enim, & *Xam Ti* pro eodem sæpe sumuntur.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Annalium imperialium Sinicè *Xu Kim* tom. 4. cap. *Tay Xi* sic: Cœlum ad populos juvandos constituit illis Reges ac Magistros; sed hi Reges ac Magistri seu Doctores possunt tantùm cœli Domino cooperari ac consociari ad amandos & pacandos totius imperii populos.

B. 2. Lib. Annal. imperial. tom. 5. cap. *Chao Kao* sic: magni cœli supremus Dominus, vel magnum Cœlum supremus Dominus Sinicè *Hoam Tien Xam Ti* imperiorum successores immutat.

C. 3. Lib. Annal. imperial. tom. 4. cap: *Ta Kao*: quæ ego facio, inquit Princeps *Chim uam*, sunt ea, quæ Cœlum imperat.

D. Illud certè rem grandem & arduam mihi imposuit, meæque curæ commisit. - Vide etiam hîc infrà, num. 5. litterâ E; & num. 12. litterâ M.

E. 4. Lib. Annal. imperial. tom. 3. cap. *Tay Kia* sic: Imperator tuus prædecessor lucidam illam Cœli legem semper ante oculos habebat.

E. 5. Lib. Immutabile Medium Sinicè *chum yum* artic. 1. sic: cæli lex est ratio naturæ infusa.

E. 6. Lib. carminum tom. *Ta ya* odâ *ta mim* sic: quamvis præclara virtus adsit deorsum; terribile tamen sursum existit imperium. hinc difficile Cælo confidere.

F. 7. Lib. Annal. imperial. tom. 4. cap. *tay xi* sic Princeps *uu uam* suos Proceres alloquitur: coacervata illius Familiæ imperialis (nempe *Xam*) scelera mensuram suam impleverunt; Cœlum jubet eam plecti; si ego Cœlo non obtemperavero, hoc meum peccatum illius peccato par erit. hinc ego quotidie timore ac reverentiâ plenus petii facultatem à defuncto patre meo *ven*; deinde litavi cœli Domino, ac terræ spiritui, ut vobis omnibus comitibus & adjutoribus Cœli pœnas tandem exigerem. Cælum est in populos liberale ac misericors; si quid ab ipso populi expe-
G. tunt, id illis concedit. Vos igitur me unũ quasi adjuvate ad expurgandũ in æternum totum illud imperium. Hoc tempus non est perdendum.

H. 8. Lib. Annal. imperial. tom. 4. cap. *Kin tem* sic: tunc princeps *uu uam* in cœli Rectoris aula excepit imperium, suæque virtutis jubar ad omnes juvandos imperii populos longè latéque diffudit.

I. 9. Lib. Rituum Sinicè *Li Ki* tom. 9. cap. 32. *Piao Ki*: Imperator, inquit Confucius, à Cœlo jussum capessit, & vir litteratus ab Imperatore. Idcircò si Imperator jussui obtemperet, vir litteratus etiam jussui obtem-

pe-

perat; si autem Imperator jussui non obtemperet, nec vir litteratus etiam obtemperat.

K. 10. Lib. Rituum, tom. 9. cap. 27. *ngai Kum uen* sic: vir pius inservit parenti, sicut inservit Cælo; & inservit Cælo sicut inservit parenti.

L. 11. Lib. Annal. imperial. tom. 4. cap. *Tay Xi* sic: Cælum amat populos: Regum est Cælo obtemperare.

M. 12. Lib. Annal. imperial. tom. 4. cap. *Tay Xi*, Princeps *uu uam* invasurus Imperatorem *Cheu* sic suos in comitiis generalibus alloquitur: nunc verò iste Imperator *Xeu* (alio nomine *Chen*) excelsum Cælum non colit, & innumera populo mala accersit; ebriosus, libidinosus, crudelis. Pro uno reo totam familiam punit; filiis propter parentes dignitates confert; ad exstruenda sibi effusa palatiorum, aularum pensilium, stagnorum oblectamenta, vestras omnes vires, ac opes exhaurit; diro tormenti genere bonos ac fidos viros torret; prægnantium ventres dissecat. Hinc magnum illud Cælum terribili irâ percitum jussit defunctum patrem meum *Ven Vam* summa cum reverentia, suæ læsæ Majestatis authoritatem assumere ad expellendam Tyrannidem; sed grande opus ante mortem nequiit totum absolvere. Quocirca ego puer parvulus *Fa*, nunc in vobis omnibus imperii Proceribus & adjutoribus video pristinum imperialis Familiæ *Xam* regimen prorsus decidisse; nec tamen ille *Xeu* adhuc resipiscit; sed otiosâ pigritiâ & immodestâ vitâ squallens domi agit; non servit cæli Domino, aliisque cæli ac terræ spiritibus; non facit solitas suis Majoribus defunctis oblationes in parentali eorum aula, &c. Vide etiam hic suprà, num. 7. litterâ F.

N. 13. Lib. Sententiarum artic. 3. sic: si in Cælum peccaveris, non est ad quem confugias deprecaturus pœnæ effugium.

O. 14. Lib. Annalium Imperialium tom. 4. cap. *Tay Xi* sic: si quis ergo, ait Princeps *uu uam*, sive nocens sive innocens inveniatur, quî sanè ego ausim illius (id est Cæli) voluntatem transilire?

O. 15. Lib. Rit. tom. 9 cap. 32. *Piao Ki*. Olim, inquit Confucius, tria prima Imperia, (scilicet *Hia*, *Xam*, *Cheu*) in inserviendo *Tien Ti Chi Xin Mim* cæli, ac terræ intelligenti spiritui, semper sortibus usa sunt; non enim audebant suâ particulari determinatione, & electione vilipendere cœli Domini servitium, ac cultum. Vide ibi de his sortibus sententias non fat inter se cohærentes.

P. 16. Lib. Rit. tom. 3. cap. 6. *Yue Lim*. Hoc mense Imperator jubet

hunt originem, homines à suis Avis; idcircò hi cum cœli Domino conferuntur. Illud ergo litamen quod Cælo fit, est id quo maximæ grates omnium rerum Principio persolvuntur, ipsúmque corde recolitur.

B. 2. Lib. mutat. ac product. symbolo *Kien*: proh! quam magna est illa Cœli agentis virtus! omnes res, ut esse incipiant, eâ nituntur, illa autem totum Cœlum comprehendit, seu omnes alias cœli virtutes in se complectitur.

C. 3. Lib. mutat: ac product: parte *Xam Chuen* art: 1. activa Cœli virtus novit, ac regit magna rerum initia, & obsequens terræ virtus eas perficit.

D. 4. Lib. mutat. ac product. parte *Xue qua* art. 5. cœli Dominus, ac Rector jubendo exivit seu cœpit exire in actum à symbolo ænigmatico *Chin*, repræsentante æquinoctialem mundi plagam. & paulò infrà: omnes mundi res ex illo symbolo *Chin* emanant. Vox illa Sinica *Chin* significat subitum ac magnum motum.

E. 5. Lib. Carm. tom. *Ta ya* odâ *Chim min*: in omnibus istis hominibus, quos Cœlum producit, invenitur materia & forma; cúmque hanc omnes homines communem naturam accipiant, ideo omnes naturaliter virtutis pulchritudinem diligunt.

F. 6. Lib. Annal. Imper. tom. 3. cap. *Tam Kao*. Maximus ille cœli Dominus infundit homini internam naturæ rationalis rectitudinem.

G. 7. Lib. Annal. Imper. tom. 4. cap: *zu zay*. postquam maximum Cœlum in China populos dedit, postea sub primis Imperatoribus limites illi adscripsit.

H. 8. Lib. Annal. Imper. tom. 3. cap. *Chum hoei chi Kao*: quia Cœlum producit homines desideriis, & passionibus plenos; ideo si Duce, Rectore, ac Domino careant, statim tumultuantur; ast Cœlum producit viros intelligentes, ut illos regant.

I. 9. Lib. mutat. ac product. symbolo *uu vam*: Si Cœli providentia non adjuvet, qui sanè fieri quidpiam possit.

K. 10. Lib. mutat:. ac product. parte *Xam Chuen* art. 12. Si quæris, inquit Confucius, quem Cœlum adjuvet? est vir obtemperans; quem homines adjuvent? est vir verax seu rectus.

K. 11. Lib. mutat. ac product. symb. *Ta yeu*: summa virtus, seu summâ virtute Princeps à Cœlo adjuvatur, nihilque ei nō bene ac faustè accidit.

L. 12. Lib. Carm. tom. *Ta ya* odâ *yun han*: vastissimi cœli Dominus, ac Rector neminem ex nobis residuum sinit. & paulò post: Va-

vastissimi cœli Domine ac Rector, eccur non finis nos procul aufugere?

M. 13. Lib. Carm. tom: *Ta ya* odâ *Chen niam*: nihil prorsus est, quod vastissimú, & excelsissimum Cœlum impedire non possit; noli igitur tuos Avos degener probro afficere; quin & vel sic poteris tuæ posteritati consulere.

N. 14. Lib. Carm. tom. *Lu tsum* odâ *Pi Kum*: cùm factum fuisset, ut Cœlum in campo *mo ye* penitùs tandem Imperatorē *Cheu* abjecisset; tunc omnes, nè dubites, dixerunt; omnem sollicitudinem exue; cœli Dominus, ac Rector ad te appellit, sive manifestè vult ut imperes.

O. Ibid. paulò infrà: magnam longæ vitæ felicitatem ad Regni *Lu* conservationem nostro principi Cœlum conferat, recuperatisque nostrorum familiæ *Cheu* Principum terris, ei det feliciter in oppidis *Cham* & *Hiu* habitare.

P. 15. Lib. Rit. tom. 3. c. 6. *Yue Lim*: hujus verni mensis 1. die dicto *Sin*, Imperator orat cœli Dominum, ac Rectorem pro frugibus.

Q. 16. Lib. Annal. Imper. tom. 4. cap. *hum fan*: illud autem Cœlum occultâ virtute populos stabilit; illósque ad simul cohabitandum adjuvat, ac colligit.

R. 17. Mencius l. 2. cap. 3. *uan Cham xam*. Dum fit aliquid, quod nullæ hominum vires efficiunt, hujus auctor, ac causa est Cœlum.

S. 18. Lib. Immut. med. art. 30. videmus quotidie innumeras diversi generis res unà in terra produci, nec tamen illas sibi mutuò adversari. videmus quatuor anni tempestates, solem, lunam, unà in Cœlo volvi, nec tamen illa sibi mutuò opponi. Id nimirum fit; quia inest quædam virtus tum particularis, quæ in singulas res diversimodè sese diffundit, tum universalis, quæ ad omnes res producendas vastè sese extendit.

Paragraphus III.

De Scientia *Tien*, aut *Xam Ti* juxta antiquos authores.

Cùm Scientia Dei & Potentia sint attributa conjuncta, nihilque agat Potentia ad quod Scientia non se extendat; si *Tien* ac *Xam Ti* Potentia, sive Cœli, aut cœli Domini Potentia sit eadem cum Dei potentia, ut in præcedenti § vidimus, inde possumus colligere, atque inferre, quænam, & quanta sit ejusdem scientia. Videamus tamen quid particulatim Sinæ authores dicant de eo. cœli Dominus, inquiunt, hæc infima respiciens tremendam majestatem tenet, & in respiciendis quatuor mundi

seu Imperii partibus, quærit quietam populorum sedem (A); lustravit omnia Imperii Regna (B); Principis *Vam Ki* animum consideravit, ac direxit (C); Cœlum clarissimè omnia perlustrat, & quamvis altissimum, ad nostras tamen res, ac gesta, seu descendendo, seu ascendendo & usq; & usq; appellit, quotidiéque huc respicit (D); numquid Cœlum, inquit Confucius, me cognoscit? (E); vult né ille, ut ego Cœlum fallam? ut illi imponam (F)? Itaque si hæc pauca cum Dei scientia, sive visionis, sive simplicis intelligentiæ sive approbationis singillatim conferas, nonne unum & idem esse dices? jam verò cùm per hanc scientiam Dei voluntas in suâ operatione dirigatur, voluntatem etiam Cœli seu Cœli Rectoris, ac Domini videamus.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Carm. tom. *Ta ya* odâ *hoam y*: Maximus ille cœli Dominus, ac Rector, hæc infima respiciens tremendam Majestatem tenet; & in respiciendis quatuor mundi seu Imperii partibus, quietam populorum sedem, ac pacem quærit. Cùm autem duo illa Regna familiæ *hia* & *Xam* rectam regendi formam amisissent, quærens lustravit omnia ista Imperii Regna; siquidem cœli Rector adeptus quem optat, mox ejus ditionis, ac Regiminis normam promovet. Tunc igitur in partem occidentalem propenso animo respiciens, hanc ad habitandum nostro Principi *Tay vam* dedit. Ibidem paulò infrà: cœli Dominus, ac Rector in hunc locum Principem nostrum *Tay vam* clarâ virtute præstantem transtulit, dedítque illi uxorem parem.

B. Ibid. paulò infrà: cœli Dominus, ac Rector lustravit illum montis *Ki* locum, & ex eo Regnum erexit, constituitque, qui posset illud ritè gubernare.

C. Rursus paulò infrà ibidem: cœli Dominus, ac Rector Principis *Vam Ki* animum consideravit, ac direxit.

D. 2. Lib. Carm. tom. *Cheu Tsum*, odâ *Kim chi*: reverentiam, reverentiam, inquam, attende: Cœlum clarissimè omnia perlustrat; ejus Imperium, ac Providentiæ favor non est conservatu facilis. Vide ne dicas: altum est, altum est, illic sursum positum; enimverò ad has nostras res, ac gesta, sive descendendo, sive ascendendo & usque, & usque appellit; quotidiéque huc respicit.

E. 3. Lib. Sentent. artic. 14. Cœlo, inquit Confucius, non irascor; de hominibus non conqueror; per rerum inferiorum studium penetro ad superi-

periorum intelligentiam; numquid igitur illud est Cœlum, quod me cognoscit ?

F. 4. Lib. Sentent, art. 9. ecquem, ait Confujus, vult ille, ut fallam? vúltne, ut Cœlum fallam? ut Cœlo imponam ?

Paragraphus IV.

De Voluntate *Tien* ac *Xam Ti* juxta antiquos authores.

NOn ago de voluntate Dei necessària, quâ Deus se ipsum amat, aut quâ sibi ipsi in suo infinito bono complacet; sed de voluntate ejus libera, tum effectiva, tum executiva, adeóque de amore, quo fertur erga rerum creatarum bonitatem seu moralem, seu physicam; & de odio, quo prosequitur earum malitiam moralem. Jam verò illi libri agendo de Cœlo, cœlíve Domino, sic dicunt: Non Imperator *Yao*, sed Cœlum dedit Imperium Principi *Xun* possidendum (A); Potest quidem Cœlo aliquis proponi, ut ei det Imperium; sed non potest Cœlum cogi ut ei det; uti Imperator non potest à Regulo cogi, ut det alicui Regnum (B); Quia Imperator *Kie* virtutem temnebat, spiritus offendebat, populos vexabat, ideò Cœlum throno eum deturbavit, & verissimâ virtute præditum Principem *Tam* illi substituit. (C); cúmque jussit omnium istorum Regnorum limites componere, ac dirigere (D); Hic Princeps *Tam*, uti & Minister ejus *In*, potuit suâ virtute cor Cœli sibi devincire (E); Olim iste Imperator *Kie* Cœlo non obtemperabat, suísque sceleribus totum Imperium implebat; hinc Cœlum adjuvans Principem *Tam* jussit ejus Imperium deturbare (F); aliquem autem Principem à paterni Imperii successione non rejicit, nisi sit huic *Kie* aut *Cheu* similis (G); Omnes se vino ingurgitabant, fœtidúsque eorum vitiorum odor ad excelsa usque pertingebat. Idcircò Cœlum destruxit familiæ *In* Imperium, istiusq; familiæ *In* gentē propter suas effrœnes libidines non amabat. Cœlum non est crudele; sed illa gens hoc malum suâ culpâ ultrò sibi acceleravit (H); Cœlum non semper omnes amat, sed qui ipsum colunt, hos amat (I); Princeps *Tam* cœpit in perfectionis studio ità quotidie crescere, ut ingenti splendore ejus virtus ad Cœlum usque pertingeret; cœli Dominus, ac Rector erat unicum ejus reverentiæ objectum; hinc cœli Dominus jussit eum Chinam gubernare ac componere. (K); Cœlum amat populos (L); jubet eos qui & rerum cognitione, & consideratâ vivendi ratione aliis antecellunt, intelligentiam, & sensum instillare iis, qui sunt hac in re posteriores. (M); Principissæ N. virtus erat

rectissima, hinc cœli Dominus eam protexit (N). Omnes isti populi miseriis obruti aspiciunt Cælum quasi somnians nihil discerneret; sed Maximus extat cœli Dominus; quisnam sanè est, qui dicat, quòd aliquem odio habeat? (O); eheu! reconditum Cœlum in hanc infimam terram effundit tremendam iram suam; hinc publica Regiminis Consilia prava, & malesana (P); si quid, ait Confucius, hâc in re egi, quod æquitas non postulabat; me Cœlum respuat, me, inquam, Cœlum respuat (Q). Quid sinè clariùs de ipsa multiformi Dei voluntate dici potest? quid distinctius? annon omnia ista verè Dei voluntati congruunt? Sed nunc de Justitia, quæ est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.

Textus Librorum.

A. 1. Memcius L. 2. cap. 3. *uan Cham Xam*, Discipulus *Van Cham* sic suum Magistrum Memcium interrogat: videor sæpiùs audisse Imperatorem *Yao* Ministro suo *Xun* dedisse Imperium; itá ne est? minimè reponit Memcius; Imperator non potest alteri dare Imperium. Princeps *Xun*, subjicit *Van cham*, cùm Imperium habuerit, ecquis igitur illud ei dedit? Cœlum, reponit Memcius. Sed Cœlum, opponit ille, in ista donatione cùmne distinctis verbis jussit esse Imperatorem? minimè, inquit Memcius; Cœlum enim non loquitur, sed per eximias virtutes, ac præclara gesta, quibus Princeps *Xun* fulgebat, dumtaxat id indicavit. quî hoc, subjungit *Van Cham*? cui Memcium: Imperator dum videt aliquem Imperio aptum, potest quidem Cœlo illum proponere, ut Imperator fiat; sed non potest Cœlum cogere, ut illi Imperium conferat; quemadmodum Regulus, dum videt aliquem Regno aptum, potest quidem Imperatori illum proponere, ut Regulus fiat; sed non potest Imperatorem

B. cogere, ut illi Regnum conferat &c. Olim Imperator *Yao* Principem *Xun* ad Imperatoris dignitatem Cœlo proposuit; Cœlum propositum admisit; admissum Imperii populis longè, latéque perspicuum fecit; perspicuum effectum Imperii populi admiserunt ac receperunt.

C. 2. Lib. Annal. Imper. tom. 3. cap. *bien yeu je te*: Imperator *Kie* virtutem pessumdabat, Spiritus temnebat, populos vexabat; hinc Maximum Cœlum, (nempe Rex cœli) thronum illi non conservavit, sed respiciens in omnes partes, excitavit, qui Imperium exciperet; cum-

cúmque propensè quæreret virum verâ virtute prædítum, ad eum jubendum sive constituendum spirituum Dominum, (nempe litaminum Præsidem); Unus ille Minister *In*,& Princeps *Tam* verissimâ virtute præditus potuit Cœli cor sibi devincire.

D. 3. Lib. Carm. tom. *Xam Tsum* odâ *hiuen niao*: Olim cœli Dominus jussit bellicosum Principem *Tam* omnium istorum Regnorum limites componere, ac dirigere.

E. 4. Vide hic suprà num. 2. lit. G.

F. 5. Lib. Annal. Imper. tom. 4. cap. *tay Xi* : Cœlum amat populos: Regum est Cœlo obtemperare & obsecundare. Olim Imperator *Kie* Cœlo non obtemperabat; omnia sibi subdita Regna suis sceleribus inficiebat. Tunc Cœlum adjuvans Principem *Chim Tam* jussit ejus Imperium deturbare.

G. 6. Memcius Lib. 2. cap. 5. *uan cham Xam* sic : ut aliquem Principem à paterni Imperii hæreditate Cœlum rejiciat, opus est ut sit similis illis Imperatoribus *Kie* & *Cheu*.

H. 7. Lib. Annal. Imper. tom. 4. cap. *Tsieu Kao* : omnes vino se ingurgitabant,fœtidúsq; eorum vitiorum odor &c.ut suprà in contextu.

I. 8. Lib. Annal. imperial. tom. 5. cap. *Tay Kia* : Cœlum non semper omnes amat; sed qui ipsum colunt, hos amat.

K. 9. Lib. Carm. tom. *Xam Tsum.* odâ *cham fa*: tunc Imperatores familiæ *hia* nondum cœli Domini Imperium abjecerant; cùm autem ventum esset ad Principem *Tam*, hic opportuno natus tempore, cœpit in perfectionis studio ità quotidie crescere, ut ingenti splendore ejus virtus ad Cœlum usque pertingeret, idque diuturno tempore sinè intermissione continuavit. cœli Dominus, ac Rector erat unicum ejus reverentiæ objectum; hinc cœli Dominus jussit eum totas novem provincias (sive totam Chinam, quæ tunc sic divisa erat) gubernare ac componere.

L. 10. Vide hîc suprà num. 5. lit. F.

M. 11. Memc. Lib. 2. cap. 5. *uan cham xam* sic : Cœlum ex omnibus istis hominibus, quos producit, eos qui rerum cognitione aliis præcellunt,jubet instillare intelligentiam iis,qui rerum cognitione sunt posteriores; & eos qui consideratâ vivendi normâ alios antecedunt,jubet indere animi sensũ iis,qui rectè vivendi consideratione sunt posteriores.

N. 12. Lib. Carm. tom. *lu Tsum.* odâ *pi Kum*: illius Principissæ virtus erat rectissima; hinc cœli Dominus eam protexit.

Q. 13. Lib. Carm. tom. *Siao ya* odâ *chim yue* : en omnes isti populi miseriis obruti, omnibusque periculis expositi aspiciunt Cœlum quasi somnians nihil discerneret; verùm adveniente tempore ut exequatur, quod destinavit, nemo est, quem non vincat. Maximus sanè extat cœli Rector Sinicè *yeu hoam xam ti*! quisnam certè est ille qui dicat quòd odio aliquem habeat?

P. 14. Lib. Carm. tom. *Syao ya*. odâ *Siao Mim*: Eheu! reconditum Cœlum, &c. ut suprà in contextu.

Q. 15. Lib. Sentent. art. 6. Confucius interposito juramento sic: si ego, inquit, hac in re (agit de Reguli uxore dicta *Nam Tsu*, quam inviserat) quidpiam egi, quod honestas, æquitas, ac ratio non postulabat, me Cœlum respuat; me, inquam, Cœlum respuat.

Paragraphus V.

De Justitia *Tien*, ac *Xam Ti* juxta antiquos authores.

JUstitia Dei distributiva juxta D. Thomam, vel potius Superjustistitia, est, quæ dat omnibus secundùm dignitatem, nimirum bonis præmium, malis pœnam. Deinde cùm ejus misericordia sit justitiæ plenitudo, illam etiam hìc attingemus. Nunc de utraque quid dicant illi libri antiqui, videamus. Simul atque, inquiunt, posteriores familiæ *hia* Imperatores præclara Majorum exempla ac virtutes abjecerunt, tunc Cœlum variis calamitatibus immissis usum est Principis *Tam* manu ad transferendum illi Imperium (A); nec iniquè hoc illi transtulit, utpote virtutis tantùm adjutor. ad immittenda enim bona vel mala tantùm virtutis veritatem vel falsitatem spectat (B); Ipse Imperator *Kie* (nempe ultimus familiæ *hia*) est multum nocens; Cœlum jubet eum plecti; ego, inquit Princeps *Tam*, cœli Dominum vereor; non ausim illum non punire (C); Iste Imperator *Kie* sceleribus scatens, fictè, ac fraudulenter excelso Cœlo abutebatur ad Imperandum populis; sed cœli Dominus ejus sceleribus usus, elegit familiam *Xam*, ex qua Princeps *Tam*, ad accipiendum Imperium (D); Recta Cœli agendi via bonos beans, & malos affligens varia familiæ *hia* mala immittebat ad patefacienda ejus scelera; idcirco ego, inquit Princeps *Tam*, jubentis cœli Majestati luculenter iratæ obsequens, non ausus sum illi parcere (E); qui inter vos, pergit idem, virtute & sapientiâ pollent, ego non ausim illos non perspectos facere; & ego si peccaverim, non au-

ausim mihi ipse ignoscere ; hoc enim dumtaxat specto , quod spectat ac sanxit cœli Domini cor (F) ; Deinde de sequenti familia Imperiali *In* seu *Xam* sic : omnes vino se ingurgitabant , fœtidúsque eorum vitiorum odor ad excelsum usque pertingebat ; idcircò Cœlum destruxit familiæ *In* Imperium, illiusque familiæ *In* gentem propter suas effrœnes libidines non amabat. Cœlum non est crudele ; sed illa gens suâ culpâ ultrò hoc sibi malum accersiit (G) ; cœli Dominus Imperatorem istum *Cheu* (nempe ultimum familiæ *In*) crudeliter Regnantem punit (H) ; Illi populi regionis *Miao* vel pecuniâ , vel authoritate justitiam corrumpebant, innocentésque opprimebant ; hinc cœli Dominus absque errore illis pœnam intulit, quam effugere non valentes prorsùs perierunt (I) ; cœli Dominus non semper servat eundem agendi modum, bene agentibus innumera bona , malè agentibus innumera mala immittit (K) ; benè agentes præmiis, malè agentes pœnis Cœlum afficit, ajebat Confucius (L) ; pœna tibi semper metum injiciat ; non iniquè illam Cœlum infert ; sed homines sibi ultrò illam accersunt (M) ; heu ! ego solus in miseriis ? ecquam ergo causam Cœlo dedi ? ecquod meum peccatum ? (N) ; ô Cœlum ! diceris hominum pater ac mater, seu parens ; & tamen sic ego sine crimine horrendis calumniis obruor ? ô rigida cœli Majestas ! (O) ; Cœlum in populos est misericors & illos amat (P) ; Pluribus supersedeo ; hæc enim videntur satis manifestè veram Dei justitiam & misericordiam generatim indicare ; nec certè scio , utrùm aliquid expressius ipsi libri Christiani vix possint dicere. Sed nunc videamus quænam vita *Tien* , ac *Xam Ti* , seu Cœlo , cœlive Domino competat ? adeóque non esse quid mortuum.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Annalium imperialium tom. 5. cap. *y hiun* : simul atque posterioris familiæ *In* Imperatores, &c. ut suprà in contextu.

B. 2. Lib. Annalium Imperialium tom. 5. cap. *hien yuě ye te* : Cœlum non iniquè nostro Principi *Tam* contulit Imperium ; Cœlum enim tantum juvat eum qui purissimâ virtute excellit : & paulò post: Cœlum ad immittenda vel bona , vel mala , unicè spectat , an adsit virtus vel pura, vel mixta, seu falsa.

C. 3. Lib. Annal. imperial. tom. 3. cap. *Tam Xi* : Iste Imperator *Kie* (ultimus è familiâ *Hia*) est multum nocens ; Cœlum jubet eum plecti.

cti. deinde paulò infrà: ego, inquit Princeps *Tam*, audivi vestras omnium querelas: ille Imperator *Kie* magnopere est nocens; ego cœli Dominum vereor; non ausim illum non punire.

D. 4. Lib. Annal. imperial. tom. 3. cap: *chum hoei chi Kao*: iste Imperator *Kie* sceleribus scatens &c. ut suprà in contextu.

E. 5. Lib. Annal. imperial. tom. 3. cap. *Tam Kao*: Recta Cœli agendi via, bonos beans, & malos affligens, varia familiæ *Hia* mala immittebat ad patefacienda ejus scelera: idcirco ego puer parvulus (ait Princeps *Tam*) jubentis cœli Majestati luculenter iratæ obsequens, non sum ausus illi parcere; sed ausus sum assumere tenellum nigri coloris vitulum ad eum sacrificandum, excelsiq; cœli, ac densæ terræ spiritum (vel ut quidam Bacchalaureus Christianus in manuscriptis, excelsi cœli spiritualem Regem) Sinicè *Xam Tien Xin heu* palàm admonere, petens ab eo facultatem plectendi illa familiæ *Hia* scelera.

F. Ibid. paulò post: qui inter vos (pergit Princeps *Tam* in magnis comitiis) virtute, & sapientiâ pollent, ego non ausim illos perspectos non facere; & ego si peccaverim, non ausim mihi ipse ignoscere; id enim duntaxat specto, quod cœli Rectoris cor spectat ac sanxit.

Hunc libri locum paucis immutatis sic citat liber sentent. art. 20. Ego *Ly* (est nomen Principis *Tam*) puer parvulus ausus sum tenellum nigri coloris vitulum assumere ad eum sacrificandum, magnique cœli, ac densæ terræ spiritum Sinicè *Hoam hoam heu ti* (sic *chom Kiu chim* primus imperii Minister in suis celebribus commentariis interpretatur) manifestè ac palàm admonere his verbis: Ille Imperator *Kie* multis est nocens criminibus: non ausim ego illi ignoscere, ac connivere; omnes isti viri sapientes tui sunt, cœli Rector, Proceres; adeóque non debeo permittere, ut illi obscuram sinè honore, & magistratu vitam agant; id enim dumtaxat specto, quod tuum, cœli Domine, cor spectat ac sanxit.

Nota. Lib. Annal. imperialium dicit *Xam Tien Xin heu*, id est excelsi cœli spiritualis Rex, seu Spiritus Princeps, ut dixi; hic autem liber sentent. dicit *hoam hoam heu ti*, id est ad literam, Regum Rex Dominator Dominus; istæ enim quatuor voces, *hoam hoam heu Ti*, singulæ significant Regem, Principem, Dominantem, Dominatorem, Dominum, &c. licet etiam tres primas subinde aliter sumant

mant Sinæ, ut infra videbimus.

G. 6. Lib. Annal. Imper. tom. 4. *Tsien Kao*: omnes vino se ingurgitabant &c. ut suprà in contextu.

H. 7. Lib. Annal. Imper. tom. 5. cap. *Lie chim*: cœli Dominus Imperatorem illum graviter puniit.

I. 8. Lib. Annal. Imper. tom. 6. cap. *Liu him*: illi populi Regionis *Miao* &c. ùt suprà in contextu.

K. 9. Lib. Annal. Imper. tom. 3. cap. *Y hiun*: cœli Dominus non semper &c. ùt suprà in contextu.

L. 10. Lib. Sermon. Confucii familiarium seu domesticorum art. 20. tuus ego discipulus *Yeu* (alloquitur Confucium) olim memini te, Magister, dicere: benè agentes præmiis, malè agentes pœnis Cœlum afficit.

M. 11. Lib. Annal. Imper. tom. 6. cap. *Liu him*: pœna tibi &c. ùt suprà in contextu.

N. 12. Lib. Carm. tom. *Siao Ya*, odâ *Siao puon*. eheu! ego solus &c. ùt suprà in contextu.

O. 13. Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *Kiao yen*: ô remotissimum, reconditissimum, & immensum Cœlum! diceris hominum Pater, & Mater; & tamen ego sic absque crimine, absque causa horrendis calumniis obruor! ô rigida immensi Cœli Majestas! me innocentem hac in re arbitror; & in seq. odâ. *Ho gin su*: homines non erubescis, non times Cœlum?

P. 14. Lib. Annal. Imperial. tom. 4. cap. *Tay xi*: Cœlum in populos est misericors. & paulò post: Cœlum amat populos.

Paragraphus VI.

De vita *Tien*, ac *Xam Ti* juxta antiquos authores.

CUm intelligere Dei sit ejus vivere, cúmque in §. 3. jam viderimus scientiam, seu intellectionem Cœlo, cœlive Domino competere, id est *Tien* ac *Xam Ti*, hinc possumus colligere quænam vita etiam ei competat. Sed hîc non inquiro illud vivere essentiale præcisè, quod est movere seipsum principaliter actu, seu operatione immanente per se; quasdam tantùm operationes, sive externas, sive internas, quibus vel principium, à quo procedunt, vel suppositum ad quod diriguntur, esse vivens indicatur, afferam; quales sunt oblatio, datio, jussio, locutio, audi-

6

auditio, visio, adoptatio, oratio, & similes. Sic ergo dicunt isti libri: cœli Dominus in somnis obtulit Imperatori *Kao Tsum*, optimum Ministrum (A); & Princeps *Vu uam* somniavit sibi dari à cœli Domino novem dentes, seu 9. annos (B); cœli Dominus succensens pravitati Principis *Quen*, non illi contulit recti regiminis novem leges (C); Dum cœli Rector discerperet familiæ *In* Imperium, extimulabat Principis *Vu vam* virtutem, & in eo totum tandem Imperium collegit (D); Cùm Cœlum quæreret aliquem Principem Imperio aptum, soli familiæ *Cheu* Principes inventi sunt digni, qui Imperatores fierent, eósque præclarè instruxit (E); Cúmque Princeps *Vu vam* visitaret Regulorum Regna; tunc Cœlum adscivit eum in filium, seu Imperatorem elegit (F); Sic etiam cœli Dominus regnare fecit præclaros Imperatores *Chim* & *Kam* (G); cœli Dominus cum Principe *Ven vam* verba facit (H); Imperator debet Cœlum orare pro sui Imperii conservatione (I); Cœlum juxta id, quod populi vident & audiunt, videt & audit (K). Numquid omnes isti modi loquendi sat clarè indicant, ei de quo agitur, vitam inesse? quænam autem sit illa vita, tum ex dictis, tum ex dicendis satis patebit. nunc de Immensitate & Æternitate.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Annal. Imp. tom. 3. cap. *Tue mim* sic Imperator *Kao Tsum* cœli Dominus optimum Imperii Ministrum, & adjutorem mihi in somnis obtulit. Idem refertur in libro Annal. universalium tomo 2.

B. 2. Lib. Rit. cap. 8. *Ven vam xi tsu*: Princeps *Ven vam* filium suum *Vu vam* alloquens: dic, inquit, quod fuit somnium tuum? ego, reponit *Vu uam* somniavi cœli Rectorem dare mihi 9. dentes. quid per novem dentes intelligendum sit, ibi explicat Princeps *Ven vam*.

C. 3. Lib. Annal. imperial. tom. 4. cap. *Hum fan*: cum Princeps *Quen* ad reprimendas debacchantis diluvii aquas perturbâsset quinque universalia rerum naturalium primaria principia; cœli Dominus, ac Rector tremendâ irâ commotus, illi non contulit communes recti regiminis novem leges seu regulas.

D. 4. Lib. Annal. Imper. tom. 5. cap. *Kiun xe*: olim cum cœli Dominus Imperium familiæ *In* discerperet, enixè extimulabat Principis *Vu vam* virtutem, in eóque tandem totius Imperii amplitudinem collegit.

E. 5. Lib. Annal. Imperial. tom. 5. cap. *To fam*: Cùm Cœlum in omnibus

bus istis plagis quæreret qui Imperium capesseret, vehementémque gravibus signis motum imprimeret, ut alicujus animum induceret ad excipiendū propensi Cœli jussum: nemo ubique locorum fuit, qui huic propensi Cœli jussui par foret. Soli nostræ familiæ *Chen* Principes sua singulari in colligendis omnium animis dexteritate, claróque virtutis suæ splendore digni inventi sunt, qui spiritualis Cœli Domini fierent, seu magistratum ac curam susciperent; idcircò illos Cœlum præclarè instruxit, elegit, & in eos Imperium familiæ *In* transtulit ad dirigendas, ac componendas vestras illas omnes provincias.

Nota. Hìc & alibi Imperator Sinicus vocatur spiritualis Cœli & omnium spirituum Dominus (nempe Pontifex seu Sacerdos); tum quia est litaminum, quæ spiritibus fiunt, Dominus; tum quia spiritus ejus dominio nituntur ad cultum; uti in libro carm. tom. *Ta ya*, odâ *Kiven o*, variorum interpretum collectores *Fan* & *Van*, ad hæc textûs verba: *ita ut totâ vitâ sis omnium spirituum Dominus*, sic ajunt: ista vox *Dominus* non tantùm vult dicere quòd sit litaminum Dominus; sed etiam quod perfecta spirituum intelligentia ejus dominio nitatur.

Ex quo patet hunc loquendi modum non significare Imperatorem esse cœli Domino superiorem, sive dominari; sed istum modum loquendi quasi esse similem huic, quo dicimus, iste vir est Chiliarcha, aut Tribunus Regis N. est Gubernator Regis N; id est Tribunus vel Gubernator constitutus à Rege, seu nomine Regis. Unde Imperator Sinicus dicitur Cœli Legatus lib. Annal. Imper. tom. 2. cap. *In chim* sic: si Cœli Legatus (id est Imperator) indiscriminatim bonos & malos puniat, erit ardenti rogo crudelior. Similia etiam alibi habentur. & Dictionarium *Tsu guei* in littera *Li* hanc binam vocem *Cœli Legatus* sic explicat: qui jussum à Cœlo accipit, dicitur Cœli Legatus; qui jussum à Principe accipit, dicitur Principis Legatus, sive Magistratus. Item Imperator Sinicus dicitur constitui Imperator à Cœlo, aut cœli Domino; dicitur ejus filius; dicitur cœli Dominus esse ejus superior &c. ùt videre est suprà, & hìc infrà, atque in cap. sequenti, maximè in § 6. n. 1.

F. 6. Lib. Carm. tom. *Cheu tsum* odâ *Xi May*: Cùm ego, inquit Princeps *Vu vam*, stato tempore Regulorum Regna visitarem, tunc Cœlum me in filium (id est Imperatorem) adscivit.

G. 7. Lib. Carm. tom. *Cheu tsum* odâ *Che Kim*: numquid sanè resplenduerunt

runt clarissimè illi Imperatores *Chim* & *Kam?* sed & hos cœli Dominus regnare fecit.

H. 8. Lib. Carm. Tom. *Ta ya* odâ *hoam y*, sic cœli Dominus Principem *Ven vam* alloquitur: ego occultam ac præclaram tuam virtutem, nec multis verbis, nec multâ externâ specie emicantem in corde foveo.

I. 9. Lib. Annal. imperial. tom. 5. cap. *Chao Kao*: Imperator virtute suâ debet uti ad orandum Cœlum Imperii sui perennitatem. & paulò infrà sic pergit, Princeps *Chao Kum*: suppliciter hoc sericum volumen, usui futurum litaminis, ad orandum Cœlum Imperii tui perennitatem, tibi, Imperator, offero.

K. 10. Lib. Annal. Imper. tom. 4. cap. *Tay xi*; juxta id quod populi nostri vident, & audiunt, Cœlum videt & audit.

Paragraphus VII.

De Immensitate & Æternitate *Tien*, ac *Xam Ti* juxta antiquos authores.

Binam hîc pono Dei perfectionem, Immensitatem scilicet & Æternitatem. Quid illi libri de utraque innuant, paucis accipe. Cœli lex, inquiunt, tacito ac Mysterioso modo suum semper cursum, sinè intermissione, ac fine peragit. (A) Qui Cœli iram ac mutationes reveretur, nec nugari, nec pergræcari audet; quocunque enim abeas, quocunque vageris; Cœlum clarissimè videns, illuc pertingit (B); En ego istam Cœlo victimam offero; à dextris victimæ Cœlum adstet precor; vel dic, adstat (C); Immensus cœli Dominus est populorum in hoc orbe infimo degentium Rex (D); Spiritus non habet locum determinatum (E); ô Vastissimum & Immensum Cœlum! an non cogitas? an non meditaris (F)? Hæc pauca sufficiant ad exprimendam immensam cœli Domini in quovis & durationis, & loci spatio existentiam.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Carm. tom. *Cheu tsum* odâ *Guei Tien*: proh! quàm arcano, ac mysterioso modo Cœli lex suum assiduè cursum sinè intermissione ac fine peragit! numquid hoc luculenter patet? Sic Principis *Ven vam* virtus omnibus numeris absoluta nunquam stitit.

B. 2. Lib. Carm. tom. *Ta ya.* odâ *fan*: Qui Cœli iram timet, non audet nugari & ridere; quique Cœli mutationes reveretur, non audet per-

pergræcari, & sibi indulgere; istud enim vastissimum & reconditissimum Cœlum dicitur *clarissimè videns*; quocunque abeas, illuc pertingit; illud, inquam, vastissimum & reconditissimum Cœlum dicitur *omnia perlustrans*; quocumque vagando te conferas, illuc pertingit.

C. 3. Lib. Carm. Tom. *Cheu sum* odâ *Ngo tsiam*: hunc ego agnum, hunc ego vitulum offero, Cœlum illi à dextris adstet, vel adstat.

D. 4. Lib. Carm. tom. *Ta ya* odâ *Tam*: Immensus ille cœli Dominus est populorum in hoc orbe infimo degentium Rex.

E. 5. Lib. mutat. ac producto parte *Xam Chuen* art. 4. spiritus caret determinato loco; & libri *Ye Kim*, seu mutationum, ac productionum Doctrina, determinato objecto.

E. 6. Lib. Carm. tom. *Siao ya* odâ *Yu wú chim*: Eheu! vastissimum, Immensum, reconditissimum Cœlum, suæ virtutis beneficia non diffundit, sed funestas sterilitatis calamitates immittit, destruitque omnia ista Regna. ô rigida Clementis Cœli Majestas! an non cogitas? an non meditaris? si illos nocentes ac sceleratos abjeceris, & perdideris, ipsi cùm sint rei, suorum scelerum pœnam libenter excipient; istos verò innocentes ubique simul, ac promiscuè in exitium præcipitare, quomodo id percipi possit?

Paragraphus VIII.

De simplicitate *Tien*, ac *Xam Ti* juxta antiquos authores.

S. Thomas, ut probet Dei simplicitatem, dicit Deum esse Spiritum; *Spiritus est Deus*. Job. 6. Cùm enim spiritus non sit compositus ex partibus quantitatis, ideo est simplex & longè nobilior corpore, quia spiritus est id, per quod corpus vivit. Videamus ergo nunc an juxta illos libros *Tien* ac *Xam Ti*, id est Cœlum seu cœli Rector, sit spiritus? Eheu! inquiunt, vastissime cœli Rector, vel vastissimum Cœlum supreme Domine ac Rector, non nos recogitas? cùm te intelligentem Spiritum tam reverenter colamus, sanè succensere nobis non debes (A); Tria prima Chinæ Imperia inservierunt cœli, ac terræ Spiritui, qui vocatur cœli Dominus, ac Rector (B); sinè ritibus, inquit Confucius, non habentur regulæ, quibus cœli, ac terræ Spiritûs servitium, seu cultus dirigatur (C); Hi omnes ritus instituti ad alendos vivos, ad sepeliendos mortuos, ad serviendum spiritibus ac cœli Domino, ab illa prima Origine emanârunt (D); spirituale Cœlum Principibus familiæ *Cheu* sceptrum de-

dedit (E); Spiritualis Cœli agendi ratio quatuor anni tempestates sinè errore dirigit (F); Excelsi Cœli res & voce, & odore, seu sensibilitate est expers (G); Princeps *Fo hi* offerebat Spiritui victimas (H); Princeps *Chim Tam* admonuit excelsi cœli spiritualem Regem, seu Spiritum, id est inquisiit ejus voluntatem vel petiit ab eo facultatem (I). Cùm igitur dicant Cælum spirituale, spiritualem Cœli agendi rationem, spiritualem Dominatorem, seu Regem, Cœli rem esse sensibilitate expertem, certè inest Cœlo spiritus; quinimò cœli Dominum vocant Spiritum; datur ergo Spiritûs simplicitas. Sed de hoc Spiritu, ejúsque unitate rursus posteà.

Cætera Dei attributa, utpote vel in dictis jam comprehensa, vel in dicendis satis comprehendenda, hîc omitto.

Insuper ut brevitati consulerem, particularem uniuscujusque textûs applicationem cum respondente Attributo Dei, Attributive formalitate omittendam censui; eam ipsemet lector facilè poterit facere.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Carm. tom. *Ta ya* odâ *yun han.* Eheu! vastissimi cœli Rector, vel vastissimum Cœlum supreme Domine ac Rector, Sinicè *Hao Tien xam Ti*, etiámne, vel sic non nos recogitas, cum te intelligentem Spiritum internâ, & externâ reverentiâ sic colamus? certè nec nos odisse, nec nobis succensere debes.

B. 2. Lib. Rit. tom. 9. cap. 32. *Piao Ki.* olim, inquit Confucius, tria prima Imperia in inserviendo cœli ac terræ Intelligenti Spiritui, seu Intelligentiæ, semper sortibus usa sunt; non enim audebant suâ particulari determinatione, & electione vilipendere cœli Domini servitium, ac cultum.

C. 3. Lib. Rit. tom. 9. cap. 27. *Ngai Kum uen.* sinè ritibus, inquit Confucius &c. ùt suprà in contextu.

D. 4. Lib. Rit. tom. 4. cap. 9. *Li yun*: hi omnes ritus &c. ùt suprà in contextu.

E. 5. Lib. Annal. Imper. tom. 5. cap. *To fam*: soli nostræ familiæ *Cheu* Principes, suâ singulari in colligendis omnium animis dexteritate, claróque virtutis suæ splendore digni inventi sunt, qui spiritualis Cœli Domini fierent; seu curam ac magistratum susciperent.

F. 6. Lib. mutat. ac product. Symbolo *Quon*: respice spiritualem illam Cœli

Cœli agendi ratione, seu viam quâ quatuor anni tempestates sinè errore volvuntur, hâc autem spirituali agendi viâ utitur vir summâ & virtute & scientiâ præstans ad proponendam rectè vivendi disciplinam; atque ità omnes se illi subjiciunt.

G.7. Lib. Carm.tom. *Ta ya* odâ *Ven vam*: excelsi cæli res, &c. ut suprà in contextu.

H. 8. Lib. Annal. universal. tom. 1. Princeps *Fo hi* omnis generis animantia alebat, tum ut culinæ inservirent, tum ut præstò haberet victimas Spiritui, vel spiritibus offerenda; hinc etiam dictus est animalium mactator.

I. 9. Lib. Annal. Imper. tom. 3. cap. *Tam Kao*: ausus sum, inquit Princeps *Chim Tam*, excelsi cœli spiritualem Regem, vel excelsi cœli ac densæ terræ Spiritum palàm, admonere.

QUÆSTIO III.

Ex dictis investigatur, utrùm isti libri antiqui, & Classici dent veram aliquam primi Entis, seu Dei cognitionem, adeóque falsum sit veteres Sinas fuisse Atheos?

HOc frustra penè videtur quæri; tot enim támque clara istorum librorum testimonia ultrò ex se rapiunt intellectum ad judicandum Sinas illos veram habuisse supremi Numinis notitiam: nihilominùs ut ista adhuc distinctiùs appareant, brevem aliquam facio dictorum recapitulationem, & ex multis hæc pauca coacervatim deduco.

I. Juxta illos libros omnes res suam à cœlo, seu cœli Domino ac Rectore trahunt primam originem, & nituntur ejus virtute ut esse incipiant; quod idem est ac Cœlum, seu Cœli Dominum esse primam omnium rerum Causam; deinde Cœlum homines producit; illis rectam rationem, naturámque rationalem infundit; nihil absque ejus Imperio ac Providentia potest fieri; præsidet rerum principiis &c. an non ista significant primum Ens, adeóque illimitatum & in omni perfectione infinitum? cum nihil illo sit prius à quo limitetur, ejúsque perfectiones terminentur aut limitentur; illi enim libri nihil prius Cœlo, aut cœli Domino agnoscunt. Deinde nusquam reperias cœli Dominum aliquando incepisse, initium aliquando habuisse, progenitores tenuisse, hominem fuisse; sed Spiritum tantùm passim vocant. Imò dum dicunt hunc à symbolo ænigmatico

libri

libri *Te Kim* dicto *Chin*, plagam mundi æquinoctialem repræsentante, in actum exiisse, & ab hoc in omnes mundi productiones sese postea diffundere; an non fortè tacitè innuunt illum incepisse mundi creationem ab æquinoctio verno juxta Salianum, & alios? quamvis enim Princeps *Ven vam* per illam Symbolorum ænigmaticorum dispositionem, ut ajunt interpretes, adumbraret productiones, ac mutationes, quæ in toto unius anni decursu fiunt; nihil tamen obstat, quò minùs illa etiam referri possint ad productiones primi mundi anni, earúmque initium; cùm altè omnium Sinarum mentibus sit infixum, veluti perpetuâ successivæ Doctrinæ traditione receptum, omnium rerum originem, omniúmque productionum principium in illa Symbolorum ænigmaticorum dispositione gradatim ordinata reperiri, seu potius per illa repræsentari & adumbrari.

II. Insuper perfectiones, quæ sunt Deo maximè propriæ, illi libri attribuunt Cœlo, seu cœli Domino, id est *Tien* ac *Xam Ti*: dicunt enim Reges populis ab eo constitui tanquam sui coadjutores, seu legatos, seu justitiæ Ministros; dicunt illum coli, timeri, orari, illi inservire, litari, obtemperari; illum peccatis irasci, virtute devinciri, bonis conferre præmia, malis inferre pœnas; omnia perlustrare, animos considerare, corda dirigere, quocunque pertingere, non posse decipi, illum esse maximum, excelsum, immensum, intelligentem, amantem, misericordem, adjutorem, protectorem. Annon omnia ista sunt Sacræ Scripturæ simillima, dum loquitur de Deo? v. g. omnis potestas de sursum est; per me Reges regnant & legum conditores justa decernunt; mihi flectetur omne genu; iratus est furore Dominus; Deus ultionum Dominus; scrutans cor ac renes; excelsus Dominus & humilia respicit; altissimus dedit vocem suam &c.

III. Neque dicas hîc fortè recurrendum ad sensum allegoricum, per quem omnia ista applicentur vel cœlo materiali, vel ejus virtuti materiali, vel cœlo cuidam inani & Chymærico. quomodo enim tam energicas locutiones & expressiones possunt in rebus tam grandibus, in negotiis tam gravibus adhiberi ad significandum vel cœlum materiale, vel ejus virtutem materialem, vel cœlum quoddam Chymæricum? siquidem vel Imperator exhortando suos Principes, Duces, commilitones ad pugnandum contra iniquum populi oppressorem, sanciendo leges, ac ritus publicos, offerendo litamina ac preces; vel Regius Minister dando suo Principi ritè vivendi ac ritè regendi documenta; vel Regius Historiographus refe-

referendo illustria priscorum virorum gesta, utuntur his locutionibus, & expressionibus, ùt videre est in Lib. Annal. Imper. tom. 2. 3. 4. 5. In Lib. Carm. tom. 8. In lib. Annal. universal. tom. 1. 2. In lib. Memcii &c.

Si ergo his verbis & locutionibus egissent de cœlo chymærico (idem dic de materiali, vel ejus virtute materiali) ad quid sanè hæc juvissent? ecquem stimulum in exhortationibus, in minis, in consiliis? ecquam reverentiam in litaminibus, in ritibus, in precibus? ecquam fidem in narrationibus afferre potuissent? Deinde si de cœlo materiali, aut ejus virtute materiali egissent, ad quid tot inusitatæ metaphoræ? tot modi loquendi, qui vix ac ne vix quidem ipsi cœlo materiali ejusve virtuti materiali convenire possunt? non enim potest, ut alia multa omittam, cœlum materiale dici spiritus, intelligentia, seu intelligens. Idem dicendum de ejus virtute materiali, &c. alioqui jam faceres illud vel purè spirituale, vel compositum ex materiali & spirituali, vel spiritum cœlo materiali coëxistentem; vel certè diceres contraposita; nimirum idem omninò esse materiale & immateriale, seu spirituale, id est idem omnino esse corpus & spiritum, quod repugnat; & quamvis sumeres ibi spirituale pro accidente, non pro substantia non tamen etiam; vel sic negare posses inesse spiritum; cùm qualitas spiritualis juxta Philosophos non possit recipi, & inhærere subjecto materiali, sed spirituali. Nec rursus recurras ad sensum metaphoricum; ubi enim invenias aliquid materiale dici metaphoricè spirituale, nisi revera vel illi insit aliquid spirituale, vel respectum habeat ad aliquid spirituale, à quo denominativè tantum dicatur spirituale? denique, ut omnia complectar, ubi, inquam, invenias in historiis, in ritibus publicis, in legibus, in rebus tanti ponderis tot, & similes metaphoras? cúmque S. Aug: l. 3. de doctrina Christian. cap. 10. & 11. ad assequendum verum Sacræ Scripturæ sensum ponat hanc regulam: quotiescunque scripturæ verba possunt propriè accipi, non sunt deflectenda ad significationem tropicam aliúmve sensum minùs proprium; secus, si ex verbis propriè acceptis aliquid sequatur *absurdum aut falsum*; numquid & hìc potest servire ista regula? cùm nihil absurdum seu falsum ex acceptione propriæ significationis sequatur: contra verò aliquid absurdum, aut falsum ex alia acceptione sequeretur. Aliud est de ista voce *Cælum* tropicè sumpta pro *cæli Domino*, seu Spiritu cœli; hæc enim metaphora passim apud omnes gentes, & maximè Europæas usurpatur; utì hisce diebus adhuc legebam in libello gallico nuperrimè edito de novis terris Mexi-

cum versus detectis; ubi assiduè Cœlum pro cœli Domino usurpat. Denique si quis ista omnia tam clara, tam manifesta támque energica expressâ Dei Attributa velit violenter ad metaphoram detorquere, poterit etiam impius aut Atheus eodem modo ferè omnia quæ in Sacra Scriptura dicuntur de Deo, referre ad sensum allegoricum, atque ita perfrictâ fronte negare convinci ex iis dari Divinitatem.

IV. Jam verò ex his colligere possumus utrùm prisci Sinæ fuerint Athei, nec ne? Atheus potest sumi dupliciter, vel negativè pro eo qui nullam omninò alicujus supremi & invisibilis Numinis cognitionem habet; vel positivè pro eo, qui licèt aliquam obscuram illius cognitionem habeat, illam tamen rejicit, ac negat Deum esse. Atheismus primi generis consistit in intellectu tantùm, seu potiùs in negatione actûs intellectûs; sed hic an dari possit, non discutio; Theologi enim communiter dicunt, (*Amic. Medin. Molin. Zumel. Granad. &c.*) licèt dari possit negativa ignorantia Dei, aut potius inadvertentia de existentia Dei, v. g. in puero, vel in homine sylvestri, saltem ad breve tempus, ita ut ei nulla occurrat cogitatio de Deo; non tamen videri dari posse talem ignorantiam respectu unius totius communitatis. Atheismus secundi generis non tantùm in intellectûs, sed etiam in voluntatis actu consistit; cum enim hæc propositio *Deus est*, non sit per se nota quoad nos, requiritur actus voluntatis ut intellectus determinetur ad illius assensum; undè positivè Athei, & culpabiles quidem sunt, qui dum illis occurrit cogitatio de Dei existentia, nolunt examinare rationes ad assensum intellectûs requisitas, ut judicent de Dei existentiâ; vel illis examinatis nolunt ut intellectus illis assentiatur; vel si vi manifestarum rationum intellectus rapiatur ad assensum, ipsi in corde hoc judicium rejiciunt. Sed hisce duobus ultimis modis Semi-Athei, aut impii potius quam Athei sunt dicendi; *quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; veritatem Dei in injustitia detinent; quia cùm agnovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Rom. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Psal. 13.

Quod autem attinet ad illos priscos Sinas generaliter loquendo, nec videntur intellectu, nec voluntate Athei fuisse; illorum enim intellectiones sunt illi libri antiqui, qui Cœlo, seu cœli Domino ac Rectori attribuunt perfectiones Deo proprias, utì vidimus; illorum volitiones sunt etiam in illis libris expressæ, dum narrantur tria prima Chinæ Imperia *Hia, Xam,* & *Cheu*, quæ 1976. annis circiter duravêre, inserviisse cœli Domino, sive

cœli

cæli ac terræ Spiritui; Conditor Sinarum *Fo hi* Spiritui, vel spiritibus, Imperatores *Chuen hio*, *Hoam ti*, *Vu vam*, cœli Domino litâsse; Princeps *Ven vam* omni curâ ac diligentiâ illi inserviisse; Princeps *Chim tam* illum veritus fuisse, & illi obediisse; omnes magistratus, & populus necessaria ad ejus cultum sollicitâsse. Ex his igitur possumus colligere illos Sinas antiquos non fuisse Atheos; non hinc tamen continuò inferas illos sanctos, & à peccatis immunes ac salvos fuisse. Certè vix videtur alius ante Christum natum populus, in sanciendis ritibus ad colendos cœli, terræ, montium, fluminum, aliarúmque rerum sublunarium spiritus, tam diligens ac sollicitus fuisse, quàm Sinicus, si Judaicum excipias. Qui ergo illi Sinæ dici possint Athei? sed fortè quis dicet: fateor, illi veteres Sinæ videntur habuisse aliquam primi Entis seu Dei cognitionem, nec Athei fuisse; sed post invectam in Chinam Sectariorum Idololatriam, recentiores Sinæ nè viderentur cum his commune aliquid sentire, sensim ad Atheismum transiêrunt, priscámque illam primi Entis seu Dei cognitionem amiserunt; atque adeò hisce temporibus aliter, quàm olim sentiunt. Nunc ergo idipsum inspiciamus & discutiamus, utpote in quo præcipua controversiæ difficultas sita est. Itaque sit

CAPUT II.

An recentiores Sinæ habeant aliquam primi Entis, seu Dei cognitionem, nec sint Athei?

PRo hac difficultate ritè solvenda, rursus Sinarum libri consulendi sunt; sed libri Sinarum recentiorum, libri usu recepti, libri suorum authorum scientiâ & famâ commendati, libri qui nunc teruntur, & ex quibus præsentes discipuli Sinenses suas hauriunt *cognitiones*; nec unus aut alter, sed plures ejusmodi libri. Sic enim scietur, quas Sinæ præsentes habeant cognitiones, & quamnam primi Entis notitiam teneant. v.g. si ipsi Sinæ cuperent scire, quamnam nos Europæi Sanctissimæ Trinitatis intelligentiam ac notitiam habeamus; numquid prudenter & tutè agerent, si præcipuos Europæorum libros, qui nunc in Scholis addiscuntur, aut explanantur, consulerent? pari modo si nos vellemus scire an Græci non tantùm Schismatici, sed etiam hæretici sint; eorum libros usu nunc receptos deberemus consulere; & si fortè post inquisitionem de vero eorum sensu adhuc dubitaremus, deberemus tunc stare Græcorum

 eru-

eruditorum judicio, suos libros vivâ voce nobis explanantium. Ità in hac difficultate.

Dixi *cognitiones*, non *volitiones*; aliud namque est nôsse, aliud velle; aliud nôsse Deum, aliud velle; quamvis enim intellectus veritatem aliquam cognoscat, sæpissimè tamen voluntas renuit se illi subjicere, multóque minùs amat illam in praxim deducere.

Itaque de his omnibus nunc agamus; & primò quidem ut cognoscamus an recentiores Sinæ non eandem, quam prisci cognitionem primi Entis habeant, eámve amiserint, aut deturpârint, videamus in hac I. Quæstione quomodo ipsimet explicent illos omnes textus originales librorum antiquorum, quos in capite præcedenti retulimus; si enim eorum explicationes, seu interpretationes conformes sint textûs originalis sensui, tunc certum est eorum cognitiones easdem etiam esse, ac cognitiones priscorum Sinarum, qui illum textum originalem composuerunt, adeóque unum, & idem agnoscere. Textûs autem originalis sensum habes in dicto capite præcedenti. Inspiciamus nunc eorum interpretationes, eumdémque ordinem, quem suprà, sequamur. Sed ut sim brevior, quando interpretatio coincidet cum sensu originali jam explicato, aut nihil expressius dicet, eam omittam (quod bene notandum est pro intelligentia totius hujus capitis) eámque tantùm afferam, quæ videbitur aliquid expressius dicere, etiam in partem contrariam.

Deinde ut solvam omnes difficultates, quæ possent fortè contra hæc objici, in 2. Quæstione videbimus quomodo isti recentiores Authores explicent vocem *Tien* seu Cœlum, & *Xam Ti* seu cœli Dominum; & an talis explicatio obsit, aut repugnet veræ Dei cognitioni. Deinde in 3. ostendemus quodnam primum rerum omnium Principium in mundo ipsi agnoscant, & sub quo nomine? Ac consequenter in 4. juxta horum recentiorum & antiquorum Sinarum mentem exponemus Spiritûs definitionem, divisionem, proprietates. In 5. examinabimus utrùm litamen dictum *Kiao*, quod fit Cœlo, dirigatur ad cœlum materiale, vel immateriale seu ad cœli Spiritum nempe Deum? itèm utrùm litamen dictum *Xe*, quod fit Terræ, dirigatur ad terram materialem, vel ad eumdem cœli ac terræ Spiritum, aut ad alium? In 6. discutiemus duas voces *Tay Kie*, quæ significant primum rerum Terminum seu Naturam; & quia Sinæ recentiores quandoque confundunt has voces *Tay kie* cum voce *Li*, id est Ratio; & vocem *Li* cum voce *Tien* seu Cœlo; ideò inquiremus

mus utrùm bina vox *Taj kie* quandoque à Sinis ufurpetur pro fupremo cæli Domino feu Deo, quatenus Deus eft prima rerum omnium Caufa. Denique in 7. refumendo fummatim omnia ex iftis recentioribus Sinarum libris priùs excerpta ac deducta, inveftigabimus, utrùm illi dent veram aliquam primi Entis feu Dei cognitionem, adeóque an Sinæ recentes fint aut poffint dici Athei?

Nunc ergo à perfectionibus, quas Cœlo & cæli Domino, id eft *Tien* & *Xam Ti* attribuunt Sinici ifti libri recentiores antiquorum claflicorum interpretes, incipiamus, ut nofcamus utrùm Sinæ moderni aliter quàm antiqui fentiant de Deo, itaque

QUÆSTIO I.

Quas perfectiones Cœlo, aut cœli Domino feu *Tien* aut *Xam Ti* attribuunt libri Sinici recentiores, antiquorum clafficorum interpretes?

RElpondeo: videntur eafdem quas libri antiqui quoad rem, licèt quandoque fub diverfis verbis ac nominibus involutas, attribuere. Ut id probemus, quemadmodum in præcedenti capite præcipua Dei Attributa fingillatim accepimus, & vidimus ea à libris antiquis & clafficis adfcribi Cœlo, & cœli Domino id eft *Tien* & *Xam Ti*; ità in hoc eumdem modum fervabimus, & infpiciemus, utrùm ifti libri recentiores antiquorum interpretes ifta omnia Dei Attributa adfcribant etiam cœlo ac Cœli Domino? fit ergo

Paragraphus I.

De Dominio *Tien* ac *Xam Ti*, feu Cœli ac cœli Domini juxta recentiores interpretes.

CIrca hoc paucis refero quorundam Interpretum fenfa: dum Excelfum Cœlum, inquiunt, populis, quos producit, conftituit Reges ad eos regendos, & Doctores ad eos docendos, ejus intentió id unum optat, ut hi Reges ac Doctores fuo nomine & tanquam fui Vicarii rectam vitæ difciplinam tradant, ac propagent, adjuvando cœli Dominum in eo, ad quod non pertingit (A); Cœlum producens hominem, poftquam materiam fenfibilem ei dedit ad formandum corpus, tunc rectam rationem ei infundit ad conftituendam naturam rationalem. Hæc

recta ratio, quatenus in Cœlo, est cœli Virtus prima, communicativa, directiva, perfectiva; quatenus in homine, est congenita hominis pietas, æquitas, honestas, intelligentia, seu potius nauralia pietatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ semina; hujus infusio ac receptio est instar præcepti à Cœlo impositi, ideoque dicitur Cœli lex (B). Hæc Cœli lex, seu ratio naturæ infusa generaliter sumpta comprehendit omnes res creatas; specificè sumpta prout est facultas lucida & intelligens, seu rationalis comprehendit tantùm hominem (C). S. Thomas. 1. 2. q. 90. &c. asserit legem esse aliquid rationis, & legem æternam esse rationem gubernationis rerum in Deo tanquam in Principe, sive rationem Divinæ sapientiæ secundùm quod est directiva omnium actuum & motionum; Legem naturalem in nobis existentem esse participationem istius legis æternæ, à qua omnia regulantur ad proprium finem, sed creatura rationalis excellentiori modo, quatenus est providens sibi & aliis; Hanc legem naturalem humanam esse quoddam dictamen rationis practicæ, nempe prout impressum à Deo, ut intimans sub obligatione quid faciendum aut omittendum. Hæc S. Thomæ principia videntur posse sat convenienter aptari iis, quæ isti Sinæ Interpetes dicunt de Cœli lege, de quo sic rursus ajunt: Cœli via seu Cœli agendi ratio caret omni iniquitate; semper honestati & æquitati inhæret; cur autem Princeps tanquam Cœli Vicarius, Cœlique nomine regimini præsit, est quia Cœli honestatem & æquitatem ad regendos populos sibi proponit (D); Ego autem, ait Confucius, nec Spiritui anguli in cubiculo Austro-occidui, nec Spiritui foci adulandum esse censeo; sed super hos Spiritus, Majestas nulla est Cœlo major, utpote summa & nulli alteri comparabilis. Qui in agendo sequitur rectam rationem, huic Cœlum bona elargitur; qui autem in agendo adversatur rectæ rationi, ei Cœlum mala immittit. Si quis in eo, quod agit, muneris sui partes transgrediatur, nec rectam sequatur rationem, hic in Cœlum peccat; ut hoc autem in Cœlum peccatum condonet, ecquem, quæso, rogare possit (E)? vir deturpatus præmissâ abstinentiâ & munditie, potest ad intelligentem Spiritum accedere, cœli Domino oblationem facere (F); Prisci Imperatores oblationes faciebant cœli Domino, & erigebant parentalia ædificia ad ostendendum in Imperio haberi Dominos (G); ratio autem cur Imperator oblationem faciat cœli Domino, est quia nihil in mundo habetur quod cœli Dominus non producat, & nihil quod Imperator non regat (H); Imperator in colendo cœli Domino dignitatem sibi cœlitus col-

collatam exornat, & sic habet suprà se cui obtemperet; in creandis populorum ac Regnorum inspectoribus totum Monarchiæ corpus firmum efficit,& sic habet infra se quibus rerum curam committat; hincque fit, ut sive supra se, sive infra se oculos convertat, nullâ re verecundetur; Imperatoris enim dignitas inter hos duos terminos Cœli, & hominis versatur; dum autem dicitur Imperialis familia *Hia* venerata fuisse, Imperialis familia *Xam* magnificâsse, Imperialis familia *Cheu* reverenti servitio coluisse cœli Dominum, unus & idem est sensus (I).

Vides igitur ex his Reges ac Doctores populorum à Cœlo tanquam supremo Domino constitui; ab eodem hominis corpus produci, naturam rationalem infundi, ejus legem generaliter sumptam esse rationem naturæ infusam, specificè sumptam esse rationem naturæ lucidæ, seu intelligenti inditam; deinde dum quis transgreditur rectam rationem, in Cœlum peccare; ei fieri oblationes ùt Domino, ùt Spiritui intelligenti, ùt rerum Effectori; ipsum esse supra Imperatores; hos ei obtemperare; Imperatores trium primorum Imperiorum ei inserviisse. Quid,quæso, distinctius & clarius de Deo ùt Domino dici potest? numquid ille prodigus Evangelicus Lucæ 15. dicebat: Pater peccavi in Cœlum,& coram te?

Textus Librorum.

A. 1. Ad 1. textum capitis præc. §. 1. *de Dominio*, sic interpretatio ab hoc Imperatore *Kam hi* in lucem edita, dicta *quotidiana 4. Librorum explicatio*, sinicè *Su xuge Kiam*, tom. 14. parte 2. capitis *Leam hoei vam* in libri Memcii, qui citat dictum textum, immutatis paucis verbis, explicatione sic: dum Excelsum Cœlum populis &c. ùt suprà in contextu.

B. 2. Ad eumdem textum cap. 1. §. 1. *de Dominio*, sic eadem quotidiana explicatio tom. 2. lib. *Chum yum*, art. 1. Cœlum producens hominem, postquam aërem seu materiam sensibilem ei dedit ad formandum corpus, tunc rectam rationem ad constituendam naturam rationalem ei infundit; idcircò hæc ratio quatenus in Cœlo, est virtus magna seu prima, est communicativa seu extensiva, est directiva, est perfectiva; & ab hac quatuor anni tempestates, quinque primaria rerum naturalium universalia principia, omnes rerum species, omnes rerum mutationes ac productiones profluunt. Quatenus in homine, est congenita pietas, æquitas, honestas, intelligentia; & ab hac quadruplex naturalis affe-

affectus, misericordiæ, verecundiæ, reverentiæ, scientiæ; quintuplex humanæ conditionis ordo (nempe debitus inter Patrem & filium amor, debita inter Regem & subditum æquitas, debita inter maritum & uxorem diversitas, debita inter Seniorem & Juniorem subordinatio, debita inter amicum & amicum sinceritas), omnes res, omnes actiones reguntur, & diriguntur; hujus rationis infusio ac receptio est instar legis aut præcepti à Cœlo impositi; atque hoc est quod dicitur ratio naturæ infusa.

C. Deinde Doctor seu interpres *Tsay hiu chay* in suo commentario *Su xu mum yn* tom. 1. circa hanc rem, ad initium libri *Doctrinæ adultorum*, sinicè *Ta hio*, sic etiam ait: quod liber *Ta hio* vocat *facultatem*, vel *naturam lucidam & intelligentem*, est id quod liber *Chum yum* seu immutab: medium sic exponit; Cœli lex est ratio naturæ infusa: sed istæ voces libri *Chum yum*, *ratio naturæ infusa* comprehendunt & homines & alias omnes res; Hæ autem voces libri *Ta hio*, *facultas*, vel *natura lucida & intelligens*, indicant duntaxat hominem; non enim hanc habent aliæ res, nec sunt cum homine ejusdem naturæ.

C. Denique ad eumdem librum *Ta hio*, sic quotidiana explicatio tom. 1. lucida illa hominis facultas est recta ratio, quam Cœlum ei ceu lumen infundit; hócque est quod dicitur lucida Cœli lex. Nónne hoc habet aliquam similitudinem cum eo quod dicitur in Psal. 4. *signatum est super nos lumen vultûs tui Domine?*

D. 3. Ad octavum textum &c. sic interpres *Chin hao* lib. *Li ki* tom. 9. cap. 32. *Piao Ki* citans authorem *Liu:* Cœli via &c. ùt suprà in contextu. Deinde hæc addit: Cœli ordinatio, Cœli dispositio, Cœli lex, Cœli ultio, hæc omnia sunt Cœlum.

E. 4. Ad 10. textum &c. sic quotidiana explicatio: tom. 4. in lib. *Lun yu* art. 3. Ego autem, ait Confucius &c. ùt suprà in contextu.

F. 5. Ad 15. textum &c. sic Interpres *Cham kiu chim* vulgo *Cham ko lao*, primus olim Imperii Minister tom. 20. in lib. 2. Memcii cap. 2. *Li leu hia.* hominem deturpatâ facie vilescentem, solent quidem alii fastidire; si tamen hic abstinentiam præmittat, sese diligenter lavet, sordes excutiat, tunc vel ad ipsum intelligentem Spiritum accedere, oblationémque cœli Domino facere potest.

G. 6. Ad 16. textum &c. liber dictus *vera libri mutationum ac productionum explicatio*, sinice *Cheu ye chin kiay*, compositus, seu in lucem editus

tus paucis ab hinc annis, à tribus authoribus literatis ex urbecula *Tam yam* Provinciæ *Nankinensis*, quæ Provincia est præcipuum totius litterariæ rei Sinicæ seminarium, tom. 15. Symbolo *huon* sic: oblationes autem facere cœli Domino, & erigere parentalia ædificia ad ostendendum in Imperio haberi Dominos, est verè id, ex quo homo movetur ad colligendum suum animum.

H. 7. Ad 17. textum &c. idem liber *vera libri mutationum ac productionem explicatio*, tom. 13. symbolo *Tim* sic: Ratio autem cur Imperator oblationem faciat cœli Domino, est quia nihil in mundo seu Imperio habetur, quod cœli Dominus non producat, & nihil quod Imperator non regat. Deinde paulò post citat quamdam Doctoris *Chu hi* interpretationem in librum rituum, quæ sic ait: Cœlum omnes mundi res producit, nec ulla est quæ ejus virtutem satis explicare possit; idcircò illi offertur una tantùm pecus; Imperator autem omnes Imperii res habet, seu in illas dominium habet; idcircò Regulus pro victuali munere unum tantùm tenellum vitulum illi offert.

I. 8. Ad 19 textum &c. sic interpres *Tsay xin* lib. Annal. Imper. tom. 5. cap. *Lie chim*: Imperator in colendo &c. ùt suprà in contextu.

Paragraphus II.

De Potentia *Tien*, ac *Xam Ti* juxta recentiores Interpretes.

SIc hi; Magna, inquiunt, ac prima Cœli Virtus est animus res semper, & assiduè producendi. Ubi primùm hujus vis motrix in actum erumpit, mox rerum productio & quoad materiam, & quoad formam incipit emergere: illa Cœli Virtus non tantùm ad principium, sed etiam ad totam rei perfectionem concurrit, & totam generatim cœli Rectoris potentiam apprehendit ac continet, idcóque tres cœteras Cœli virtutes, scilicet communicativam, directivam, perfectivam in se complectitur (A); hæc quadruplex Cœli virtus tacito modo intrà arcanam ac mysteriosam caliginem volvens, suo motu omnia producit, nimirum ab hac Cœli virtute quatenus magna, ac prima habetur initium rei; quatenus est comunicativa, habetur augmentatio rei; quatenus est directiva, habetur tendentia rei ad suum finem; quatenus est perfectiva habetur perfectio rei & finis consecutio (B). Unde quælibet res habet quadruplicem hu-

hujus quadruplicis Cœli virtutis participationem proportionatè juxta cujusque naturam; quæ participatio prout à Cœli lege accepta, est quid subtilissimum, purissimum, simplicissimum; Cœli enim res, utpote sensibilitate expers, nec cogitatione comprehendi, nec sensu aut figurâ exprimi potest (C). Dum dicitur activa Cœli virtus novit rerum principia, illa vox *novit*, idem est ac Dominum agit, regit, dirigit, eo modo quo dicitur ad significandum urbis Gubernatorem, *ille novit Urbem*, id est dominum agit in tota urbe, omnes illius res regit, ac dirigit (D). Quod enim dominatur in omnium rerum productiones, est illa activa Cœli virtus, quæ in actum exiens cum passiva terræ virtute omnes res perficit (E). Omnium rerum productiones ac perfectiones pro suo primo principio habent Cœlum; & quia Cœlum in res producendas ac perficiendas dominatur, idcircò dicitur cœli Dominus ac Rector; hujus cœli Domini in actum exeuntis, & ab actu cessantis vis motrix, seu virtus movens, ad omnia octo Symbolorum ænigmaticorum, quibus in isto libro *Ye kim* rerum productiones ac mutationes figurantur, loca sese diffundit, omniáque ista octo Symbola reguntur, & pendent à cœli Domino (F). Ecquis autem omnes illas mundi res producit? ecquis perficit? certè oportet ut existat aliquis, qui sit Dominus, ac Rector, & ob hanc causam vocatur *Xam Ti*, id est cœli Dominus ac Rector seu supremus Dominus (G); ut enim omnes res producantur ac perficiantur, necesse est haberi à quo producantur & perficiantur, ideóque *Ti*, id est *Xam Ti*, est cœli Dominus ac Rector; denique si penitus inquiratur, quodnam sit harum omnium rerum principium (ait infrà citatus Author) etiam nihil est aliud quàm aëris, seu vitalis auræ vis motrix (nempe vitalis principii vis motrix); ubi hæc aëris seu vitalis auræ vis motrix agit, statim ex hac subsequuntur omnes res (H). Quod autem hîc per istam vocem *aër*, seu *vitalis aura* possit, aut debeat intelligi *principium vitale*, vel quid simile, ut facias Sinas loqui cohærenter, nec loqui sibi ipsis contraria, non verò iste sensibilis aër, vide infrà quæstionem 3. Imò ipse idem interpres, qui prædictum authorem citat, sic in ejusdem articuli præfatione ait: quando dicitur illa vis motrix aëris, seu vitalis auræ, tunc nondum habetur rerum existentia (adeóque nec ipse aër sensibilis) sed quia cœli Dominus in actum exiens & ab actu cessans non potest videri, idcircò dicuntur ex habito cœli Domino omnes res subsequi ad agendum, & cessandum, ut per id, quod videri potest, cognoscatur id, vel is qui videri non potest

teſt; unde idem poſtea de hac re ſic rurſus ait: ille cœli Dominus in actum exiens, & ab actu ceſſans non poteſt videri; & ſi velis eum exeuntem in actum & ab actu ceſſantem nôſſe, eccur eum non ſpectas in omnibus rebus productis? quonam ſanè modo res poſſint ſe ipſas facere? quia autem cœli Dominus in illas dominatur, ideò poteſt videri illarum actio & ceſſatio, ſeu motus & quies; atque ulterius hinc poteſt ſciri, ac cognoſci cœli Domini actio & ceſſatio (I). Rursùs ſic: Illa cœli vis activa, in hac 8. Symbolorum ordinatâ ſerie poſita primo loco, Regis ſeu Domini partes agit; eſt enim rerum effector Dominus, nihilque eſt quod non contineat ac regat; alia agentia ab ea pendent, ab ea reguntur ac continentur; ad ejus nutum ſuum munus exercent (K). Ex his patet illos Authores agnoſcere aliquod Principium inviſibile ante ſenſibilem rerum exiſtentiam, quod vocant cœli Dominum, ſinicè *Ti*, ſeu *Xam Ti*; adeóque per iſtam vocem *aër*, ſeu *vitalis aura*, debet hîc intelligi *principium vitale* inviſibile, ac primum movens; nihil enim prius hoc principio agnoſcunt; Deinde, ut infra dicam in quæſt. 3. per iſtam vocem *aër*, ſinicè *Ki* paſſim intelligunt *vitam*, *motum intrinſecum*, *vitalem auram* &c. more antiquo, *vitales expuit auras.*

Nunc cætera breviter proſequamur: in omnibus iſtis hominibus, inquiunt, à Cœlo productis habetur corpus ſenſibile pro materia, recta ratio pro forma, quâ homines naturaliter amant virtutem (L.) Qui cordis rectitudinem non ſequitur, hic Cœli legi adverſatur, ideóque Cœlum eum non adjuvat (nempe ſpeciali auxilio); Cœlo non adjuvante innumera in ſuis rebus obſtacula offendit, & licèt velit quidpiam agere, quî ſanè illud poſſit (M)? Cœlum enim non ſine fundamento ac ratione homines adjuvat; ſi quis rectam rationem fideliter ſequatur, hic poteſt ſibi Cœli cor devincire; atque hic eſt vir obediens, quem Cœlum adjuvat (N); hæc autem verba *ſumma virtus*, ſeu *ſummâ virtute Princeps à Cœlo juvatur, nihilque ei non benè ac fauſtè ſuccedit*, dicuntur quidem juxta vacuum (id eſt, ut dicam poſtea, juxta rem vel fundamentum inſenſibile, inviſibile, & à materia abſtractum) ſed horum explicatio à Confucio non eſt inaniter ac temerè facta (O). Vaſtiſſimi cœli Rector vel vaſtiſſimum Cœlum ſupreme Domine ac Rector, qui poteſtatem habes, ut & à malis fugere, & ad bona tendere poſſimus, eccur non ſinis nos procul aufugere (P)? Quamvis altiſſimum Cœlum videatur nihil de hiſce rebus cogitare; ejus tamen rerum effector Spiritus intelligens, qui comprehendi non poteſt,

 om-

omnia pericula potest arcere, & resipiscenti favere (Q). Cœlum in arcana ac mysteriosa caligine habet, quo tacitè populos stabiliat, juvet, uniat, & conjungat ad cohabitandum (R). Dum naturaliter aliquid fit, quod nullæ hominum vires efficiunt, id dicitur esse Cœlum, quod in profunda illa ac immensa caligine dominans ac gubernans, nec comprehendi, nec concipi potest (S). Dein quod unicuique inditur juxta propriam exigentiam, nullis apparentibus Effectoris vestigiis, in profunda illa ac mysteriosa caligine, plenam ex se habentis libertatem, ut det vel auferat, ut veniat vel abeat, id dicitur naturalis ratio incomprehensibilis (T). Universalis illa ac particularis Cœli virtus nihil est aliud quàm quadruplex ejusdem virtus, prima seu magna, communicativa, directiva, perfectiva universaliter & particulariter sumpta (V); deinde quod per illas omnes mundi res intelligitur, est aliquid externum, & sensibile; sed per hanc virtutem particularem & universalem, intelligitur aliquid internum ac liberum (X); denique hæc universalis virtus est prima omnium rerum radix, atque primum omnium productionum principium (Z).

Hæc omnia si Deo ut Causæ primæ & universali, ejus Omnipotentiæ, ejus Providentiæ, ejus auxiliis, ejus concursui simultaneo, ejus Sapientiæ, singula singulis aptare vellem, haud dubiè longior forem; cum igitur ex se sint satis clara, ad aliud transeo.

Textus Librorum.

A. 1. Ad 2. textum cap. 1. præc. §. 2. *de potentia*, sic vera libri mutat. ac product. explicatio tom. 1. Symbolo *Kien*: virtus illa, qua res nituntur ut incipiant esse, vocatur magna, ac prima. Deinde paulò post: quid est hæc magna ac prima Cœli virtus? Cœlum rerum productionem maximè spectat, hæc autem magna ac prima virtus est ille res assiduè producendi animus: idcircò statim atque hujus vis motrix in motum seu in actum erumpit, mox rerum productio & quoad rationem seu formam, & quoad aërem seu materiam incipit emergere; atque sic omnes res nituntur illâ magnâ ac primâ virtute, ut esse incipiant; attamen assiduus hujus virtutis motus non tantùm rerum initia, sed & finem attingit; Cœli enim virtus communicativa est hujus primæ ac magnæ communicatio; directiva est hujus directio, perfectiva est hujus perfectio; unde non tantùm omnes res illâ nituntur ut esse

esse incipiant; sed ipsa generatim omnes Cœli virtutes in se comprehendit; ideóque dicitur magna.

A. Et paulò infrà: hæc magna ac prima Cœli virtus non tantum concurrit ad omnium rerum principia, sed etiam generatim totam apprehendit, ac continet cœli Rectoris sinicè *Ti Tien* seu cœlum regentis potentiam, eo modo quo magna ac vasta Imperatoris potestas totam Monarchiam amplexatur; idcircò illa dicitur totum Cœlum complecti. Rursùs paulò infrà sic: petes: magna illa ac prima Cœli virtus ubinam existit? & unde ad omnium rerum principia concurrit? Re-

B. spondeo: tua quæstio est sanè optima, hujúsque rei ratio præstantissima, ac sublimissima. Quadruplex ista Cœli virtus tacito modo intra arcanam quamdam ac mysteriosam caliginem volvitur; quodque omnes res incipiant, crescant, ordinentur, ac perficiantur participando

C. illam quadruplicem virtutem, id ab hujus vi motrice in actum erumpente habetur. Et paucis verbis interjectis sic pergit: v. g. si de solis tantùm milii granulis agamus: unumquódque illorum quemdam in se vitæ sensum continet, & in hoc residet Cœli virtus, ac vis motrix delitet. Dum hæc vis motrix in actum seu in motum erumpit, quia mox modicus aër fermentatur, idcircò hoc habet à prima & magna Cœli virtute; deinde dum humectatio extenditur, hoc habet à Cœli virtute communicativa seu extensiva; postea dum tendit ad producendum suum fructum, hoc habet à Cœli virtute directiva; denique dum fructum perfectum producit, hoc habet à Cœli virtute perfectiva.

Denique ulteriùs explicando hæc textûs verba: *proh! quam magna Cœli activa virtus! ejus fortitudo, constantia, æquitas, rectitudo est longè*

C. *purissima, integerrima, perfectissima; perfectissima*, inquit, id est quadruplex activa Cœli virtus est illa Cœli lex, quæ est aliquid subtilissimum, & excellentissimum; estque excelsi Cœli res voce & odore, seu sensibilitate expers, quæ nec cogitatione comprehendi, nec sensu aut figurâ exprimi potest.

D. 2. Ad 3. textum &c. sic vera libri mutat. & product. explicatio tom. 17. parte *Xam chuen* art. 1. illa vox *novit*, idem est ac Dominum agit, regit, dirigit; uti eadem vox *novit* ad significandum urbis, aut urbeculæ Gubernatorem usurpatur dicendo: ille *novit* urbem, novit *urbeculam*; id est in totâ urbe, in tota urbecula Dominum agit, omnes illius res regit ac dirigit.

E Dein paulò infrà: idcircò quod dominatur in omnium rerum productiones antequam sensibiles fiant, & ante fœtûs efformationem, est illa activa Cœli virtus; ubi enim activa Cœli virtus in actum erumpens se Ducem præbuit, quiésque *yn* & motus *yam* simul conjunguntur; tunc aër figuram sensibilem, & ratio naturam insensibilem inchoat; id autem quo totius istius rei initium nititur, est illa virtus noscens magna principia. Deinde passiva terræ virtus reserata ab illa Cœli vi motrice figuram sensibilem perficit; terræ enim agendi ratio, cùm in productione omnium rerum adjuvanda Cœlo unicè obsequatur, exeipit Cœli aërem, ut figuram sensibilem perficiat, & Cœli rationem, ut perficiat naturam insensibilem; id autem quo tota res perficitur, est rerum Effector.

F. 3. Ad 4. textum &c. sic vera libri mutat. ac product. explicatio tom. 22. part. *Xue qua* art. 5. vox *Ti*, inquit Doctor *Chu hi*, significat cœli Dominum ac Rectorem. Olim Princeps *Ven vam* cum videret Symbola ænigmatica ab inventore *Fo hi*, in ordinem disposita haberi quidem quoad substantiam; sed effectu, & usu carere; ipse in alium ordinem orbicularem seu circularem illa distribuens, primo loco posuit Symbolum *chin*, seu Symbolum *motûs*, spectans æquinoctialem mundi plagam; & ultimo Symbolum *Ken*, seu Symbolum cessationis, Spectans Boreo- orientalem mundi plagam, ad ostendenda rerum Effectoris successiva per totum annum opera; omnes enim rerum productiones pro suo primo principio habent Cœlum; & quia Cœlum in res producendas ac perficiendas dominatur; idcircò dicitur cœli Dominus ac Rector; hujus Domini ac Rectoris exeuntis in actum, & ab actu cessantis vis motrix ad omnia sequentium Symbolorum ænigmaticorum à Principe *Ven vam* ordinatorum loca sese diffundit; & quia istorum octo Symbolorum ordo incipit à Symbolo *motûs*; idcircò ab hoc in actum exire incipit. Deinde citat Interpretem *Tsay hiu chay* sic dicentem: omnia ista octo Symbola pendent à cœli Domino; ab eo reguntur, ab eo comprehenduntur. Posteà cum istis octo Symbolis deducit totius anni rerum productarum ac vicissitudinum ordinem, incipiendo à Vere, pergendo à Vere ad Æstatem, ab Æstate ad Autumnũ, ab Autumno ad Hyemem, in qua finitur, ac cessat annuus circulus; ostendendóque sic varias aëris mutationes, ac temperiem, temporísque vicissitu-

fitudines juxta varias anni tempestates; caloris ac frigoris decrementum, aut incrementum, contrarias aëris affectiones &c.

G. Deinde citans authorem *Tum fum hu*, sic pergit: à primo Symbolo *motus* sinice *chin*, usque ad ultimum *cessatio* sinicè *Ken*, est omnium rerum productarum ac perfectarum deductus ordo; sed quis illas producit? quis illas perficit? opus est sanè, ut existat aliquis, qui sit Dominus ac Rector, & ob hanc causam vocatur *Ti*, cœli Dominus ac Rector. Rursùs paulò infrà citat Doctorem *Tsay hiu chay* sic dicentem: hic articulus spectat præcipuè cœli Dominum; sequens autem omnes

H. res, prout ex habito cœli Domino subsequuntur. Ut enim omnes res producantur & perficiantur, necesse est haberi, à quo producantur & perficiantur, ideóque *Ti* (id est *Xam Ti*) est cœli Dominus ac Rector. Denique si penitùs inquiratur, etiam nihil est aliud, quàm vitalis auræ, seu aëris vis motrix; ubi enim hæc vitalis auræ vis motrix agit, statim ex hac subsequuntur omnes res.

I. Nota tamen quid hic citator dicat de ista aëris seu vitalis auræ vi motrice in præfatione ejusdem articuli sic: hic prior articulus agit de cœli Domino, juxta octo Symbolorum ordinem in actum exeunte & cessante ab actu; quando dicitur ista aëris seu vitalis auræ vis motrix, tunc nondum habetur rerum existentia, seu nondum ad rerum esse prorupit; sed quia cœli Dominus exiens in actum & ab actu cessans non potest videri, ideò articulus sequens dicit ex habito cœli Domino omnes res subsequi ad agendum & cessandum, ut per id quod videri potest, cognoscatur id, vel is qui videri non potest. Deinde ibidem citat authorem *Chim*, illa octo Symbola sic explicantem: ista sola littera *Ti* (id est cœli Dominus) per se facit unum sensum; est enim hic *Ti*, qui omnia illa octo Symbola facit, ideóque illis præpositus est.

I. Denique idem Auctor articuli sequentis seu quinti explicationem sic incipit: Ille cœli Dominus in actum exiens & ab actu cessans non potest videri; si autem velis nosse cœli Dominum exeuntem in actum, & ab actu cessantem, eccur eum non spectas in omnibus rebus productis? tum enumerat totius anni productiones juxta variam aëris temperiem successivè advenientes, incipiendo à verno tempore, figuratas per illa octo Symbola; posteà sic concludit: atque hæc est in totius anni decursu, omnium rerum actio & cessatio. Sed quonam sanè modo res possint se ipsas facere? quia ergo cœli Dominus in illas domi-

minatur, ideò potest videri earum actio & cessatio, seu motus & quies, atque ulterius hinc potest sciri ac cognosci cœli Domini actio & cessatio seu quies.

K. Idem in præfato articulo quarto ejusdem partis sic ait: cœli vis activa (seu Cœlum) in ista octo Symbolorum ordinatâ serie posita primo loco, *Regis* munus agit; est enim rerum Effector Dominus, nihilque est quod non contineat ac regat; aliáque, v.g. tonitru Symbolum motûs, & ventus Symbolum diffusionis, ac reliqua ab ea pendent, ab ea continentur, ab ea reguntur, ad ejus nutum suum munus exercent. Et paulò post; ista vox *Rex*, idem est ac *Dominus*.

L. 4. Ad 5. textum &c. sic quotidiana quatuor librorum explicatio, tom. 23. in 2. lib. Memc. cap. 6. *Kao tsu xam* sic: In omnibus istis hominibus, quos Cœlum producit, habetur corpus sensibile pro materia, & recta ratio pro forma; cúmque hanc communem naturam omnes homines accipiant, ideò nemo est qui virtutis pulchritudinem non diligat. Inter hanc materiam & formam est discrimen rei perfectioris & imperfectioris &c. idem habet paulò fusiùs interpres *Cham kiu chim*, seu *Cham Ko lao*.

M. 5. Ad 9. textum vera libri mutationum ac productionum explicatio tom. 7. Symbolo *Vu vam* sic: qui cordis rectitudinem &c. ut suprà in contextu.

N. 6. Ad 10. textum &c. sic vera libri mutationum ac productionum explicatio tom. 21. p. *Xam chuen* art. 12: adjuvari, id est auxilium impetrare; sumitur autem dupliciter, scilicet auxilium impetrare à Cœlo, & auxilium impetrare ab hominibus; sed ambo generaliter loquendo non sinè ratione aliquem adjuvant; qui sequitur naturalem rectæ rationis ductum nec illi malitiosè reluctatur, hic dicitur obediens; obediens rectam Cœli rationem sequendo nec illi reluctando, potest Cœli cor sibi devincire: atque is est vir obediens & obtemperans, quem Cœlum adjuvat. Qui veram rationis honestatem amplexatur nec fictè ac vanè quidquam agit, hic dicitur verus; verus honestatis veritatem amplexando, suóque candore homines commovendo, potest illorum animos sibi devincire; atque is est vir verus ac verax, quem homines adjuvant.

O. 7. Ad 11. textum &c. sic vera libri mutationum ac productionum explicatio tom. 5. Symbolo *Ta yeu* hæc autem verba: *summa virtus*, seu

seu *summâ virtute Princeps à Cœlo adjuvatur, nihilque ei non bene ac faustè succedit*, dicuntur quatenus innixa vacuo (nempe vacuo à re materiali & sensibili;) & nisi Confucius in additamentis Principum *Ven vam*, & *Cheu kum* illa explicuisset (vide hîc num. 6. & in præced. cap. §. 2. n. 10.) valdè vereor ut Doctor *Chu hi* explicare valuisset; sed tunc agnovit hanc Confucii explanationem non inaniter ac temere factam.

P. 8. Ad 12. textum &c. liber dictus: compendiosa libri Carm. interpretum *compilatio*, composita vel in lucem edita paucis ab hinc annis, auctoribus *Fan* & *van* lib. carmin. tom. *Ta ya* odâ *Tun han*: hæc autem compilatio est annexa cum interpretatione Doctoris *Chu hi*. Itaque sic: vastissimi cœli Rector, ut suprà in contextu.

Q. 9. Ad 13. textum &c. sic celebris Interpres *Chu hi* lib. carm. tom. *Ta ya* odâ *Chen niam*: quamvis altissimum & remotissimum Cœlum videatur de hisce rebus nihil cogitare, ejus tamen rerum effector Spiritus intelligens, qui comprehendi non potest, quantumvis periculosas turbas ac tumultus potest sistere, impedire, arcere. Si igitur Imperator *Yeu vam* velit resipiscere, & novum vivendi genus instituere, nec degeneri vitâ suis Avis maculam probrúmque inferre, Cœli voluntas etiamnum potest redire; suæque ipse posteritati consulere; atque ita ejus nepotes paternam prosperitatem etiam excipient.

R. 10. Ad 16. textum &c. sic interpres *Tsai Xin*. lib. Annal. imper. tom. 4. cap. *Hum fan*. Cœlum in arcana &c. ut suprà in contextu.

S. 11. Ad 17. textum &c. sic quotidiana quatuor librorum explicatio tom. 21. in lib. 2. Menc. cap. 5. *Van cham xam*: dum naturaliter &c. ut suprà in contextu. Interpres *Cham ko lao* sic idem fusiùs explicat tomo etiam 21: sub Imperatoribus *Yao* & *Xun*, cùm nec illorum Ministri fuerint æquè diuturni, nec illorum liberi æquè sapientes; certè in istis omnibus rebus datur, atque inest Cœli lex ac dispositio: id autem quod dicitur Cœli lex ac dispositio, non potest vi cogi ut adveniat.

T. Quidquid enim, ut perficiatur, opus habet præmeditatis consiliis & inventionibus, id humanum esse censetur, nec potest dici Cœlum. Quod verò unicuique inditur juxta illius exigentiam &c. ut suprà in contextu.

V. 12. Ad 18. textum &c. sic interpres *Tsay hiu chay*. in comment. *Su xu mum yn*. tom. 4. ad lib. *Chum yum*: Si bene examinetur quid reapse

illa sit universalis & particularis Cœli virtus &c. ut suprà in contextu.

X. Deinde Ibid. paulò infrà: innumeræ illæ diversi generis res, Sol, Luna, quatuor anni tempestates sunt quid externum; illa autem particularis & universalis virtus est quid internum in illa externa libertatem exercens.

Z. Et ad eumdem textum interpres *Cham ko lao* tom. 3. sic: Cœlum ac Terra complectitur unam magnam & universalem virtutem, quæ est prima omnium rerum radix, omnium productionum primum principium & origo; verumtamen copiosissimas & vastissimas tantùm ejus naturales productiones ac mutationes, quæ inexhaustè se foris prodeunt, aspicis.

Paragraphus III.

De scientia *Tien*, ac *Xam Ti* juxta recentiores Interpretes.

DE hac sic: Maximus ille cœli Dominus, quamvis altissimus existat, ejus tamen ad hæc infima appulsus est tremendus, ac perspicacissimus; & ratio cur omnia ista Imperii regna respiciat, est quia optat stabilem populorum pacem ac tranquillitatem (A); Princeps *Tay vam* qui voluit populos pace ac tranquillitate donare, non frustravit, seu non irritam fecit cœli Domini intentionem (B); vide, ne dixeris Cœlum est altissimum, illic sursum positum, & illi nihil ad nos; debes enim scire illud ità esse intelligens, perspicax, ac ita verendum, quasi continuè ad ea, quæ agimus, tum ascendendo, tum descendendo appelleret, atque quotidie huc respiceret: si quis irreverens fuerit, procul dubio Cœlum illum rejicit, & providentiæ favor ab eo recedit. Numquid sanè illud revereri debes (C)? dum ego mihi soli vaco, num fortè Cœlum in profunda illa ac mysteriosa caligine non valet me cognoscere? vir perfectus non potest ab hominibus cognosci; sed Cœlum dumtaxat illum cognoscit (D). Nullum est majus scelus quàm ut homo Cœlum fallat; quantò magis Cœlum non potest falli, sed homo seipsum tantùm fallit (E). Hæc pauca sunt clara, ad voluntatem pergo.

Tex-

Textus Librorum.

A. 1. Ad 1. textum cap. praeced. §. 3. de *Scientia*, sic compendiosa libri Carminum compilatio, lib. carm. tom. *Ta ya*, odâ *Hoam y*: quicumque Rex â Coelo jussus constituitur, est ad afferendam populis tranquillitatem ac pacem. Maximus enim ille coeli Dominus finitè *Hoam y Xam Ti* quamvis altissimus sursùm existat, ejus tamen ad hæc infima appulsus est tremendus, ac terribiliter perspicax; & ratio cur omnia ista Imperii Regna vigil respiciat, est quia optat stabilem populorum pacem ac tranquillitatem.

Ad eumdem textum Interpres *Chu hi* ibidem sic: Coeli in hæc infima appulsus perspicacissimus, unam tantùm quærit populorum pacem ac tranquillitatem. & paulò pòst: Si coeli Dominus ac Rector talem, qualem optat, obtinuerit Principem; mox ejus ditionis ac regiminis normam longè promovet.

B. Ibidem eadem compilatio sic: dum coeli Dominus ac Rector clarâ virtute Principem *Tay vam* transtulisse in hunc locum dicitur; si bene perpendas dantis ei illum locum ad habitandum primam ac veram intentionem, videbis Principem *Tay vam*, qui probè potuit populos pace ac tranquillitate donare, non irritam fecisse eam coeli Domini mentem ac intentionem.

C. 2. Ad 2. textum &c. sic eadem compendiosa explicatio, lib. carm. tom. *Chen tsum* odâ *Kim chi*: vide, nè dixeris &c. ut suprà in contextu.

Ibidem ad eumdem textum Interpres *Chu hi* sic: Coeli via seu Coeli agendi ratio est perspicacissima; ejus providentiæ favor non est conservatu facilis; nec dicas illud altum esse, nec nos ab eo examinari; atque inspici; scire debes illud ità esse intelligens, perspicax, ac ità verendum, quasi continuè ad ea quæ agimus, tum ascendendo, tum descendendo semper appelleret; nec ullus est dies, quo huc non accedat ac respiciat; adeóque non potes illud non revereri.

D. 3. Ad 3. textum &c. sic quotidiana quatuor librorum explicatio, tom. 9. in lib. *Lun yu* art. 14: sic igitur animum colligendo, mihíque soli vacando, si elatis in Coelum oculis nihil me pudore afficiat, num fortè excelsum Coelum in profunda illa ac mysteriosa caligine me cognoscere non valebit.

Idem ad eumdem locum habet *Cham kiu chim* etiam tom. 9. deinde hæc addit ex suo: vir perfectus, qui in explendis omnibus naturæ

F 2 suæ

suæ rationalis partibus, Cœli legi unicè adhærens, eámque exequens, singularem illam intimæ cum Cœlo unionis excellentiam assecutus est, certè non potest ab hominibus cognosci, illisque perspectus esse, sed Cœlum dumtaxat illum cognoscit.

E. 4. Ad 4. textum &c. sic Interpres *Cham kiu chim* tom. 7. in libri *Lun yu* art. 9: ecquem igitur vult ille ut fallam? ut decipiam? vúltne ut Cœlum decipiam? sed nullum est majus scelus, quàm ut homo Cœlum fallat, aut decipiat; quantò magìs Cœlum nec falli nec decipi potest; sed homo tantùm suâ se malitiâ decipit.

Paragraphus IV.

De voluntate *Tien*, ac *Xam Ti* juxta recentiores Interpretes

ALiquam inesse Cœlo intentionem ac voluntatem recentiores Authores etiam sat claré indicant sic: evectio ad thronum Imperialem verè emanat à Cœli jussu; & idcircò Imperatoris dignitas vocatur Cœli dignitas; Imperatoris census vocatur Cœli census; atque hæc per vires humanas nec fieri nec dari possunt. Sed difficile est scire Cœli voluntatem, res enim Cœli est voce seu sensibilitate expers; hinc non distinctis & expressis verbis, sed tacite suam voluntatem ac intentionem ostendit. Principis *Xun*, quo Cœli cor oblectabatur, particularis ad Imperium evectio non stetit ab eo tempore, quo Imperator *Yao* in eum transtulit Imperium, sed longè in obscura illa ac mysteriosa caligine præfinita fuit (A); Mysteriosa illa ac recondita Cœli substantia non loquitur; Imperator dum aliquem Cœlo proponit in suum successorem, non potest scire an Cœli voluntas futura sit ut annuat, nec nè; multò autem minùs potest Cœlum cogere, ut ei, quem proponit, Imperium conferat (B). Et licèt Cœlum non habeat oculos ad videndum, nec aures ad audiendum; quod tamen attinet ad hominum virtutes ac vitia, nihil est quod non videat; nihil quod non audiat; verùm juxta id quod omnium populorum & oculi vident, & aures audiunt, censetur & videre & audire. Hinc patet quòd cœli Domini jussum maximè spectet populorum corda; & quo hæc vergunt, illuc & vergat Cœli voluntas (C); ad hæc omnia tam diversa efficienda in profunda illa ac mysteriosa caligine habetur aliquis Dominus ac Rector, id est Cœlum. Qui sanè ista efficere possint homi-

minum vires? hominum vires non possunt efficere ut quis tamdiu in dignitate subsistat; ut quis sit sapiens vel insipiens; ista ergo diuturnitas vel brevitas, sapientia vel insipientia à Cœli voluntate, cui uni obtemperare oportet, provenit (D); nec nobis licet Cœli intentionem, aut voluntatem suo fine frustrare (E); olim cœli Dominus bellicosum Principem *Tam* jussit Imperatorem agere ad componendos omnium circumjacentium Regnorum limites (F); hic Princeps *Tam* à cœli Domino jussus populi & Rector & Doctor, ita quotidie in perfectionis studio proficiebat, ut ejus virtus ingenti splendore ad Cœlum usque pertingeret, id est Cœli cor sibi devinciret, uniret, secúmque unum faceret (G). Gemebundi isti populi, omnibus periculis ac malis expositi aspiciunt Cœlum, quasi somnians nihil discerneret; nec enim bonos certa beat felicitas, nec malos certa premit infelicitas, non secus ac si ei nulla mens foret ad hos ambos discernendos. Enimverò Cœlum non sic erga homines se habet; cùm destinatum advenerit tempus, si istos malos velit affligere, hos affliget. Proh! quàm magnus est cœli Dominus! quisnam est ille qui dicat quòd odio aliquem habeat (H)? Reconditum ac mysteriosum Cœlum, quod ex se pium ac misericors est, nunc tremendæ iræ suæ rigorem in hanc infimam terram effundit (I). Jam verò, si id quod egi rectæ rationi non congruit, certè in Cœlum peccavi, adeóque Cœlum me respuat necesse est (K); sed quia tu, Princeps, filius Cœli obtemperans es, hinc Cœlum te, Princeps, amat, conservat, custodit (L); Princeps *Yu* etiam supplex Cœli mentem inquisiit, eique reverenter & fideliter obtemperavit (M); si quis assiduâ cogitatione conetur semper rectæ rationi adhærere, certè Cœli cor eum adjuvabit (N); si Cœlum, inquit Confucius, nullam erga me intentionem ac voluntatem habuisset, profectò intelligentem ejusmodi facultatem cum vita mihi non infudisset; jam verò cum intelligentem ejusmodi facultatem cum vita mihi infuderit, Cœlum ergo in meam vitam dominatur, atque adeò in medio illius profundæ ac mysteriosæ caliginis me adjuvabit (O); in illo Cœlo, quod assiduè gyrat, habetur voluntas; hinc Confucius, si Cœlum, inquit, voluisset illam priscorum Sapientum scientiam interire, posteà morituro non eam mihi donâsset; si ergo Cœlum nolit eam interire, quomodo istius loci *Quam* incolæ vitæ meæ nocere possint (P)? nimirum Cœlum in profunda illa ac mysteriosa caligine tacitè adjuvando Confucium, non propter unum Confucium, sed propter priscorum Sapientum scientiam id præsta-

bat (Q); & Memcius, Cœlum, inquit, nondum vult Imperii pacem (R); cùm verò alii quod cupiunt, assequantur, alii non assequantur; alii licèt assequantur, limitatè tamen dumtaxat, & non ut volunt, assequantur; hæc omnia ex rerum Effectoris arbitrio pendent; nec possunt humanæ intelligentiæ ac prudentiæ viribus attribui (S); verè enim in his habetur Cœli lex ac providentia, quæ occultè ista dirigit ac gubernat (T).

Dum audis hos recentiores Authores finicos sic loquentes, an non crederes esse priscos illos, quos nunc suspicimus, veræ sapientiæ Sectatores? an non omnia ista effata possunt verè aptari multiplici Dei voluntati? voluntati beneplaciti & signi, voluntati antecedenti seu bonitatis & consequenti seu justitiæ; voluntati absolutæ & conditionatæ, efficaci & inefficaci, sapientissimæ ejus providentiæ? &c. sed scientibus loquor, adeóque frustrà hic immoror. Cætera perpendamus.

Textus Librorum.

A. 1. Ad 1. textum cap. præc. §. 4. de *Voluntate*, sic interpres *Cham kin chim* tom. 21. in lib. 2. Memc. cap. 5. *Van cham xam*: quoad illam, inquit discipulus *Van cham*, Imperatorum Monarchiam, oportet priùs esse qui illam det; tum postea concipitur esse qui illam recipiat. Cùm igitur Imperator *Yao* illam Principi *Xun* non dederit; ecquis, quæso, illi reapse dedit? evectio ad thronum Imperialem, reponit Memcius, emanat à Cœli jussu. Cùm enim & Imperatoris dignitas vocetur Cœli dignitas; & Imperatoris census vocetur Cœli census, idcirco liquet Cœlum & illam & hos dare, nec humanis viribus dari posse. Deinde paulò post sic iterum respondet Memcius: difficile est scire ac nosse Cœli intentionem seu voluntatem, facile videre hominum res. Dum Princeps *Xun* à Cœlo accepit Imperium, certè non distinctis & expressis verbis Cœlum eum jussit Imperatorem; Cœli enim res est voce expers (ut dicitur in libro *Chum yum*); ecquid sanè Cœlum loquitur? sed tantùm per eximias virtutes ac præclara gesta, quibus Princeps *Xun* fulgebat, tacitè suam voluntatem ac intentionem ostendit. Deinde paucis verbis interjectis sic: ubi est voluntas, nempe Cœli, ibi statim Imperium. Enimverò quid opus fuit distinctis & expressis verbis ad ei dandum imperium? Si igitur scias Principem *Xun* ejusmodi fuisse ut Cœli cor eo oblectaretur, profectò particularis ejus ad ob-

obtinendum Imperium evectio non stetit tantùm ab eo tempore quo Imperator *Yao* id illi transmisit, sed longè in arcana illa ac mysteriosa caligine præfinita fuit.

B. 2. Ad eumdem locum sic quotidiana 4. librorum explicatio, etiam tom. 21: mysteriosa illa ac recondita Cœli substantia non loquitur &c. & paulò pòst: potest quidem Imperator aliquem eligere ac Cœlo proponere; sed an Cœli voluntas futura sit ut annuat, nec nè, scire nequit; nec potest Cœlum cogere, ut certò illi Imperium conferat. Et paucis interjectis sic: Principis *Xun* gesta ac virtutes Cœli cor devinxerunt; hinc Cœlum illum admisit. Denique paulò infrà: ista ergo omnia quî sanè humanæ vires efficere potuerunt? ideò asserui illum reapse & verè à Cœlo jussum, scilicèt Imperatorem.

C. 3. Deinde ad locum seu textum libri Annalium Imperial. quem retuli in cap. præc. §. 6. de *Vita*. n. 10. seu ultimo, sic Interpres *Cham kiu chim* in eod. tomo 21: licèt Cœlum non habeat oculos &c. ut suprà in contextu.

D. Denique idem interpres *Cham kiu chim* ibidem paulò pòst discutiens cur N. & N. fuerint aut non fuerint creati Imperatores, sic: si spectes temporis revolutionem, videntur ista quasi non satis cohæsisse; si autem occasionem aut temporis circumstantias spectes, optimè omnia inter se cohæferunt; nimirum quod attinet & ad illam temporis revolutionem, & ad has temporis circumstantias seu occasionem, in profunda ac mysteriosa caligine habetur aliquis Dominus ac Rector, id est unicum dumtaxat Cœlum, quod hæc omnia efficit. Enimverò quî hominum vires hæc possint efficere? possunt quidem hominum vires virum sapientem Cœlo proponere; sed non possunt efficere ut quis tam diuturno tempore subsistat in suprema primi Ministri dignitate; Possunt sceptrum filio transmittere, sed non possunt efficere ut filius certò sit sapiens, nec nè. Illa igitur temporis diuturnitas aut brevitas, illa hominis sapientia aut insipientia à Cœli voluntate provenit. Undè vir virtute & scientia absolutus tantùm studet Cœli jussui obtemperare.

E. 4. Præterea circa finem capituli, in quo habetur prædictus Memcii textus, sic quotidiana 4. librorum explicatio: Jam verò, inquit Memcius, cùm Cœlum inter homines istos, quos producit, rectè vivendi con-

consideratione me fecerit nonnihil praecellere; possúmne Coeli intentionem suo fine frustrare?

E. 5. Ad 3. textum &c. sic compendiosa lib. carm. explicatio tom. *Xam tsum* odâ *hiven niao*: olim autem cùm Princeps *Chim Tam* ob suam bellicam fortitudinem dictus *bellicosus* surrexisset; tunc coeli Dominus jussit eum Imperatorem agere ad componendos circumjacentium omnium Regnorum limites.

G. 6. Ad 8. textum &c. sic compendiosa lib. carm. compilatio tom. *Xam tsum* odâ *cham fa*: tunc Imperatores familiae *Hia* nondum Coeli legem abjecerant; cùm autem ventum esset ad Principem *Tam*, hic opportuno natus tempore coepit in perfectionis studio ita quotidie crescere, ut ejus virtus ingenti splendore ad Coelum usque pertingeret; id que diu sine intermissione & constantissimè servavit. Unicum ejus reverentiae objectum erat caeli Dominus, & nullâ quidem vel minimâ interruptione admissâ. Idcircò caeli Dominus jussit eum populi & Rectorem & Doctorem agere ad ritè componendas totas novem Provincias seu totam Chinam, & ad perfectum disciplinae exemplar edendum.

Dein paulò infrà: *ingenti splendore ad Caelum usque pertingere*, id significat Caeli cor sibi devincire, unire, secúmque unum facere.

H. 7. Ad 11. textum &c. sic eadem compendiosa lib. carm. compilatio tom. *Siao ya* odâ *chim yue*: aspice ut in illa sylva clarissimè distinguantur arbores à virgultis; & sic de aliis rebus. Jam verò gemebundi isti populi omnibus periculis & malis expositi suas querelas ad Caelum deferunt; ast vident Caelum quasi somnians nihil discerneret; nec enim bonos certa beat felicitas, nec malos certa premit infelicitas; non secus ac si ei nulla mens foret ad hos ambos discernendos. Enimverò Caelum non sic se erga homines habet; sed sic nunc tantùm fit, eò quòd destinatum tempus nondum advenerit; cùm enim Caeli via seu agendi ratio ad suum ordinarium cursum redierit, tempúsque destinatum advenerit; licèt isti perversi homines in quamvis peccandi licentiam sese effraenatè projecerint, si tamen Caelum velit eos affligere ac punire, mox affliget ac puniet: nec ullus est quem non vincat. Proh! quàm magnus est caeli Dominus! quisnam sanè est, qui dicat quòd aliquem odio habeat? ut malos affligat ac puniat, profectò id

id recta ratio per se exigit; sed heu! nunc necdum destinatum tempus advenit.

I. 8. Ad 12. textum &c. sic eadem compendiosa lib. carm. compilatio, tom. *Siao ya*, odâ *Siao mim*. Reconditum illud, remotum, mysteriosum Cœlum, quod ex se pium, ac misericors tegit & miseratur hæc infima, nunc tremendæ iræ suæ rigorem effundit in hanc terram infimam, efficítque ut Imperatoris prava ac malesana sint consilia. Eheu! quando hoc tandem finiendum sit, nescio.

K. 9. Ad 13. textum &c. sic quotidiana 4. lib. explicatio tom. 5. in lib. sentent. art. 6: si id quod egi, ait Confucius, rectæ rationi non congruit, nec rectam illius viam tenui, sanè in Cœlum peccavi: Cœlum ergo me respuat, Cœlum, inquam, me respuat oportet. Idem habet *Cham kiu Chim*.

L. 10. Compendiosa lib. carm. compilatio in tomo *Siao ya*, odâ *Tien pao* sic: quia verò tu, noster Princeps, es Cœli filius obediens atque obtemperans, ideò Cœlum te, Princeps, amat; Cœlum ergo te conservet, & in æternum regna; ita firmiter thronum tuum stabiliat, ut nunquam periclitetur.

M. 11. Interpres *Tsay Xin* in lib. Annal. Imperial. tom. 5. cap. *Chao kao* sic: Princeps *Tu* &c. ut suprà in contextu.

N. 12. Quotidiana quatuor librorum explicatio tom. 1. in lib. 2. Memcii cap. 1. *Li leu* sic: iste locus libri Carminum hoc significat: si quis assidua &c. ut suprà in contextu.

O. 13. Interpres *Cham kiu chim* tom. 5. in lib. sentent. art. 7. sic: si Cœlum ut suprà in contextu.

Ad eumdem locum Interpres *Tsay hiu chay* in suo libro *Su xu mum yn* tom. 6. sic: ista vox Cœlum hîc sumitur ùt est Dominus ac Rector.

P. 14. Idem Interpres *Tsay hiu chay* tom. 1. *Su xu mum yn* ad proœmium libri *Ta hio* sic: dum dicitur *Cœlum assiduè gyrans ac volvens*, etiam illud dicitur prout aliqua intentio ac voluntas illi inest. Et paucis verbis interjectis: sic etiam ipsemet Confucius (nimirum in lib. sent. art. 9.) ait: si Cœlum voluisset illam priscorum Sapientum scientiam &c. ut suprà in contextu. Idem interpres sic pergit: deinde Memcius (scilicèt lib. 1. cap. 2.) sic etiam dicit: quod ego Reguli Regni *Lu* occursu & affatu perfrui, gratiámque inire non potuerim, id à Cœlo provenit.

R. Et alibi idem Memcius: illud, inquit, Cœlum nondum vult Imperii pacem ac tranquillitatem. Hinc itáque vides prædictam vocis Cœli explicationem, & interpretationem non posse relinqui, nec rejici. Idcircò viri, & sapientiâ & virtute inclyti quasi deprimentes istius vocis significationem, successivè eam temporis revolutioni applicuerunt. ita ille interpres.

Q. 15. Idem interpres *Tsay hiu chay* ad lib. sent. art. 9. in suo eodem libro *Su xu mum yn* sic: hinc vides cùm istius loci *Quam* incolæ non possent nocere vitæ Confucii, Cœlum tacitè ei opitulando in profunda illa ac mysteriosa caligine, non propter eum unum dumtaxat, sed propter priscorum Sapientum scientiam, istud etiam præstitisse.

S. 16. Interpres *Cham kiu chim* tom. 26. in lib. 2. Memcii cap. 8. *Cin sin hia* seu ult. sic: cum verò alii &c. ut suprà in contextu; & sic concludit: hoc quidem natura est, sed in hoc Cœli lex ac providentia intus manet.

T. 17. Quotidiana 4. libr. explicatio tom. 26. ad idem cap. 8. lib. 2. Memcii, & eumdem textum sic: cùm verò alii possint, alii non possint id, quod exoptant, consequi; profectò hac in re Cœli lex ac providentia, quæ tacitè ea dirigit ac temperat, reverà continetur; vir autem sapiens id unum spectat, ut isti Cœli legi acquiescat; & paulò pòst: quia Cœli lex ac providentia dirigit & moderatur naturam, ideò pluris fit.

Paragraphus V.

De Justitia *Tien* ac *Xam Ti* juxta recentiores Interpretes.

EX iis solùm, quæ jam diximus, sat patet quam justitiam *Tien* ac *Xam Ti*, id est cœlo, Cœlive Domino attribuant isti Authores recentiores; rursus tamen hæc pauca accipe: Recta, inquiunt, Cœli agendi ratio seu Cœli via, quæ bonos beat, & malos plectit seu affligit, est pertimescenda (A). In pœnis, aut præmiis æquus Princeps tantùm spectat id, quod Cœli cor spectat, ac sanxit (B). Cœlum clarissimè omnia examinat, discutit, nihilque est tam occultum, quod non perlustret. Tu igitur illud non times (C)? bonos, inquiebat, Confucius, felicitate,

te, malos infelicitate Cælum pensat (D). Multa similia omitto. Nunc de vita etiam breviter.

Textus Librorum.

A. 1. Ad 4. textum præc. cap. §. 5. de *Justitia* sic Interpres *Tsay Xin* lib. Annal. Imper. tom. 3. cap. *Chum hoei chi kao.* hoc caput tria maximè complectitur: primò refert Cæli intentionem in creandis Regibus; Imperatorem *Kie* Cæli jussui non obtemperâsse, ideóque Principem *Tam* à Cælo jussum, non potuisse ab ejus jussu se excusare. Deinde Principis *Tam* virtutem potuisse populorum corda sibi devincire; non tamen statim populos se illi submisisse; postremò ritè regendi Regni artem esse difficilem; animorum aut alienandorum, aut conciliandorum occasionem, rectámque Cæli agendi rationem seu Cæli viam quæ bonos beat, & malos affligit, esse pertimescendam.

B. 2. Ad 5. textum &c. sic quotidiana 4. librorum explicatio tom. 12. in libr. sentent. art. 20: postea quam Princeps *Tam* Imperatorem *Kie* debellâsset, in oratione facta ad Regulos & Proceres, primò refert verba quibus à cæli Domino facultatem petiit, ut Imperatorem *Kie* impeteret sic: ego Ly puer parvulus ausus sum nigri coloris tenellum vitulum assumere ad eum sacrificandum, (sub Imperio *Hia* cujus ultimus Imperator *Kie*, iste color erat in usu) magníque cæli ac densæ terræ Spiritum manifestè & palàm ità admonere: iste Imperator *Kie* multis est nocens criminibus, adeóque plectendus; non ausim ego illi ignoscere, & connivere. Omnes isti totius imperii sapientes, tui sunt Cæli Rector, Proceres, adeóque ad dignitates evehendi; non ausim ego permittere ut illi obscuram sine honore ac Magistratu vitam ducant. Quod enim attinet ad illius crimina & horum sapientiam, id unum dumtaxat specto quod tuum, cæli Domine, cor spectat ac sanxit. Qui ausim ego illi adversari, & juxta propriam mentem istud mihi vindicare & assumere? sic facultatem ego prius petii. Idem vide apud interpretem *Cham kiu chim* apertioribus adhuc verbis explicatum, tom. etiam 12.

C. 3. Ad 13. textum sic compendiosa libri carm. expositio tom. *Siao ya* odâ *Ho gin su*: ille ratus homines posse decipi, suas sagaces artes & astuta consilia fucat; hinc nullo modo homines erubescit. Sed cùm

Cœlum clarissimè omnia examinet ac discutiat, nihilque sit tam occultum quod non perlustret; tu sienè unus non times Cælum? eccur ergo sic agis?

D. 4. Libellus trivialis dictus *Mim sin pao Kien*, art. 1. sic: Bonos, inquiebat Confucius, &c. ut suprà in contextu.

Paragraphus VI.

De Vita *Tien* ac *Xam Ti*, juxta recentiores Interpretes.

Quod attinet ad operationes vitales quas *Tien* ac *Xam Ti*, id est Cœlo cælive Domino attribuunt isti recentiores Sinæ, hæc etiam pauca profero. Verè datur, ajunt, cœli Dominus, qui Imperatori *Kao tsum* in somnis dixit: ego tibi offero optimum Ministrum & adjutorem (A). Cœlum, inquit Princeps *Vu vam*, me incogitantem constituit hominum, ac spirituum Dominum (nempe Pontificem ac Regem) & in filium adscivit seu Imperatorem jussit (B); cœli Dominus constituit Imperatores *Chim vam* & *Kem vam*, eósque jussit florens prædecessoris *Vu vam* regimen subsequi; eorum virtutibus dominabatur seu eas regebat cœli Dominus (C). cœli Dominus benevolè cogitabat de Principe *Ven vam* (D); ego, inquit cœli Dominus, diligo & in corde foveo lucidam Principis *Ven vam* virtutem seu facultatem, quæ nec magno rumore, nec externâ specie se multùm prodit (E); quod Cœlum videt & audit, id ex populis oritur; cùm igitur juxta populorum animos judicem de Cœli voluntate ac intentione, oportet sanè ut ego vadam castigaturus istum Imperatorem *Cheu* (F). Hæ operationes *dicere*, *offerre*, *benevolè cogitare*, *in corde fovere*, *diligere*, *Imperatorem constituere*, *in filium adsciscere*, *videre*, *audire*, *jubere*, *intentionem habere*, satis indicant principium vitale esse, à quo procedunt. Nunc de immensitate & æternitate.

Textus Librorum.

A. 1. Ad primum textum cap. præc. §. 6. de *Vita* sic liber *Xu kim ta ciuen*, seu magnus libri Annalium Imperialium commentarius tom. 5. cap. *Yue mim*: cùm Imperator *Kao tsum*, inquit Doctor *Chu hi*, somniârit sibi offerri Ministrum *Fu yue*; ergo juxta hoc verè datur cœli Dominus *Tien Ti*, qui Imperatori *Kao tsum* dixit: ego tibi offero optimum Ministrum

ſtrum & adjutorem. Nunc doctores quotieſcúmque explicant vocem *Ti* per voces *Chu tsai Dominus* & *Rector*, ſive quotieſcumque interpretantur *Ti* eſſe Dominum ac Rectorem, dicunt eum figurâ carere, & ſenſu imperceptibilem; arbitror hoc dici non poſſe. Quod ſit ille, quem mundi vulgus vocat *Yo hoam Ta Ti* pretioſum Principem magnum cœli Dominum, (ſcilicet idolum ſectæ *Tao ſu*), arbitror nec id poſſe dici. rurſus ſic: ſi illud ſomnium ſolummodò explicetur per motum reciprocum; dum Imperator *Kao tsum* ſomniabat ſibi à cœli Domino *Ti* offerri optimum Miniſtrum & adjutorem; oportebat ut in ſomnio exiſteret cœli Dominus *Ti* qui eum ipſi offerret; ergo non poteſt dici non dari. Quod iſta res ſit tantùm *Cœli Ratio Tien li*, nec hoc dici poteſt.

Hinc nota quàm malè à quibuſdam iſte Doctor *Chu hi* vocetur Atheorum coryphæus, aut Atheus.

B. 2. Ad 6. textum ejuſdem cap. præc. §. 6. ſic compendioſa libri carm. compilatio tom. *cheu tsum* oda *xi may*: dum noſtra familia *Cheu*, inquit Princeps *Vu vam*, inciperet Imperium familiæ *Xam* bellando deturbare; tunc omnium animi ardentibus deſideriis anhelare bonum ac novum regimen cæperunt. Ego autem ſtato tempore Regulorum Regna viſitatum perrexi; & ecce incogitantam me ſpirituum ac hominum Dominum, vaſtiſſimum Cœlum conſtituit & in filium adſcivit. Id ſanè non caſu contigit.

C. 3. Ad 7. textum eadem compend. compilatio tom. *Cheu tsum* odâ *Che kim* ſic: numquid ſanè illa Imperatorum *Chim vam*, & *Kem vam* virtus clariſſimè refulgebat? tunc temporis, illa ſuos radios emittens ac ventura ſæcula illuſtrans non ſivit ingentia prædeceſſorum cæpta incaſſum recidere. Hinc cæli Dominus ac Rector etiam illos Imperatores conſtituit, juſsítque florens Imperatoris *Vu vam* regimen ſubſequi. Etiam erat, inquit *Chu hi*, cœli Dominus qui eorum virtutes gubernabat ac regebat.

D. 4 Ad 8. textum ſic interpres *Chu hi* lib. carm. tom *Ta ya* odâ *Hoam y*. hic locus dicit quòd cœli Dominus benevolè acpropensè cogitaret de Principe *Ven vam*, dicítque quod ejus virtus eſſet maximè interna, profunda, occulta, nec ſe viſibili ſpecie foras proderet.

E. 5. Ad eumdem textum ſic quotidiana 4. libr. explicatio tom. 3. in libr. *Chum yum*. art. 33. cœli Dominus ità ipſe ait: ego diligo, in corde foveo ut ſuprà in contextu.

F. 6. Ad 10. textum sic interpres *Tsay Xin* lib. Annal. Imper. tom. 4. cap. *Tay xi*: quod Cælum videt, & audit, inquit Princeps *Vu vam*, id ex populis oritur, &c. ut suprà in contextu.

Paragraphus VII.
De Immensitate & Æternitate
Tien, ac *Xam Ti*
Juxta recentiores Interpretes.

Videamus an hi Authores etiam aliquid innuant de Dei immensitate & æternitate; sic de *Tien* ac *Xam Ti* id est Cœlo, cælive Domino loquuntur: nihil est ad quod Cœli intelligentia ac perspicacia non pertingat; hinc omninò colenda est; quemadmodum, inquit Doctor *Cham*, pietas seu animi rectitudo tam intimè actiones penetrat ut in illis semper reperiatur; ita Cœlum tam intimè res pervadit ut ab eo separari nequeant (A). Cœlum idem est ac Ratio; Ratio autem ad omnia se extendit & ubique existit; ideò Cœlum ad omnia se extendit, & ubique videt (B); immensus & amplissimus cœli Dominus est hominum in hoc infimo orbe degentium Rex (C). Qui dominatur ac gubernat in medio rerum omnium Cœli, terræ, dierum, ac noctium, sitne hîc an illîc; sitne simul an non sit, cùm nemo ejus locum valeat concipere, & comprehendere; numquid illius incomprehensibilitas una & eadem est cum summa Cœli legis spiritualitate, seu unus & idem est Spiritus incomprehensibilis (D)? Id quod dominatur in quietem *Tn* & motum *Tam*, sive in rerum productiones est Ratio; hæc Ratio est Spiritus; quæ quia hîc existit, & hîc non existit; ideò dicitur Spiritus incomprehensibilis; dum enim mutatur quies *Tn* in motum *Tam*, tunc Ratio existit in motu *Tam*; & dum motus *Tam* mutatur in quietem *Tn*; tunc Ratio existit in quiete *Tn*. Quia autem utrobique existit, ideò dicitur hîc existere & hîc non existere; & quia hîc existit & hîc non existit, ideò non potest comprehendi; & quia non potest comprehendi, ideò dicitur Spiritus (E); nimirum vult dicere quòd Spiritus in omnibus actionibus & cessationibus, seu conservationibus, in omnibus vicissitudinibus & mutationibus reperiatur; Spiritus enim nullo loco non existit, nec ullum habet determinatum locum (F). Deinde Ratio dicitur etiam Spiritus, quia est Dominus ac Rector, seu

quia

quia in omnia dominatur & omnia regit (G); Cœli Lex assiduè volvens & agens nullo loco non extat; idcircò vir sapiens nullo non tempore reverentiam servat (H).

Jam verò si quis animadvertat quomodo Deus omnia ubique videat, penetret, regat; quomodo omnia sint in Deo & contineantur à Deo; quomodo Deus insit in rebus, non ut pars sed ut agens & causa seu Ratio; quomodo sit in uno loco ità ut sit etiam extra illum; quomodo immutabiliter agat; hæc præfata omnia facilè poterit applicare incomprehensibili ejus immensitati & æternitati.

Textus Librorum.

A. 1. Ad 2. textum cap. præc. §. 7. de *immensitate* & *æternitate* sic interpres *Chu hi* lib. carm. tom. *Ta ya* odâ *fan:* nihil est ad quod &c. ut suprà in contextu.

B. 2. Ad eumdem textum sic compendiosa libri carm. compilatio ibidem: Cœlum idem est &c. ut suprà in contextu.

C. 3. Ad 4. textum sic eadem compend. compilatio tom. *Ta ya*. odâ *tam:* magnæ Imperii confusiones ac tumultus semper ex aliqua causa oriantur necesse est; jam verò immensus ille & amplissimus cœli Dominus reapse est hominum in hoc orbe infimo degentium Rex, & in eos verâ bonitate dominatur.

D. 4. Ad 5. textum sic vera lib. mutat. ac product. explanatio seu explicatio tom. 17. part. *Xam chuen* art. 4. qui dominatur in medio &c. ut suprà in contextu.

E. 5. Ad eumdem textum eadem explanatio sic: assidua Cœli ac terræ actio, omnium rerum productiones, dierum ac noctium cursus non egrediuntur limites quietis *Yn* & motûs *Yam*; quies enim *Yn* mutatur in motum *Yam*, & motus *Yam* rursus mutatur seu transit in quietem *Yn* nempe conservationem; atque hoc est quod vocatur Doctrina libri mutationum ac productionum. Ista quies *Yn* & motus *Yam* est aër, seu res sensibilis vel vitalis principii actio & passio. Unde quod in hunc aërem dominatur, eúmque regit est Ratio; Ratio enim est, quæ in istas alternantes quietis *Yn*, & motûs *Yam* productiones ac mutationes dominatur, cásque regit. Idcircò Confucius in articulo sequenti indicat istam alternantem quietis *Yn* & motûs *Yam* mutationem esse Rationem; Spiritus verò est tantum ista Ratio, quæ quia hîc existit & hîc non existit, ideò

ideò dicitur Spiritus; quia autem, ait interpres *Cham*, hîc exiſtit & hîc non exiſtit, ideò comprehendi non poteſt. Dum enim quies *Yn* mutatur ſeu tranſit in motum *Yam*; tum hæc Ratio exiſtit in motu *Yam*; & dum motus *Yam* tranſit in quietem *Yn*; tum hæc Ratio exiſtit in quiete *Yn*. Quies *Yn*, & motus *Yam* tantùm verſantur circa productiones ac mutationes; hæc autem Ratio utrobique exiſtit, ſeu nullibi non exiſtit; idcircò ea dicitur hîc exiſtere, & hîc non exiſtere ſeu bilocari; & quia bilocatur, ſeu hîc exiſtit & hîc non exiſtit, ideò non poteſt comprehendi; quod autem non poteſt comprehendi, illud eſt Spi-

F. ritus. Hinc in libro mutationum ac productionum dicitur *Spiritus caret certo loco determinato* id eſt nullo loco non exiſtit, nec ullum locum determinatum habet. Dum ibidem dicitur: *Doctrina Libri mutationum ac productionum caret determinato objecto*, id eſt quies *Yn* & motus *Yam* quæ tantùm verſantur circa mutationes ac productiones, non habent unam ſenſibilem determinatam materiam. Rurſus paulò pòſt ſic: aſſidua Cœli ac terræ actio, omnium rerum productiones, dierum ac noctium curſus, hæc omnia in ſe continent Spiritum mutantem, ac producentem. Mutatio enim, ac productio à Ratione efformatur; idcircò & in doctrina libri mutationum ac productionum ineſt etiam Spiritus mutans ac producens. Deinde paulò poſt: iſta verba, *Spiritus caret loco determinato, & doctrina Libri mutationum ac productionum caret objecto determinato*, etiam intelliguntur de viro ſapiente, in quantum ſuum ſpiritum mutantem ac producentem unit cum Cœli legis Spiritu mutante ac producente. Atque ſic patet eum poſſe illam Cœli legem & cognitione aſſequi, & opere imitari atque adimplere.

G. Denique paulò infra: Spiritus mutans ac producens eſt unicus; prout enim eſt Dominus ac Rector ſeu prout dominatur ac regit, dicitur Spiritus; prout eſt aſſiduè volvens ac movens, ſeu prout aſſiduè volvit, ac movet, dicitur mutans ac producens. Et ſic adæquatè explicantur iſtæ voces *Spiritus mutans ac producens.*

H. 6. Ad textum libri ſentent: art. 16. dicentem: *tria ſunt, quæ ſapiens veretur*, ſcilicet *Cœli lex*, *viri illuſtres*, *Sapientum effata*; ſic quotidiana quatuor librorum explicatio tom. 10: hi tres ſapientis viri metus, cùm maximè morum compoſitionem, ſuíque ipſius cuſtodiam ac vigilantiam ſpectent, proveniunt ex eo quòd vir ſapiens probè cognoſcat Cœli legem aſſiduo curſu volventem, & agentem nullo loco non extare; id-

idcircò ipse nullo non tempore reverentiam & cautelam diligentissimè servat.

Paragraphus VIII.

De Simplicitate *Tien,* ac *Xam Ti* juxta recentiores Interpretes.

Quamvis jam multa dixerimus, & adhuc plura posteà dicturi simus de Cœli Spiritu seu Simplicitate; pauca tamen hîc etiam appono. Sic ergo illi Auhores: Princeps *Ven vam* & *Vu vam*, verè potuit fieri spiritualis Cœli dominus, (nempe Pontifex) sive ut dixi suprà, à spirituali Cœlo constitui Dominus (A); Spiritus est quædam excellentia incomprehensibilis. Id quo quatuor anni tempestates non aberrant, habetur à Cœli viæ Spiritu, seu à Cœli agendi rationis Spiritu; nihil autèm magis spirituale, quàm Cœli via esse & concipi potest (B). cœli Spiritus respici ac videri non potest; sed in quatuor anni tempestatibus assiduè sinè errore volventibus potest videri ejus spiritualis agendi ratio (C). Cœlum prout est quædam summa excellentia dicitur Spiritus; prout est operum Effector, dicitur producens & destruens seu Author (D). Denique Cœlum non est, ùt terra, aliquid corporeum & sensibile (E). cœli Dominus in dirigendis ad pacem hominibus, non specie externa aut voce aliquâ sensibili utitur (F). Ista mulier suo splendido ornatu videtur quasi referre Cœli, cælive Rectoris spiritum (G).

Ex his vides spiritualitatem adeóque simplicitatem Cœlo attribui, ipsúmque Cœlum vocari Spiritum, quem vel per excellentiam incomprehensibilem, vel per rerum Effectorem Authorémque passim explicant.

Sic etiam S. Thomas in epist. ad Rom. 1. per viam Excellentiæ, negationis, Causalitatis Deum explicat; *invisibilia*, inquit, *Dei*, est essentia divina invisibilis, quæ cognoscitur per viam negationis. *Virtus Dei*, est potentia Dei, quæ cognoscitur per viam causalitatis. *Divinitas*, est esse ultimum finem, & summum bonum quo omnia tendunt, quæ cognoscitur per viam *Excellentiæ.*

Nota dum hic interpres sinicus ad hunc textum: *respice spiritualem illam Cœli agendi rationem*, sic ait: *ista verba sunt vacuè dicta*, non vult dicere quod ista verba sint falsa, & inania; sed quod sint spiritualiter per intellectum sivè abstractivè vel de re insensibili dicta; spiritualis enim Ratio

tio non potest in se respici, utpote insensibilis & invisibilis; sed per intellectum fit abstractio (H).

Unde postea explicans alium textum sic rursus ait: ista vox *Xin* sumpta pro *reddere spirituale* seu *spiritualizare* dicitur *vacuè* (nempè abstractivè, & intentionaliter vel spiritualiter); sumpta autem pro *adjuvare Spiritum* dicitur physicè & realiter (I); *reddere spirituale* ibi significat quod in doctrina libri mutationum ac productionum repetiatur Ratio, quæ ejus opus spiritualizat seu reddit spirituale (K). Deinde dicit quod ista vox *Te* id est doctrina hujus libri mutationum ac productionum, dicatur vacuè, scilicet abstractivè seu præscindendo ab omni materia sensibili (L); imò interpres *Chu hi* dicit quod hæc Doctrinâ orta sit ex suspenso vacuo; quia ante symbolorum ænigmaticorum eorúmque numericarum lineolarum seu partium ex quibus conflatur, efformationem, quoad ipsam doctrinam, unica & pura Ratio; quoad hominem, unicus & tranquillus animus seu mens præexistit (M). Ex quo vides quod objectum istius doctrinæ sit unica & pura Ratio, nempe Ens reale, (alibi enim dicunt per istam vocem *Ratio* intelligi aliquod Ens verum & reale, non fictitium) & abstractum à materia sensibili & extensa, quale Philosophi communiter dicunt esse objectum Metaphysicæ; abstractum autem est juxta Philosophos vel realiter, ùt Deus, & Angeli; vel ratione, ùt prædicata Entis, substantiæ &c.

Itáque dici *vacuè*, non sumitur pro dici *fictè* & chymæricè, seu pro Ente rationis ratiocinante sine fundamento in re; sed vel abstractè realiter, vel abstractè ratione ratiocinata cum fundamento in re, ut jam dixi, sed hæc satis.

Textus Librorum.

A. 1. Ad 5. textum cap. præc. §. 8. *de simplicitate* sic interpres *Tsay xin* lib. Annal. Imper. tom. 5. cap. *To sam.* quia Principes *Ven vam* & *Vu vam* optimè noverant omnium animos conciliare atque colligere, omnésque virtutis partes implere, ideò verè potuerunt fieri spiritualis Cœli domini, seu pontifices.

B. 2. Ad 6. textum sic vera mutat. ac product. expositio tom. 6. symbolo *Quon*: ista vox *Spiritus* significat quamdam Excellentiam quæ nec bene concipi, nec exprimi potest. Dum dicitur *quatuor anni tempestates sinè errore volvuntur*; hoc significat Cœli viæ seu Cœli agendi rationis

tionis Spiritum. Et paulò infrà: denique ad id penitus explicandum, aſpice, ut in Cœlo iſta vitalis aura arcano & recondito modo ſinè intermiſſione ſemper agat, ac volvatur; quænam ſanè magis ſpiritualis agendi Ratio eſſe poteſt? tum paucis verbis interjectis ſic: vir verò & ſcientiâ & virtute abſolutus ideò ſpectabilis eſt; quia dum hîc ſectandæ veritati incumbit, illic populorum animos commovet; ſinè ullo vocis aut corporis ſenſibilis adminiculo, ſinè ullis apparentibus operum veſtigiis agit; quænam etiam magis ſpiritualis proponendæ doctrinæ ratio eſſe poteſt? & certè ſingularem ejus internæ virtutis excellentiam vix extrinſecùs apparentem, idcóque cœli Domini rei ſeu operationi, quæ voce & odore ſive omni ſenſibilitate caret, verè conſimilem nec homo comprehendere, nec exprimere valet. Deinde paulò infrà: dum dicitur *reſpice ſpiritualem illam Cœli agendi rationem*, iſta verba ſunt vacuè dicta; dum autem dicitur *quatuor anni tempeſtates ſinè errore volvuntur*; hæc ſunt verè id in quo ſita eſt ſpiritualis

C. agendi Cœli ratio. Oportet tantùm conſiderare verbum *reſpice*. Quî enim cœli Spirius reſpici aut videri poſſit? illum autem in quatuor anni tempeſtatibus ſinè errore volventibus reſpiciendo tunc poteſt reſpici, ac videri ſpiritualis Cœli via ſeu agendi ratio.

D. 3. Liber dictus naturæ ac rationis brevis expoſitio ſinicè *Sim ly piao ti.* tom. 3. art. *Tien ven*, author *Chim* quærens quæ ſit differentia inter *Tien* & *Xam Ti* ſeu Cœlum & cœli Dominum ſic ait: à materia ſenſibili appellatur Cœlum *Tien*, à dominio & regimine appellatur *Ti* Dominus ac Rector ſeu Imperator; à ſummâ Excellentiâ appellatur *Xin* Spiritus.; ab operationibus & effectibus appellatur *Quey Xin* Spiritus deſtruens & producens ſeu inviſibilis Author; à natura & efficacia appellatur *Kien* Potentia ſeu virtus activa. Illa (*Tien* & *Xam Ti*) ſunt reipſa unum & idem; ſed res, ex quibus nomina deſumuntur, diverſæ ſunt.

E. Ibidem interpres *Chi Tam hu* paulò pòſt ſic: iſtud Cœlum non eſt, ùt terra, aliquid corporeum & ſenſibile.

F. 4. Interpres *Tsay Xin* ad lib. Annal. Imper. tom. 5 cap. *To ſu*: cœli Dominus, ait author *Liu*, in dirigendis ad pacem hominibus non ſpecie externa aut voce aliquâ ſenſibili utitur, cúmque hominis animus pacem illam conſecutus, ſiſtere tamen adhuc neſcius, ad ulteriorem ſemper perfectionem anhelat; tunc patet illum à cœli Domino dirigi.

Quia autem Imperator *Kie* suæ rectæ rationis ductum evertebat, ideò pacem consequi non potuit. Cœli quidem Dominus verè illum dirigebat; sed *Kie* verè illum fugiebat; nec tamen continuò cœli Dominus illum abjecit, sed varia mala ac calamitates ei immisit, ut ostenderet suam intentionem, ac propensam ergo ipsum voluntatem; verùm nec vel sic iste *Kie* extimescere, nec cœli Domini jussum revereri & adimplere novit. Quin imò effrænes habenas omnibus suis libidinibus ac voluptatibus laxavit. Quamvis autem speciosis verbis fucaret sua scelera; non tamen Cælum illum consideravit ac audivit.

G. 5. Compendiosa lib. carm. compilatio, tom. *quæ sum* odâ *Kiun Tsu Kiai lao* sic: ad quid sanè sic iste Cæli Spiritus? ad quid, inquam, sic iste cœli Domini Spiritus?

H. 6. Vide hîc suprà num. 2. litterâ C.

I. 7. Vera lib. mutat. ac product. expositio tom. 18. part. *Chuen Xam* art. 9. in hunc textum: *recta agendi via se prodens, spiritualizat virtutis opus seu reddit spirituale, & idcircò potest Spiritui correspondere & eum adjuvare* seu cooperari sic ait: ista vox *Xin* (id est *spiritualizare*, seu *spirituale reddere, & Spiritus*) bis posita sumitur diversimodè. Primo loco sumitur *vacuè*, secundo realiter.

K. Reddere autem spirituale, ùt ibidem paulò infra ait interpres *Tsay hiu chay*, significat, quod in doctrina libri mutationum, ac productionum contineatur Ratio quæ ejus opus spiritualizat, seu reddit spirituale.

L. 8. In lib. eumdem mutat. ac product. part. *Chuen hia* art. 3. dicentem: *idcirco Ye seu liber mutationum ac productionum est rerum figura*, nempe symbolica; *figura autem est rerum repræsentatio seu imago*; Sic eadem vera expositio tom. 20. citans authorem *Tsay hiu chay*: ista vox *Ye* seu liber mutationum ac productionum dicitur *vacuè*.

M. 9. Eadem vera hujus libri mutat. ac product. expositio in tomo præliminari citans authorem *Chu hi* sic: Doctrina libri mutationum ac product. orta est ex suspenso *vacuo*. Doctrina libri Annal. Imperialium, ex præexistente boni regiminis norma; & doctrina libri carminum ex præexistentibus hominum affectionibus ac moribus emanavit; sed ante doctrinam libri mutationum ac productionum nil simile præexistebat, tantum ex suspenso *vacuo* (nempe Ente abstracto à materiâ) orta est. Ante symbolorum enim ænigmaticorum, eorúmque

que numericarum lineolarum efformationem, quoad ipsam doctrinam, unica & pura Ratio; quoad hominem, unicus & tranquillus animus seu mens praeexistebat.

Paragraphus IX.

An praefati Interpretes moderni recedant à sensu originali librorum antiquorum in significatione vocis *Tien*, & *Xam Ti*?

Vidimus in capite primo originales libros antiquos & classicos attribuere Cœlo & cœli Domino, id est *Tien* & *Xam Ti* easdem perfectiones, quas nos vero Deo attribuimus; unde arbitramur aut colligimus per istam vocem *Tien* & *Xam Ti* significatum fuisse Deum apud Sinas antiquos. Nunc inspiciamus an Interpretes moderni in superioribus octo paragraphis adducti adulterârint aut corruperint antiquum illorum sensum? & ad id ostendendum breviter singula Attributa in istis paragraphis posita resumo, & de iis quid dicant, summatim appono.

1. De *Dominio* dicunt, quod *Tien* seu *Xam Ti* constituat Reges ac Doctores tanquam sui Vicarios atque adjutores ad populos regendos ac docendos; sequentibus rectam rationem immittat bona; transgredientibus mala; corpus hominis producat, & ei naturam intelligentem infundat; fiant illi utpote cœli Domino, ac Rectori, spirituíque intelligenti sacrificia; Chinæ Imperatores cum suis populis illi inservierint.

2. De *Potentia* dicunt, quòd ejus virtus sit prima omnium rerum radix ac principium, sítque aliquid internum ac liberum; agendo in caligine mysteriosa det cuivis rei initium, augmentum, directionem, perfectionem sui esse; nec sensu nec cogitatione possit comprehendi, nec figurâ exprimi; omnia dirigat; omnes res mundi producat, ac perficiat; nec videri possit nisi in suis effectibus; sibi obsequentes adjuvet; pericula arceat; populos stabiliat, uniátque ad simul cohabitandum.

3. De *Scientia* dicunt, quòd sit perspicacissimus, intelligens, omnia Chinæ regna respiciat, eáque quæ agimus, quotidie intueatur; in mysteriosa caligine homines cognoscat; homines non possint illum fallere.

4. De *Voluntate* dicunt, quòd sit difficile scire Cœli voluntatem; tacito modo Cælum suam ostendat intentionem; non liceat hominibus

voluntatem Cœli frustrare suo fine; Princeps suâ virtute devinciat Cœli cor, & ab eo jubeatur regna pacare; Cœlum neminem odio habeat; sit pium ac misericors; amet populos; velit Imperii pacem; in eo sit voluntas, lex, providentia, arbitrium.

5. De *Justitia* dicunt, quòd clarissimè omnia discutiat, examinet, bonos felicitate penset, malos infelicitate affligat; æquus princeps in pœnis ac præmiis tantùm spectet id, quod Cœli cor spectat ac sanxit.

6. De *Vita* dicunt, quòd *Xam Ti* in somnis sit allocutus Imperatorem N., & verè qui eum allocutus est, existat; Imperatores constituat; in corde foveat, diligat, regat eorum virtutes.

7. De *Immensitate* & *Æternitate* dicunt quòd ad omnia se extendat, ubique existat, ubique videat, nihilque sit, ad quod ejus intelligentia ac perspicacia non pertingat; res intimè pervadat; nemo valeat ejus locum comprehendere; sit immensus & amplissimus hominum Rex; Cœli lex semper agat, & assiduè voluatur.

8. De *Simplicitate* seu *Spiritualitate* dicunt, quòd *Xam Ti* sit Cœli Spiritus; Cœli Spiritus videri non possit nisi in ipsius operibus, & spirituali agendi ratione; Spiritus sit excellentia incomprehensibilis, à quo quatuor anni tempestates reguntur; Cœlum non sit aliquid corporeum & sensibile sicut terra.

Nunc ad propositum. Omnes isti modi loquendi non videnter differre ab illo originali sensu antiquorum librorum, quos in capite primo attulimus; imò videntur subinde expressiùs, efficaciùs, & clariùs explicare quod generaliter illi dixerant; adeóque omnes perfectiones, quas Antiqui attribuerunt *Tien* Cœlo, & *Xam Ti* cœli Domino, etiam ei attribuunt Moderni. Ergo sicut apud antiquos Sinas per voces *Tien* & *Xam Ti* significatum fuisse Deum ex eorum libris judicavimus; ità apud modernos per easdem etiam significari Deum ex eorum libris conjicimus. Porrò animadverte, ùt jam suprà dixi, quod quando in hoc capite non attuli interpretationem recentiorum Authorum ad varios originales textus in capite præcedenti allatos, signum sit hos nihil habere diversum ab illis.

Sed dices quod recentes Authores istam vocem *Tien Cœlum* sæpius explicent per vocem *Ratio*, per vocem *Lex*, per vocem *aër* seu *vitalis aura*, per vocem *tempus* seu *temporis revolutio*, per vocem *primum vacuum*, per vocem *corpus sensibile*, & similes; deinde *Xam Ti* cœli Dominum confun-

fundant cum *Cælo*, adeóque videatur harum vocum significatio discrepare à vera supremi Numinis significatione. Nunc ad hæc omnia in sequentibus quæstionibus respondebimus. Itaque

QUÆSTIO II.

Quomodo vocem *Tien* seu *Cœlum* explicent recentiores Authores, & an *Tien* distinguant à *Xam Ti*, seu Cœlum à cœli Domino?

TRia hìc maximè explicanda mihi videntur 1. quænam sit concordia omnium vocum, quibus Cœlum & cæli Dominus appellatur? 2. Utrùm Spiritus cœli sit Anima cœli? 3. Quænam sit identitas hominis cum Cœlo juxta Sinas?

Resp. ad 1. certum est juxta illos, quod illa vox *Xam Ti* significet cœli Dominum vel cœli Rectorem, vel potius cæli Dominum ac Rectorem (A); Et quod hic cœli Dominus seu *Xam Ti* sit Spiritus (B). Insuper quod hic Spiritus seu cœli Dominus sit idem ac Cœlum (C). Spiritus autem est summa quædam excellentia (D). Dum ergo aliis nominibus Cœlum aut cœli Dominum explicant, volunt per hæc significare aut adumbrare varias ejus perfectiones; alioquin pugnantia dicerent. Itaque dum dicunt quod Cœlum seu cœli Dominus sit Ratio, debet intelligi quod cœli Dominus sit suprema ac prima omnium rerum Ratio tum in causando tum in essendo; unde ulterius dicunt: hæc Ratio substantialiter seu essentialiter & causaliter sumpta est Cælum; infusè sumpta est natura; conservativè sumpta animus. Vel sic: prout est in Cœlo, dicitur Lex; prout est in hominibus & aliis rebus, dicitur natura; prout est in actionibus, dicitur via seu norma; ubique semper Ratio (E). Numquid hoc habet aliquam similitudinem cum sententia priscorum Philosophorum Platonicorum, qui ponebant triplicem rerum statum, nimirum idealem in mente divina, naturalem in rerum productione cum participatione & impressione idearum, & rationalem in mente humana? idea enim nîl est aliud quàm ratio exemplaris. Deinde colitur Cœlum, inquiunt, quia Cœlum est id in quo Ratio subsistit (F). Et Cœlum ùt est Ratio, non est Corpus sensibile ac materiale (G). Hujus Rationis essentia seu substantia dicitur Cœlum; prout dominatur, dirigit, ac regit, dicitur cœli Domi-

minus ac Rector (H). Præterea Cælum quatenus illi ceu legislatori est obtemperandum, dicitur Lex (I). Quatenus Providentia, dicitur temporis revolutio (K); (id est habet providentiam, legem &c. de quibus infrà) quatenus est substantia insensibilis, incorporea, simplicissima, dicitur primum vacuum. Hoc vacuum non sumitur pro Ente sensibili & corporeo, quale est vastum æthræ inane spatium; vel pro re ficta, seu non existente; sed pro Ente verè existente & Ratione; hócque sumitur dupliciter: 1. ùt est quid incorporeum 2. ùt est quid ante rerum existentiam. Hinc Deus in lapideo monimento Christianæ Religionis Chinam ingressæ ante annum Christi 700. exprimitur per voces *Lim hiu* spiritualis & *vacuus*; per voces *Hiuen kiu* mysteriosus rerum cardo; per voces *Tsao hoa* causa efficiens; per voces *Xin Tien* spirituale Cœlum (L). Jam verò cùm istud primum vacuum sit idem ac *Tay kie* seu primus rerum Terminus (M); ergo *Tay kie* aliquando etiam potest sumi pro Cœlo; sed de hoc infrà in Quæst. 6. Insuper ista vox vacuum sumitur ùt est quid vivum, non verò ùt quid mortuum (N). Denique Cœlum seu cœli Dominus quatenus est Effector, Conditor, Author, dicitur Spiritus producens & destruens (O); quatenus est principium vitale dicitur aër, seu vitalis aura, de quo in Quæst. sequenti.

Ex his vides omnia ista diversa nomina quibus Cœlum exprimunt, posse optimè vero cœli ac terræ Domino applicari; quo circa dum explicantes istam vocem Cœlum sic ajunt: à materia seu à substantia sensibili dicitur *Tien* Cœlum; à dominio & regimine dicitur *Ti* Dominus ac Rector (P); intelligendi sunt hoc sensu: vel quòd Cœlum in sua propria significatione sumptum significet illud corpus sensibile & materiale, non autem in tropica, in qua sumptum significat cœli Dominum ac Rectorem; vel quòd cœlum vastissimâ sui corporis sensibilis extensione ac magnitudine quâ tegit & comprehendit omnia, repræsentet imensum cœli Domini ac Rectoris essentiam omnia comprehendentem; vel quod cœli Dominus extensione cœli mediatè omnia tegat ac comprehendat; vel potius ùt apertè dicunt, *Tien* & *Xam Ti*, reapse est unum & idem; sed res, ex quibus ista nomina deducuntur, sunt diversæ; hîc infrà in textibus n. 7. littera B. Cum ergo illi Sinæ dicant quod Cœlum & cæli Dominus seu cœli Spiritus sit unum & idem (Q); & rursus dicant quod sit Ratio, seu aliquid incorporeum, & insensibile; certè ut cohærenter loquantur, debent dicere illud Cœlum in sensu & significatione, in qua asserunt esse unum & idem

cum

cum cœli Domino, tunc sumi ut incorporeum & insensibile; atque ita Cœlum in tropica tantum ac figurata significatione est unum & idem cum cœli Domino ac Rectore, non autem in propria; nam cœli Dominus ac Rector utpote Spiritus, est quid incorporeum & insensibile. Cœlum in propriâ significatione est quid corporeum & sensibile.

Respondeo ad 2. Spiritus ille cœli non est Anima cœli, seu forma substantialis corporis cœlestis; Sinæ enim non tantùm non sequuntur, imò nec sciunt illum Priscorum Philosophorum errorem asserentium Cœlum esse animatum conflatúmque ex corpore & animâ seu spiritu. Quod evidenter hinc patet; siquidem dicunt quòd Cœlum idem sit ac cœli Dominus, & cœli Dominus idem sit ac Cœlum, sive quòd Cœlum sit cœli Dominus & cœli Dominus sit Cœlum (R). Non potest autem dici corpus est idem ac anima, & anima est idem ac corpus, seu corpus est anima, & anima est corpus. Deinde ut videre est ex iis quæ hactenus dixi, passim accipiunt cœli Dominum pro supposito, non pro parte suppositi; nec unquam Cœlum opponunt cœli Domino tamquam partem comparti; sed tantùm sub tali respectu vocant Cœlum; sub alio respectu vocant cœli Dominum, asserentes utrumque unum & idem esse; atque ita clarum est Sinas non facere ex Cœlo & cœli Domino unum compositum partim materiale, partim spirituale. Vide adhuc aliquid de hac re in quæstione sequenti dico 2. sub finem.

Respondeo ad 3. primo dum dicunt illi Authores quod vir sapiens & perfectus cum Cœlo unum efficiat, Cœlóque uniatur; vel intelligendi sunt de viri sapientis virtute, quæ est eadem in effectis cum Cœli virtute, non in substantia (R), aut certè illi similis (S); vel etiam intelligendi de perfecta unione ejus rationis cum Cœli ratione (T); & ejus voluntatis cum Cœli voluntate (V); penè juxta hunc Apostoli sensum: qui autem adhæret Domino, unus Spiritus est. 1. ad Corinth. 6. Unde vir perfectus quamvis intimè Cœlo uniatur; Cœlum tamen & vir perfectus etiam vel sic sunt adhuc binum quid (X).

2. Dum dicunt quod hominis & Cœli ratio sit una (Z); vel intelligendi sunt de unitate generica, vel de lege naturali, quæ aliquando à Theologis confunditur cum Lege divina; quia licèt lex naturalis sive rationis dictamina de agendo vel fugiendo quod est naturæ rationali conforme vel difforme, physicè producantur seu eliciantur ab hominis intellectu; cùm tamen necessariò procedant ex impressione luminis à Deo in-

 diti,

diti, sintque ejus imperia formaliter dirigentia, & obligantia; ideò ipsi Deo tamquam Legislatori etiam rectè adscribuntur. Vide ea quæ dixi de Lege æterna cap. 2. quæst. 1. §. 1.

3. Dum Imperator post mortem vocatur Cœlum; istud nomen est tantùm tropicè mutuatum. Eodem modo res Imperatoris etiam vocantur Cœlum seu cœlestes (W); nimirum quemadmodum dicimus Doctor *Angelicus*, Orator *divinus*, *Cœlestis* prudentia.

Itaque ista recentiorum Authorum explicatio benè intellecta non videtur immutare veram cœli Domini significationem; sed aliis terminis magis generalibus & paulò obscurioribus eam involvit.

Jam verò si velis videre quomodo cœli Dominus sub variis Rationis, Spiritus, Effectoris, Naturæque nominibus adumbratus, juxta illos omnia faciat ac destruat, regat, gubernet, sitque primum omnium rerum Principium, primum Ens, primum movens; accipe quæstionem sequentem.

Textus Librorum.

A. 1. In lib. Carm. tom. *Ta ya* odâ *Ven vam* sic interpres *Chu hi*: istæ voces *Xam Ti* significant cœli Dominum ac Rectorem.

A. 2. In libro mutat. ac product. parte *Xue qua* art. 5. idem interpres *Chu hi* sic: *Ti* (sive *Xam Ti*, unum enim & idem est) cœli Dominum ac Rectorem significant.

A. 3. In lib. Rituum tom. 2. art. 6. *Tue lim* sic interpres *Chin hao*: *Ti*, id est cœli Dominus, ac Rector, seu significat cœli Dominum ac Rectorem.

A. 4. In lib. Annal. Imper. tom. 4. cap. *Hum fan*, interpres *Tsay Xin* explicans illam vocem *Ti* sic: quatenus Dominus, ac Rector, dicitur *Ti*; quatenus Ratio, dicitur Cœlum.

B. 5. In lib. Carm. tom. *Siao ya* odâ *Chim yve* sic interpres *Chu hi*: *Xam Ti* id est cœli Spiritus; à figura & substantia sensibili, inquit Doctor *Chim*, dicitur Cœlum; à dominio & regimine, dicitur *Ti*.

B. 6. In lib. Rituum tom. 5. art. 11. *Kiao Te sem* sic interpres *Chin hao* citans interpretem *Chu hi*: *Xam Ti* idem est ac Cœlum, sive *Xam Ti* id est Cœlum; dum exprimitur ut est Cœli collectim sumpti Spiritus, vocatur *Xam Ti*.

B. 7.

B. 7. Liber dictus naturæ ac rationis brevis expositio sinicè *Sim li piao tt* tom. 3. art. *Tien zen*, author *Chim* agens de Cœlo: à figura, inquit, & substantiâ sensibili dicitur Cœlum; à dominio & regimine dicitur *Ti* seu cœi Dominus ac Rector; à summâ excellentiâ dicitur Spiritus; ab operationibus & effectibus dicitur Spiritus producens ac destruens, seu invisibilis Author; à natura & efficacia dicitur Potentia seu Virtus activa; illa (*Tien* ac *Xam Ti*) sunt reipsa unum & idem; sed res ex quibus nomina delumuntur, sunt diversæ. Vide etiam cap. 2. quæst. 1. §. 2. n. 9. litt. Q. & alibi.

C. 8. In lib. Carm. tom. *Cheu Tsum* odâ *ngo tsiam* interpres *Chu hi* citans interpretem *Chim* sic: Cœlum idem est à *Ti* seu cœli Dominus, ac Rector; vel dic: Cœlum, id est cœli Dominus ac Rector.

C. 9. In libr. sentent art. 7. interpres *Tsay hiu Chay* in comment. *Su xu mum yn* tom. 6. sic: ista vox Cælum ibi sumitur, ut est Dominus ac Rector.

D. 10. Interpres *Chim y* in lib. sic: Cœlum ac cœli Dominus *Tien* & *Ti* unum & idem est; Cœlum exprimit Cœli substantiam; *Ti* exprimit cœli Dominum.

D. 11. Vide hîc suprà num. 7. litterâ B.

E. 12. Interpres *Tsay hiu Chay* in comment. *Su xu mum yn* tom. 15. ad lib. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic, referens ut videtur, aliorum sensum: hujus litteræ seu vocis *Cœlum* significatio maxime spectit Rationem. Cœlum est ipsa Rationis substantia, sive essentia: hinc dicitur: rectè agendi rationis magna origo à Cœlo oritur. Dum dicitur, *qui noscit naturam, hic & Cœlum noscit*, (sunt verba Memcii) fortasse intelligitur quòd nosse naturam sit nosse effectum; & cùm insuper ejus causa noscitur, quòd tunc sit ultimum facultatis intellectivæ opus, ac terminus. Cœlum enim est id ex quo ratio oritur; nec tantùm id ex quo effectus, sed etiam id ex quo causa oritur. Ut dum dicitur Confucius annos 50 natus novisse Cœli Legem, ibi causa quæ Cœlo adscribitur quatenus effectui opponitur, est quid duplex; atque hoc est quod Adultorum scientia vocat effectûs normam, & causæ causam.

E. 13. In lib. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic interpres *Chu hi* citans Doctorem *Chim*: *Cor, Natura, Cœlum*, sunt tantum una Ratio (nempe generica); quatenus Ratio, dicitur Cœlum; quatenus infunditur ac recipitur, dicitur natura; quatenus conservat ipsum hominem, dicitur

cor seu animus. Quatenus primum Vacuum, inquit Doctor *Cham*, dicitur Cœlum; quatenus vitalis seu activa aura, dicitur via seu agendi norma; quatenus Vacuum junctum aëri, dicitur natura; quatenus natura juncta facultati intellectivæ, dicitur cor seu animus.

E 14. Interpres *Tsay hiu chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 3. in lib. immutab. med. art. 26. sic: hæc Ratio, pro ut est in Cœlo &c. ùt suprà in contextu.

F. 15. Interpres *Tsay Xin* in lib. Annal. Imper. tom. 3. cap. *Tay Kia* sic: dicitur coli Cœlum, quia Cœlum est id in quo ratio existit; nullo vel minimo motu, quiete, verbo, silentio fas est illud aspernari, & temnere.

G. 16. Interpres *Tsay hiu Chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 5. in lib. sentent. art. 3. hunc locum: *si in Cœlum peccaveris, non est ad quem confugias deprecaturus effugium*, sic ait: quod attinet ad id quod dicit interpres *Chu hi*: *ista vox Cœlum idem significat ac Ratio:* ego existimo per hanc interpretationem quâ asserit Cœlum propter quod est Cœlum *esse tantùm Rationem*, istam vocem *Cœlum* non indicare Cœlum prout est corpus sensibile, ac materiale; nec prout ut est rerum productor; sed sistere in solâ voce *Ratio*. Tùm paucis verbis interjectis sic pergit: Confucius enim tantùm usus est istâ voce *Cœlum* ad deprimendam Spiritûs foci, & Spiritûs anguli in cubiculo Austro-occidui potestatem; quódque maximè spectat, est Ratio dirigens seu docens; idcircò dicta in-

H. terpretatio posuit vocem *Ratio*. Hujus rationis dirigentis seu docentis substantia aut essentia dicitur Cœlum; hujus Dominus ac Rector dicitur *Ti* seu *Xam Ti*. v. g. inter Patrem & filium amor; inter Regem & subditum æquitas intercedit; quamvis id ratio exigat; prius tamen necesse est, ut suprà existat aliqua Ratio dirigens, quæ id doceat ac dictet; tunc ista æquitas & amor intercedere scitur.

I. 17. Interpres *Tsay hiu chay* comm. *Su xu mum yn*, tom. 13. in lib. 2. Memcii cap. 3. *Van cham xam* agens de Cœlo sic ait: quando exprimitur ut est Dominus ac Rector, dicitur Cælum; quando exprimitur ut est illi obtemperandum, dicitur Lex.

K. 18. In lib. sentent. art. 9. hunc locum *Confucius rarissimè loquebatur de lucro, de providentiâ, de pietate seu cordis rectitudine*, sic quotidiana 4. lib. explicatio tom. 7. Providentia complectitur & rationem, & temporis

poris revolutionem ſeu tempus; idcircò eſt quid vehementer ſubtile & comprehenſu difficile. Vide etiam cap. 2. Quæſt. 1. §. 4. num. 14. litt. P. & R.

L. 19. In lib. 2. Memcii cap. 7. *Cin ſin cham* Interpres *Tsay hiu chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 15. agens de Cælo ſic: primum Vacuum eſt id quod dicitur *Tay Kie*, id eſt primus rerum terminus; Vacuum eſt vocabulum ſignificans rem aëri (ſeu rei corporeæ) non permixtam; id autem quod eſt ſenſibile ſeu corporeum, & inferius ſeu ſecundarium, dicitur aër. Utrumque eſt quid reale & verè exiſtens; attamen Ratio dumtaxat eſt vacua, nempe incorporea.

Deinde paulò infrà ſic pergit: primum Vacuum dupliciter explicatur. 1. Ut eſt quid voce & odore, ſeu ſenſibilitate expers. 2. Ut eſt quid ante rerum exiſtentiam.

Et paulò infrà: hîc primum Vacuum ſumitur, prout eſt Ratio; alibi etiam ſumitur, ut eſt quid ſenſibile & corporeum; adeóque idem ac primum inane, ſeu vaſtum æthræ inane ſpatium.

Denique paulò pòſt ſic; alii dicunt: dum dicitur *excelſi Cæli res, ſeu natura eſt voce, & odore expers; quocircà Cælum vocatur primum Vacuum*, iſtud primum Vacuum exprimitur ut eſt Ratio, non ut eſt corpus & aër; ſivè prout eſt aliquod Ens ratione conſtans, non autem corpore & aëre ſeu re ſenſibili; hæc explicatio verè cohæret ſenſui ac menti Doctoris *Cham*, & Doctoris *Chu hi*. ità ille.

L. 20. Vetus lapideum monimentum Religionis Chriſtianæ olim Chinam ingreſſæ ſic incipit: dum attentè contemplor veram illam Quietem velut perpetuam; illud Ens, quod omnia priora præcedit, carens principio; ſpirituale & *vacuum* velut aliquid profundiſſimum; illud perfectiſſimum Eſſe carens fine; illum univerſaliſſimum, excellentiſſimum, myſterioſúmque rerum Cardinem ac Cauſam effectricem, quæ ſua exemplari ac grandi Majeſtate omnes Sanctos exornat ac perficit; annon ipſe eſt Ego (nempe ſum qui ſum) Trinus & Unus, perfectiſſima ſubſtantia ſine principio verus Dominus *Eloho?* (ſcilicet chaldaicè *Eloho* Deus. Sinæ pronunciant *e* ſicut *nghe*, quia carent vocalibus *a* & *e* in principio dictionis, adeóque pronunciant *nghe loho*. Poteſt etiam juxta illos iſtud nomen pronuntiari ſic: *oloho*).

Ibidem paulò infrà ſic: ſpirituale Cælum manifeſtavit (nempe per Gabrielem Archangelum) felicitatem; Virgo peperit Sanctum in re-

gno *Ta cin*; (regnum Judeæ vocatur à Sinis *Ta cin*); ſplendidior ſtella nunciavit proſperum ejus adventum.

M. 21. Vide hîc ſuprà num. 19. litt. L.

N. 22. Interpres *Tsay hiu chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 1. in lib. Adultorum ſcientiam, ſinice *Ta hio* ſic: iſta vox *Vacuum* à noſtris Doctoribus uſurpatur, ut eſt quid vivum; à ſectariis *Fœ* & *Tao* id eſt Idololatris, ut eſt quid mortuum. Ibidem agendo de animo, qui etiam dicitur vacuus, & intelligens: per has, inquit, duas voces *vacuus* & *inteligens* diſtinguitur illius motus & quies, illius ſubſtantia & effectus; hæc vacuitas, inquit Author *To hi*, eſt ſicut vacua ſpeculi planities; & intelligentia eſt ſicut ſpeculi ſplendor, ſeu repræſentatio. & paulò infrà: animus iſta vacuitate poteſt recipere omnium rerum rationes, & iſtâ intelligentiâ occurrere ſeu correſpondere omnibus negotiis; & propter hæc duo, vocatur *lucida facultas*, nempe rationalis.

O. 23. Vide hîc ſuprà num. 7. litterâ B.

P. 24. Interpres *Tsay Xin* in lib. Annal. Imper. tom. 3. cap. *Chum hoei chi Kao* ſic: à materia ſeu à corpore & ſubſtantiâ ſenſibili dicitur *Tien* Cælum; à Dominio & regimine dicitur *Ti* Dominus ac Rector.

P. 25. Idem Interpres *Tsay Xin* in lib. Annal. Imper. tom. 5. cap. *Kiun Xe* ſic: dum *Y che* & *chin hu* agebant primos Imperatoris *Tay meu* Miniſtros, ſapientes adjuvabant ſapientem: hinc ejus regimen regiminiſque effectus potuit Cæli cor ſatiare. Dum hoc exprimitur ut omnia tegit, dicitur *Cælum*; dum exprimitur ut in omnia dominatur & omnia regit, dicitur *Ti* ſeu cœli Dominus ac Rector: ſed libri ſivè vocent Cœlum, ſivè vocent cæli Dominum ac Rectorem, hoc faciunt juxta id, quod indicant; non eſt majoris aut minoris præſtantiæ diſcrimen.

Q. 26. Interpres *Chin hao* in lib. Rit. tom. 5. art. 11. *Kiao te ſem* citans Doctorem *Chu hi* ſic: Petes in loco ſuburbano dicto *Kiao* fit ceremonia *cy* Principi *Heu cie* conferendo illum cum Cœlo; in Aula Imperiali fit ceremonia *cy* Principi *Ven vam* conferendo illum cum cœli Domino Sed cœli Dominus nihil eſt aliud quàm Cælum, & Cœlum nil aliud quàm cœli Dominus. Eccur igitur illa ceremoniæ *cy* diverſitas? Vide poſteà reſponſum in quæſt. 5. in textibus num. 1. litterâ A.

Q. 27. Vide hîc ſuprà num. 10. litterâ C.

R. 28. In lib. Carm. tom *Ta ya* odâ *Ven vam* ſic compendioſa libri carm. com-

compilatio: Excelsi Cœli res voce & odore, seu sensibilitate expers non potest satis concipi ac comprehendi. Cùm autem tuus avus *Ven vam* haberet eamdem cum Cœlo virtutem; hoc sanè est, in quo res Cœli existit. Dein paulò pòst: ut septem hujus odæ articulos in unum complectar, ab initio usque ad finem tantùm dicitur Princeps *Ven vam* fuisse unus cum Cœlo.

Ad eamdem odam Interpres *Chu hi* sic: proh! quàm arcano & recondito modo, inquit doctor *Tsu su* citans librum Carminum, illa Cœli Lex sine intermissione ac sine suum cursum peragit! nimirum iste liber Carminum exprimit rationem, propterquam Cœlum est Cœlum. Numquid id (pergit) clarissimè patet? sic Principis *Ven vam* virtus sine ulla fictionis & falsitatis admixtione fulgebat; nimirum iste liber carminum etiā exprimit rationem propter quam Princeps *Ven vam* fuit Princeps *Ven vam*; quia scilicet sincerissima & purissima ejus virtus suum etiam cursum numquam stitit. Ità doctor *Tsu su*. Cum igitur sciatur ratio propter quam & Cœlum est Cœlum, & propter quam Princeps *Ven vam* fuit Princeps *Ven vam*; hinc potest dici ille cum Cœlo eamdem habuisse virtutem.

R. 29. Idem Interpres *Chu hi* in lib. carm. tom. *Ta ya* odâ *Hoam y* citans authorem *Liu* sic: hic locus vult dicere Principis *Ven vam* virtutem exteriori specie caruisse, & præclara ejus gesta ex imperceptibili animi vi emanâsse; denique ejusdem fuisse cum Cælo naturæ, (nempe quoad effecta & originem, ut mox explicablitur); & quamvis in regnum *Tsum* arma moverit; non tamen ex seipso, sed tantùm obtemperando cœli Domini regulæ id præstitit.

R. 30. Interpres *Tsay hiu Chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 3. in lib. immutab. med. art. 26. sic: dum dicit Interpres *Chu hi* virum & virtute & scientiâ absolutum ejusdem esse cum Cœlo ac terrâ naturæ, id intelligitur de effectis; quia naturæ & effectuum una & eadem est origo.

R. 31. Interpres *Chu hi* in lib. Carm. tom. *Ta Ya* odâ *Su cy* sic: Principis *Ven vam* virtus ita se habebat; idcircò quamvis magnas omnes difficultates proscribere, magnásque ærumnas vitare non potuerit; ejus tamen virtus absque omni macula semper enituit; quamvis occurrerent res peragendæ, quas priùs non audiverat; in iis tamen ab honestatis norma non aberrabat; quamvis denique nullum haberet admo-

nito-

nitorem; in virtute tamen semper proficiebat; atque hoc est quod interpretes vocant naturam Cœlo adhærere, atque uniri.

S. 32. Vide hic suprà num. 28. litterâ R.

T. 33. Liber dictus naturæ & rationis brevis expositio tom. 3. art. *Tae ly*: Cælum, inquit Author *Sie*, id est Ratio. Homo id est etiam ratio. Homo qui rationem omninò sequitur, is fit unus cum Cœlo; qui autem fit unus cum Cœlo, jam ego non sum ego, sed sum Ratio; nec Ratio est Ratio, sed est Cœlum.

T. 34. Vera lib. mutat. ac product. expositio tom. 22. parte *Xue qua* art. 1. sic: doctrina libri mutationum ac productionum omnem omninò cujusvis rei rationem discutit; hominésque & alias res totam suam explere naturam docet: quin imò ad se intime uniendum cum ipsa & rationis & naturæ origine, quæ est Cœli Lex arcano & recondito modo assiduè volvens, tandem revertitur; quia obtento effectu, statim ejus causæ se unit.

V. 35. Interpres *Cham kiu chim* tom. 6. in lib. sentent. art. 14. sic: vir perfectus qui in explendis omnibus naturæ suæ rationalis partibus, unicè Cœli legi adhærens eámque exequens, singularem illam intimæ cum Cœlo unionis excellentiam assecutus est; certè non potest ab hominibus cognosci, illísque perspectus esse; sed Cœlum dumtaxat illum cognoscit. Vide etiam caput. 2. quæst. 1. §. 4. num. 6. litterâ G.

V. 36. In lib. immutat. med. art. 1. sic quotidiana 4. libr. explicatio tom. 2. agens de viro summè spirituali: hominis cor est Cœli cor; idcircò dum homo omnes sui cordis partes explet, Cœlum illi correspondet. Hominis res sunt Cœli res; idcircò dum homo res suas rectè componit, Cœlum illi obsecundat.

X. 37. Compendiosa lib. carm. compilatio tom. *Cheu Tsum* odâ *Guei Tien chi mim* sic: hujus odæ quatuor primæ sententiæ dicunt Principis *Ven vam* virtutem unum cum Cœlo effecisse. Et paulò infrà: quotiescumque vir virtute & scientiâ absolutus dicitur esse sicut Cœlum; ille & Cœlum etiam vel sic sunt adhuc binum quid. Hæc oda tantùm Cœli Legem assiduè volventem cum Principis *Ven vam* virtute integerrimâ comparatam, unà simul utrámque exponit; hinc nullus nobis relinquitur de illius integritate disputandi aut ambigendi locus.

Z. 38.

Z. 38 Interpres *Tsay hiu chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 15. in lib. 2. Memc. cap. 8. seu ult. *Cin sin hia* sic: natura, inquit, juxta Interpretem *Chu hi*, est Cæli ratio, quam homo accipit; Cæli via, (seu Cæli agendi via) est ipsa naturalis Cæli Rationis essentia seu substantia, reapse tantùm una ratio; hæc ratio, inquit parvus commentarius, juxta Authorem *vam*, quia in Cælo existit antequam rebus infundatur, ideò dicitur Cæli Via seu Cæli agendi Via; & quia in hominis animo continetur antequam ipse aliquid agat, ideò dicitur natura; nimirum est illa Cæli virtus prima seu magna, communicativa, directiva, perfectiva; & hominis congenita pietas, æquitas, honestas, intelligentia.

W. 39. In lib. Rit. tom. 7. cap. 7. *Tsem Tsu ven* hunc locum: *Imperator in oratione funebri seu panegyricâ vocatur Cælum*, sic Interpres *Chin hao*: id quod in tota vita egit, ad componendam istam Orationem Panegyricam assumitur, & cognomentum, quo deinceps appellari debet, statuitur; in hac oratione Imperator appellatur *Cælum*, quia Imperatoris majestas est summa, nec habet sibi parem; unum dumtaxat Cælum est supra illum, seu est illo superius; idcircò mutuatur istud nomen *Cælum* ad eum appellandum. Deinde non tantùm in oratione funebri, sed etiam in aliis occasionibus plerique res regias appellant *Cælum*, sive cœlestes.

QUÆSTIO III.

Quodnam primum rerum omnium Principium in mundo agnoscant recentiores Authores Sinæ?

INvestiganda hæc quinque occurrunt: 1. An agnoscant aliquod primum movens seu primum Ens vitale, intellectuale, improductum? 2. An hoc primum Ens vitale intellectuale sit causa universalis & ad omnia concurrat? & an fortè sit tantùm mundi forma substantialis? 3. An hoc primum Ens vitale intellectuale sit unicum, sive an Cæli ac terræ Spiritus sit unicus? 4. An habeat legem omnium rerum directricem? 5. An habeat providentiam omnibus rebus invigilantem?

Dico 1. videntur recentiores Sinæ Authores agnoscere aliquod primum movens, seu primum Ens vitale, intellectuale, improductum. Primò id colligitur ex iis quæ dixi in cap. 2. Quæst. 1. §. 1. & 2. & alibi.

-12

Deinde in mundo, inquit Author infrà citatus, datur aliquod primum Ens nec habens rationem sine aëre, nec habens aërem sine ratione (per vocem *aerem* intellige *vitam*); si autem exprimatur ùt est rerum Effector, tum aër se dividit in duo (id est in quietem *yn* & motum *yam*, sive ex non agente fit agens), & Ratio hæc duo simul complectitur, verè in his dominans, regens, producens, agens; éstque id quod dicitur unica Causa, quæ est Spiritus. Hinc Ratio aëri præfertur, vocatúrque *Tay Kie* seu primus rerum Terminus. Hoc modo potest etiam dici Ratio prior, aër posterior. Dixerat paulò ante, quòd aër posset dici prior, Ratio posterior (A). Hæc intellige de prioritate & posterioritate per intellectum. Ex his ergo verbis patet illam Rationem, cùm sit unica Causa, quæ est Spiritus, etiam esse viventem; non enim datur Spiritus sine vita; ideóque in se complecti aërem, id est vitalem quamdam auram, ùt passim intelligunt Sinæ. Inexhauribilis rerum Effector, inquiunt, est vitalis aër. (B). Atque ità per istam vocem *aër* potest intelligi *principium vitale* & per vocem *ratio*, *principium intellectuale*. Insuper universa, inquiunt, totius primi ac magni Principii substantia & essentia, est Cæli agentis Spiritus (C). Spiritus est Cœli virtus; ideóque non materialis, cùm ista virtus sit Ratio, & Ratio sit Spiritus. Vis effectiva est aër (nempe vita vel vitale principium); & quod vis effectiva producit, in eo est Spiritus (D). Rursum sic: num vides, ut infinita illius (Cæli viæ) magnitudo sit totus aër seu tota aura vitalis Spiritus universalis? ut in mediis tenebris servetur vacuum illam vel illum expectans? ut priusquam quidquam faceret, existat ad producendas omnes rerum species (E)? sed quod per vocem *Ly* seu Ratio possit intelligi *Principium intellectuale* & per vocem *Ki* seu *Aura, principium vitale*; vel potius quod in illa universali Ratione & *Aurâ* includatur infinitum aliquod suppositum agens & vitaliter & intellectualiter, sic apertiùs adhuc id declarat recens sinicum Dictionarium: Authores explicantes vocem *Tien* seu Cælum per vocem *Ly* seu *Ratio*, quæ Ratio semper Auræ sinicè *Ki* conjuncta est, uno penè verbo exhauriunt totum illius sensum; sed in illius medio necesse est ut sit aliquis absolutus Dominator, qui possit arcanâ virtute homines stabilire. Liber enim Fastorum Imperialium in Capite *Tay Kia* ait: Cælum non omnes amat, sed qui ipsum reverentur, hos amat; & in cap. *Hien yeu ye Te*: Cælo non temerè confidendum est; ejus jussum seu providentia facilè mutatur; & in cap. *y hiun*: bene agentibus mille bona, malè agentibus mille mala immittit.

Jam

Jam verò si in illius medio tantùm esset ista ratio activa & ista aura, sinicè *Li* & *Ki*; nec omninò esset unicus & intelligentissimus verus Rector; dum prædictus liber dicit: *non amat*, *sed hos amat*; ecquis, quæso, ille foret? dum rursus dicit: *Non temerè confidendum*, *facilè mutatur*, *immittit bona & mala*; ecquis sane ille foret? numquid igitur est ille, qui vocatur Rex Regum *Xam Ti*? nos verò qui sub continuo ejus aspectu hîc deorsum versamur, non tantùm non scimus omni timore, ac tremore tremendam Cæli Majestatem revereri; sed etiam audemus nostro judiciolo, & perverso corde nosmetipsos opponere isti cœli Dominatori; quænam sanè major stupiditas fingi potest (F)?

Liber *Sim li ta civen* tom. 28. pag. 37. sic etiam habet: Juxta explicationem libri *Te Kim* Spiritus destruens & producens est rerum effector, sinicè *Tsao hoa*. & paulò infrà sic: aër est ipse Spiritus. Nec fortè tibi mirum videbitur, quòd per vocem *aër* vel *vitalis aura* Sinæ exprimant Spiritum, si animadvertas istam vocem *Spiritus* apud Latinos esse etiam tantùm adscititiam, à voce *spiro* derivatam, quæ ex se significat *aëreum spiramen*. Imò & Cicero 5. Tuscul. vocat animam *divinæ* particulam *auræ*. Imò in S. Scriptura Deus vocatur ignis consumens; & in ipso Fidei symbolo vocatur lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. An fortè aliquis Sina hæc audiens, benè putabit quòd nos Europæi credamus Deum esse ignem consumentem materialem, esse verum lumen de lumine materiali? recurrendum ergò est ad sensum, non ad litteram.

Prætereà ista Ratio seu unica Causa quæ est Spiritus, vocatur *Tay Kie*; *Tay Kie* vocatur (uti etiam suprà vidimus) primum Vacuum (F); Vacuum est Cæli, ac terræ virtus nempe spiritualis; Vacuum est summa bonitas; Cælum & terra ex Vacuo orta sunt (G); primum Vacuum est cœli veritas, seu vera & realis cœli existentia; omnes res à primo Vacuo accipiunt id, quod sibi sufficit; imò & ipse homo à primo Vacuo ortus est (H). Jam verò, ut suprà vidimus, primum Vacuum idem est ac Ratio, scilicet Ens incorporeum & reale, & Ratio idem est ac Cælum immateriale, Cælum immateriale idem est ac cœli Rector seu *Xam Ti*. Ergo patet cæli Dominum ac Rectorem esse istud primum movens primum, Principium, primum Ens vitale & intellectuale; adeóque improductum & illimitatum, cùm nihil sit prius à quo producatur & à quo limitetur. Prætereà si quis velit perscrutari modum, quo istud primum Ens res omnes producat, (quamvis non sit hujus loci quæstio, eáque potiùs ad physi-

cam pertineat) sic fortasse posset inire ratiocinium. Cùm dicant Sinae cœlum & terram ex Vacuo esse orta; Vacuum esse Rationem; Rationem esse Spiritum; hinc posset fortè colligi juxtà illos cælum ac terram à Deo ùt supremo Spiritu & causâ exemplari esse creata; deinde cùm dicant in exortu mundi fuisse subtilissimum aërem primitivum, ex quo diviso factum est cælum ac terra, posset hinc etiam forte dici per istum primitivum aërem significari abyssum magnam, quae erat super faciem terrae, seu Chaos magnum, ex quo firmamentum & astra sursum; plantae, pisces, volucres, pecudes & alia sublunaria ac terrestria deorsum producta sunt; si nempe terram, quae in medio abyssi magnae conclusa jacebat, simul comprehendas cum hac abysso, ùt quorumdam causam, vel concausam materialem; idque juxtà sententiam S. Augustini, qui lib. 1. de Gen. contrà Manich. cap. 7. informis, inquit, illa materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata est primò cælum & terra, non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat; nam & cælum scribitur posteà factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes dicamus ibi esse radices, & robur & ramos & fructus & folia, non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt. Gregorius Nyssenus etiam per cælum & terram accipit Chaos unâ universali, communi, rudique formâ congestum, ex quo elicienda essent corpora cœlestia, & elementaria cuncta. Vide Cornelium à Lapide in Gen. Et hoc quidem videtur satis clarè colligi ex hoc textu, seu odâ quae pro excipiendo Spiritu *Xam Ti* decantatur & sic ait: proh! obscurum illud antiquum primum Chaos? dum nondum suum cursum tenerent quinque elementaria principia (id est juxta Sinas aqua, ignis, lignum, metallum, terra), & necdum duo luminaria splenderent, in medio superstabat (nempe *Xam Ti*, cui Imperator tunc litat) figura & voce carens. Spiritualis Rex exerens suum dominium, cœpit dividere purius ab impuriori; cælúmque, terram, & hominem condidit; atque hinc omnium rerum generationes subsecutae sunt (I). Unde sic distinguendum foret duplex primum principium; alterum spirituale & increatum, nempe Deus; alterum materiale & creatum nempe iste primitivus aër, seu æther; quod quia non satis clarè distinguunt Sinae, ideò interdum videntur & Spiritum cum materia, & Rationem cum corpore penè confundere; ídque, ùt arbitror, fit propter ambiguitatem istius vocis *aër* sinicè *Ki*, quae licèt ex se significet aërem materialem, tamen transfertur etiam ad significandum quidquid est materiale & corporeum (K); ad signi-

significandum vitam tum hominis (L); tum Spiritûs (M); ad significandum tempus (N); ad significandum actionem, motum &c. (O). Sed nunc ad quæstionem redeo.

Dico 2. Illud primum Ens vitale intellectuale est causa universalis; & omnia invisibili vi ac incomprehensibili modo in mundo facit; ad omnia concurrit. Dies & noctes, inquiunt, frigus & æstus, nubes & ventus, actio & cessatio, motus & quies, ortus & interitus à Spiritu producente & destruente fiunt. Cælum, terra, astra, anni tempestates, aëris immutationes, utpote res visibiles ac sensibiles non possunt dici ille Spiritus producens ac destruens; sed sunt tantùm ejus vestigia, & effecta. Spiritus producens ac destruens est illa vitalis auræ vis motrix, quæ in illis tacitè & invisibiliter agit. Quî sane ille possit visu aut auditu percipi? quamvis verò non possit visu & auditu percipi, in effectis tamen eum vides; qui enim per conjunctionem quietis *Yn* & motus *Yam* dat rebus incipere seu esse, est ille Spiritus se extendens & adveniens seu producens, finicè *Xin*; qui autem per disjunctionem quietis *Yn* & motus *Yam* dat rebus desinere, est ille Spiritus se colligens & rediens seu destruens, finicè *Quei*. Atque ita principium & finis rerum, seu generatio & corruptio à Spiritu producente & destruente fit. Vnde omnes res penetrat, & ubique existit. Denique quamvis ipse sit corporis expers, omnes tamen mundi substantias corporeas facit, ac destruit (P). Rursus sic: Tonitru, ventus, aqua, ignis, mons, lacus non possunt dici esse Spiritus; sed id per quod moventur & agitantur, est Spiritus. Id quod universaliter & indivisibiliter res omnes facit, dicitur Spiritus (R). Spiritus intelligens dicitur, in quantum est Dominus, Rector, & Causa efficiens: ipse est enim qui per alternantem quietis & motûs reciprocationem annuus illas cœli ac terræ vicissitudines incomprehensibili modo efficit (R). Unde sic petunt: dum dicitur *Cæli ac terræ via, seu agendi ratio*, per hoc intelligiturne quòd illa aliquid & intrinsecum & extrinsecum simul comprehendat? Resp. Cælum ac terra habent naturam & habent naturæ tendentiam; in eorum operibus & assiduis actionibus inest Dominus ac Rector; ideóque dicitur & Spiritus, & causa effectiva. Enimverò qui non comprehendat aliquid & intrinsecum & extrinsecum? Respondet rursus sic: Cæli ac terræ via seu agendi via, alio nomine Ens sine termino, & primus rerum terminus, dum dicitur esse Spiritus, est quid purissimum, simplicissimum, perfectissimum (S); illa Ratio est id, qua ha-

betur assidua quietis *Yn* & motus *Yam* reciprocatio seu actio; nec Spiritus est aliquid distinctum ab ista Ratione, seu aliquid extra istam Rationem, utpote illi identificata; sed Spiritus est istius Rationis excellentia. Deinde licèt in omni quiete *Yn* & motu *Yam* reperiatur; illum tamen motum ac quietem transcendit, & licèt ab illis non separetur; non tamen illis commiscetur, nec est instar rei affixæ alicui determinato subjecto, ità ut sensu inquiri possit. Unde patet illam nullo loco non existere, laudatúrque seu prædicatur esse Spiritus (T).

Hinc collige Platonis, aliorúmque veterum Philosophorum sententiam asserentium formam mundi esse unam grandem ac toti mundo communem Animam, imò & ipsum Deum, juxta quorum mentem ait Virgilius:

Totámque infusa per artus
Mens agitat molem; & magno se corpore misceret:

non posse hîc habere locum; omnis enim forma substantialis est pars compositi, est affixa alicui determinato subjecto, illi commiscetur, illo concluditur, non est causa partis cum quâ constituit compositum; seu compars non est effectus compartis, v. g. corpus animæ, materia formæ; jam verò illa ratio seu ille Spiritus nullibi dicitur pars alterius; contrà dicitur universa totius primi Principii substantia, nulli rei sensibili commiscetur, nullâ re concluditur, nulli determinato subjecto affixus est, omnia transcendit; omnes mundi res sensibiles ab illo fiunt, sivè sunt illius effecta; ergo omnes mundi res sensibiles non sunt compartes unius compositi cum illo; ergo ille non est forma, seu Anima mundi; ergo est verum suppositum, intellectuale, infinitum, adeóque Spiritus intelligens & incomprehensibilis, seu intelligentia incomprehensibilis. Itaque hæc omnia satis probant à Sinis agnosci invisibile aliquod in mundo primum Ens vitale intellectuale, quod est causa universalis omnia producens, omnia destruens, omnium rerum generationes & corruptiones efficiens, cum omnibus causis secundis concurrens; agnosci, inquam, invisibilem aliquem cæli ac terræ Spiritum ab omni materia independentem.

Videamus nunc an hic Spiritus sit unicus? quare

Dico 3. illud primum Ens vitale intellectuale juxta eorum libros est etiam unicum, seu cæli ac terræ Spiritus est unicus. Dum enim dicuntur tria prima Chinæ Imperia inserviendo cœli ac terræ Spiritui intelligenti semper sortibus usa fuisse, ne sua particulari electione vilipenderent

derent cœli Domini seu *Xam Ti* servitium, (cap. 1. quæst. 2. §. 1. num. 15. litt. O.) patet quòd *Xam Ti* seu cœli Dominus sit cæli ac terræ Spiritus. Deinde rursus dicitur, quòd quando parentalis regum Defunctorum ædificii ritus benè diriguntur ac servantur, hoc sufficiat, ut illi Reges defuncti cum cæli ac terræ Spiritu intelligente possint conferri (V). Sed solus familiæ Imperialis Conditor, aut aliquis præcipuus avus cum *Xam Ti* seu cœli Domino conferebatur, ùt alibi videre est; ergo cœli Dominus, seu *Xam Ti* est cœli ac terræ Spiritus intelligens. Jam verò *Xam Ti* est unicus, sive cœli Spiritus est unicus Dominus (X); imò Cælum ac Terra est unicus Spiritus producens ac destruens (Z); vel potiùs dic: in cœlo ac terra est unicus Spiritus producens ac destruens; nam Spiritus juxta Sinas non potest visu percipi, est quid incorporeum & insensibile; cælum autem ac terra visu percipiuntur, suntque aliquid corporeum, & sensibile; dicendum est ergo in *cælo* ac *terra* non verò *cælum* ac *terra*, nisi sumas *Cælum*, ac *Terram* tropicè per metonymiam continens pro contento; uti subindè Sinæ illa sumunt dicendo *Cœlum* ac *Terra est Ratio*, & Spiritus est ista Ratio (W). Hæc Ratio, ùt jam dixi, est unica causa, quæ est Spiritus, imò & primus rerum terminus. Unde patet ab illis unicam Causam universalem in toto mundo agnosci seu unicum cæli ac terræ Spiritum nempe *Xam Ti.* Dum igitur dicunt: *hominis vitalis aura* & *ratio* est *cæli ac terræ vitalis aura & ratio*, id intellige per participationem, ità ut homo cum cæli ac terræ Spiritu tantùm conveniat in eadem ratione generica vitæ & intelligentiæ; videlicet cæli ac terræ Spiritus habet rationem seu intelligentiam & vitalem auram seu vitam infinitam per essentiam; homo finitam per participationem. Denique cælum, terra, ac omnia ab uno, seu unico Domino gubernantur (Y); ut jam clariùs adhuc patebit.

Dico ergo 4. universalis ille cæli ac terræ Spiritus habet Legem tum generalem, quæ ad omnia; tum particularem, quæ ad hominem specialiter se extendit; Generalis Lex est illa, quæ in profunda ac mysteriosa caligine suum cursum sine intermissione ac sine assiduè peragit, vocatúrque quadruplex Cæli virtus, quæ dat unicuique rei principium, incrementum, directionem, perfectionem, seu finis consecutionem (AA). Vide cap. 2. quæst. 1. §. 1. & 2. & hîc num. 36. & 37. Particularis est illa, quâ in hominis corpore infundit animum seu Spiritum intelligentem, omnis cognitionis capacem; & in animo rationem, quæ est facultas firmiter

ter ex se obscenndans congenitis quinque pietatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ, veritatis virtutibus, nimirum latè & inchoatè sumptis pro inditis virtutum seminibus, non pro ipsis habitibus. Unde qui cognoscit hanc rationem, cognoscit & ejus originem, seu Cælum, ex quâ illa oritur. Quocirca homo sapiens suum animum diligenter colligit, rationi accuratè obtemperat, atque ita fideliter Cælo inservit (BB).

Insuper suam habet providentiam omnibus rebus invigilantem, & hæc diversimodè sumitur. 1. Pro Cæli via seu Cæli agendi ratione, tacitè, mysteriosè, indesinenter actuosâ, in qua cæli Domini Lex ac justum continetur (CC); nimirum penè sicut Boëtius definit Dei providentiam; Providentia, inquit, est ipsa divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit. lib. 4. de consolat. 2. Pro cœlesti cujusdam temporalis revolutionis lege, perquam Cælum ùt Dominus ac Rector omnia adversa ac prospera dirigit, & in hac temporalis revolutionis lege continetur rectum & justum præceptum; unde benè & rectè agentes bonis cumulantur (DD). 3. Pro ista Cæli agendi ratione & hac temporis revolutione simul seu pro utriúsque complexo (EE). 4. Pro illa Cæli dispositione, quæ in ortu cujusque rei accepta mutari non potest; ità tamen ut homo non debeat omnes res suas in illam rejicere, & negligere aut omittere, quod decet & æquum est agere (FF). Hinc brevitas aut diuturnitas vitæ dicitur etiam Cæli Lex ac providentia (GG); jam verò vir sapiens debet nôsse infusam rationem seu rerum naturas ut Cælum noscat; debet animum colligere & rationi obtemperare ut Cælo inserviat; debet omnimodæ virtutis perfectioni incumbere, ut Cæli providentiam expectet; unde nec Cæli notitia consistit in temporis revolutione prosperâ aut adversâ; nec totum Cæli servitium consistit in externo litaminis cultu; nec vitæ institutio juxta providentiam pendet à rogando Spiritu (HH). De Cæli Lege ac Providentia hæc videntur sat clarè dicta, adeóque nihil addendum.

Nota: licèt isti recentiores Authores sæpè videantur quoad vocem dicere Cælum visibile, ac materiale; in suo tamen modo significandi ferè semper indicant aliquid invisibile & immateriale; v. g. ô remotissimum & cæruleum Cælum, quod tibi propriam facis virtutem, amare homines; quando tandem efficies ut patriam revisam (II)? O cæruleum Cælum, quod bonis bona, malis mala dispensas, nec unquam erras, superbos illos respice & coërce; pauperes illos miserare & solare (KK). Ubi vides

vides *Ly amare*, *bona* & *mala dispensare*, *misereri*, *solari* esse verba, quæ indicant aliquid invisibile, vitale, intellectuale.

Huc etiam referas verborum ambiguitatem & generales expressiones, v. g. inexhaustus rerum Effector est vitalis aura (LL); quod vel intellige de sola prima Causa, ùt supremo rerum Principio vitali, uti suprà jam dixi; vel de Causa prima concurrente cum 2., ita ut eadem actio, quæ per seipsam oritur ab ipso primitivo aëre, seu Ente materiali tamquam actuale exercitium activitatis ejus, oriatur etiam à Deo tanquam actuale exercitium potentiæ ejus; concursus enim Dei in actu secundo est realiter actio causæ secundæ.

His autem ambiguis verborum expressionibus ideò fortasse utuntur, vel quia nolunt colere id quod cognoscunt, vel quia non audent clarè exprimere id quod oculis corporeis non vident, vel quia non inveniunt verba satis apta ad exprimendum istud supremum Numen. Unde vox ista *colere* (nempe Cælum) non est, inquiunt, magnoperè discutienda, nec opus illam multùm perscrutari (MM).

Cæterum ex dictis sat patet ab illis cognosci in hoc mundo visibili invisibilem, & incomprehensibilem aliquem Spiritum rerum Effectorem, Rectorem, Provisorem, improductum, adeóque æternum, illimitatum, infinitum in omni genere perfectionis.

At fortasse dices: hisce diebus in libro quodam Europæo recèns edito legi, nullum à Sinis in mundo agnosci Spiritum. Quid? ad hoc ut tibi & illi respondeam, quamvis hactenus dicta videantur plusquam abunde sufficere, nihilominus ad pleniorem Spiritûs notitiam quam habent Sinæ, sit sequens quæstio.

Textus Librorum.

A. 1. Interpres *Tsay hiu Chai* comm. *Su xu mum yn* tom. 1. ad initium libri scientiæ Adultorum sic: in mundo, ùt ego quidem arbitror, datur aliquod primum Ens &c. ùt suprà in contextu.

Sic autem paulò antè dixerat: Ego dico in mundo existere quamdam Rationem non appensam vacuo; & sic posset etiam dici Aër prior, Ratio posterior.

B. 2. Dictionarium *Chim tsu tum* in littera *Ki* sic: inexhauribilis rerum Effector, inquit doctor *Chim*, est vitalis Aër.

-13

C. 3. Vera lib. mutat. ac product. expositio tom. 1. in symbolo *Kien* sic: ista quadruplex virtus assidue volvens est Cæli agentis principium effectivum; universa autem totius primi Principii substantia & essentia est Cæli agentis Spiritus.

D. 4. Dictionarium *Tsu guey* in littera *hoa* sic: hæc vox *hoa* significat efficere, aut producere. Cælum & terra, frigus & æstus, dies & noctes à causa efficiente fiunt. Deinde causa efficiens alia est aër, seu aura vitalis; alia est corpus seu res sensibilis & corporea; alia Spiritus; Spiritus est Cæli virtus seu potentia; efficere est Cæli via, seu Cæli agendi via; Spiritus est Ratio; efficere seu vis effectiva est aër; quamvis Ratio non confundatur cum Aëre, reverà tamen ab Aëre non separatur; idcircò quod vis effectiva producit, est id in quo extat Spiritus.

E. 5. Interpres *Tsay hiu Chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 3. in lib. immut. medii art. 16. citans Authorem *Kiue* sic: num vides ut infinita illius &c. ùt suprà in contextu.

E. 6. Dictionarium *Pin tsu cien* in littera *Tien* sic: Authores explicantes &c. ut suprà in contextu.

F. 7. Interpres *Tsay hiu Chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 15. in lib. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* agens de Cælo sic: primum Vacuum est id quod dicitur *Tay Kie* seu primus rerum Terminus; Vacuum est vocabulum significans rem aëri seu rei corporeæ non immixtam; quod autem non est sensibile seu corporeum, & inferius vel secundarium, id dicitur aër. Utrumque est quid reale & verè existens; attamen sola Ratio est vacua, nempe incorporea.

G. 8. Liber naturæ & rationis brevis expositio tom. 3. art. *Tien ven* citans Doctorem *Chim* sic: cæli ac terræ virtus est Vacuum; summa bonitas dicitur Vacuum. Cælum ac terra ex medio vacuo orta sunt.

H. 9. Liber naturæ & rationis brevis expositio tom. 3. art. *Chim chum xu* citans Doctorem *Cham* sic: primum Vacuum est Cæli veritas, seu vera & realis Cæli existentia; omnes res à primo Vacuo accipiunt id, quod sibi sufficit; imò & ipse homo à primo Vacuo ortus est. Primum Vacuum est vera cordis (nempe cordis Cæli) realitas & existentia.

I. 10. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 82. de Cæli litamine, odâ pro excipiendo Spiritu, seu supremo Domino *Xam Ti* sic: Proh! obscurum &c. ùt suprà in contextu.

Vide

Vide etiam hîc suprà num. 7. litterâ F.

K. 11. Interpres *Tsay hiu Chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 14. in lib. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* citans interpretem *chu hi*, sic: vita, inquit Doctor *Chu hi*, dicitur *aër*; vitæ ratio dicitur *natura*. Ego quidem arbitror, dum vita dicitur aër, hunc in omni re (nempe vivente) esse ejusdem generis; sed dum vitæ ratio dicitur *natura*, hanc non esse ejusdem generis; verùm generaliter loquendo quia aër hominis & aliarum rerum habet aliquam diversitatem, ideò & eorum natura est diversa.

L. 12. Interpres *Chu hi* in lib. 2. Memcii. cap. 5. *Kao tsu xam* sic: vita est ille aër, quem homo à Cælo accipit.

L. 13. Liber immutab. med. art. 31. sic: ex omnibus qui sanguinem & aërem habent, sive (ut interpres *Cham kiu chim* tom. 3. ait) ex omnibus viventibus hominibus, nemo est qui viri sapientis virtutem non revereatur, ac diligat.

M. 14. Lib. serm. Domestic. Confucii art. 17. sic: animæ aër in Cælum rediens dicitur Spiritus.

M. 15. Lib. Rit. cap. 29. *Kum tsu hien Kiu* sic: tellus excipit Spiritûs aërem seu spiritualem aërem.

M. 16. Interpres *Cham Kiu Chim* tom. 25. in lib. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic: quamvis in omnibus hominibus vitalis aura & corpus sint ejusdem generis; diversitas tamen conditionis & alimenti, & hoc & illum diversum reddit. Dum quis in sublimi conditionis gradu existit, mox Spiritûs vitalis aura ob illum conditionis locum sese immutat & perfectiori modo se prodit; & dum quis alimento delicatiori & abundantiori utitur, mox corporis species sese immutat, & exterior forma ultrò novit totum suum nitorem implere.

N. 17. Vide hîc infrà num. 42. litterâ EE.

O. 18. Interpres *Chu hi* in lib. mutat. ac product. tom. 2. part. *Chuen Xam* art. 5. sic: illa alternans quietis *Yn* & motûs *Yam* actio atque assidua successio est aër finicè *Ki*; ratio autem, quæ illam constituit, vocatur via seu agendi via.

P. 19. Interpres *Tsay hiu Chay* comm. *Su xu mum yn.* tom. 3. in lib. immut. med. art. 16. sic: proh! quantùm non potest concipi ac comprehendi Spiritus producens ac destruens! v. g. in mundo nunc dies, nunc nox; nunc frigus, nunc æstus; nunc ventus, nubes, pluviæ, ros

 subi-

subitò adveniunt; nec scitur unde? subitò cessant, nec scitur unde? Deinde homines, aliæque res nunc subitò agunt, subitò cessant, subitò nascuntur, subitò moriuntur; hæc omnia à Spiritu producente & destruente fiunt. Istam autem vitalis auræ vim motricem tacito modo assiduè agentem, nunc abeundo, nunc veniendo, nunc se colligendo, nunc se extendendo, ecquis sanè hominum possit sensibiliter aut repræsentare, aut apprehendere? dein paulò pòst: jam verò illud cælum omnia tegens, terra omnia sustinens, sol & luna omnia illustrans, quatuor anni tempestates sibi invicem succedentes, ventorum, nubium, imbrium, roris vicissitudines, hæc omnia possunt & visu & auditu percipi, ideóque non possunt dici Spiritus producens ac destruens; sunt tantùm Spiritûs producentis ac destruentis vestigia, & effecta: Spiritus vero producens ac destruens est illa vitalis auræ vis motrix, iens & rediens, quæ in illis tacitè & arcanè agit: quî sanè ille possit aut visu, aut auditu percipi? cæterum quamvis Spiritus producens ac destruens non possit visu & auditu percipi, in ipsis tamen rebus eum vides; qui enim per conjunctionem quietis *Yn* & motûs *Yam* dat rebus incipere, est ille Spiritus se extendens; qui dat rebus desinere, est ille Spiritus se colligens, seu rediens; atque ita principium & finis rerum à Spiritu producente & destruente, sive se extendente, & colligente fit: porrò Spiritus producens ac destruens, omnes omninò res penetrat, & omnem omninò locum occupat; atque hinc patet rationem viæ ducem non posse vel unico momento à nobis separari. Et paucis interjectis sic pergit: deinde si unum dumtaxat annum spectes; ver & æstas dicitur motus *Yam*; (nimirum à solstitio hyberno usque ad æstivum) autumnus & hyems dicitur quies *Yn* (nimirum à solstitio æstivo usque ad hybernum); totus autem unius anni decursus, principium & finis à Spiritu producente & destruente fit, seu à Spiritu generatore & corruptore fit. Rursus sic: si unum dumtaxat diem spectes; dies dicitur motus *Yam*; nox quies *Yn*; totum autem unius diei curriculum, principium & finis à Spiritu producente & destruente fit. Insuper v. g. cùm homo aliæque res nascuntur, cùm plantæ pullulant; id fit à vitalis auræ quietis *Yn*, & motûs *Yam* conjunctione; cùm moriuntur & arescunt, id fit à vitalis auræ quietis *Yn* & motûs *Yam* disjunctione. Hæc autem omnia rursus à Spiritu producente & destruente fiunt. & paulò pòst: atque hinc vides

vides omnes omninò res ab illo Spiritu producente & destruente penetrari. Denique sic concludit paulò infrà: quamvis Spiritus producens ac destruens sit corporis expers, omnes tamen mundi substantias corporeas facit, ac destruit.

P. 20. Lib. *Su xu hoe ven* seu quæstiones in 4. libros classicos, Authore doctore *Chu hi* tom. 2. in libri *Chum yum* art. 16. sic: nullus est locus in quo cælum inter ac terram, sive per totum mundum non existat Spiritus destruens ac producens; licet non moveatur & quasi quiescat; tamen per motum se communicat; & licet figurâ ac voce careat, sive sit sensu imperceptibilis; tamen habet id quod dicitur: mirum in modum est clarus, nec potest decipi.

Q. 21. Vera lib. mutat. ac product. expositio tom. 22. part. *Xue Qua Chuen*, artic. 6. citans Authorem *Chu hi*, sic: tonitru, ventus, aqua, ignis, mons, lacus non possunt dici esse Spiritus; sed id per quod moventur & agitantur est Spiritus. Dein citans Authorem *Chim Kam Chim*, sic: quia universaliter & indivisibiliter omnes res facit, ideò conjunctim dicitur Spiritus.

R. 22. Vera lib. mutat. ac product. expositio tom. 22. parte *Xue Qua Chuen*, art. 1. in hunc locum, *olim vir sapiens comminiscendo istam libri mutationum ac productionum doctrinam tacitè adjuvit Spiritum intelligentem*, (scilicet in rerum productione, præceptis & artibus dirigendo causas secundas) *& ad ejus usum nata est herba Xi*, sic ait: ista bina vox *Spiritus intelligens* indicat assiduas cæli ac terræ productiones & nutritiones; non dicitur *productiones & nutritiones*, sed dicitur *Spiritus intelligens*; quia dicitur in quantum est Dominus, Rector & Causa efficiens; ipse est enim &c. ut suprà in contextu.

S. 23. Interpres *Tsay hiu Chay* comment. *Su xu mum yn* tom. 3. ad lib. immutab. medii art. 26. sic: dum dicitur cœli ac terræ via &c. ut suprà in contextu.

S. 24. Vera lib. mutat. ac product. expositio tom. 20. part. *Xam Chuen*. art. 4. sic: cœli ac terræ via seu agendi via prout apparet in generationibus & corruptionibus, est id in quo Spiritus existit; id autem per quod in essentiali sua natura constituitur, est Ratio.

S. 25. Vera lib. mutat. ac product. expositio tom. 9. in symbolo *hem* sic: cæli ac terræ via seu agendi via, alio nomine Ens sine termino &c. ut suprà in contextu.

T. 26. Vera lib. mutat. ac product. expositio tom. 20. part. *Xam chuen* art. 5. sic: Spiritus est illa viæ seu agendi viæ excellentia; non tamen extra, seu præter istam agendi viam, est aliud diversum quod dicatur Spiritus. Deinde paulò pòst: licet in omni quiete *yn* & motu *yam* &c. ut suprà in contextu. Posteà citans Authorem *Lin tsu Yay* sic: hæc demonstrant agendi viam quâ ista alternans quietis *yn* & motûs *yam* reciprocatio constituitur. Unde patet agendi viam seu rationem nullo loco non existere, & prædicatur esse Spiritus.

V. 27. Lib. Rit. tom. 9. cap. 27. *Ngay kum ven.* sic: quod attinet ad res internas, inquit Confucius alloquens Regulum *Ngay kum*, si parentalis majorum ædificii ritus benè dirigantur ac serventur, certè hoc sufficiet ut illi cum cæli ac terræ Spiritu intelligente conferri possint; quod autem attinet ad res externas, si Regiæ Aulæ ritus benè dirigantur ac serventur, certè hoc sufficiet ut mutuam inter superiores & inferiores reverentiam stabilire possit.

X. 28. Lib. magnus commentarius libri *Ye kim* tom. 20. sic: prisci Imperatores litabant *Ti* seu cæli Domino, ut populi scirent Cælum non habere duos Dominos.

X. 29. Lib. mutat. ac product. symb. *Huon.* quotidiana explicatio ab hoc Imperatore *Kam hi* in lucem edita tom. 13 sic: hinc Cælum colere, & Avos defunctos revereri, est veram pietatis & filialis observantiæ mentem explere; túncque omnes Imperii incolæ quia sciunt cæli Spiritum esse unicum Dominum, non audent inferiores superiorem offendere; & quia sciunt hominum, aliarúmque rerum unicam esse Originem, non audent etiam mortuorum cultus relinquere & progenitores oblivisci.

X. 30. Lib. *Ven hien tum cao* tom. 68. sic doctor *Tam*: juxta hæc ergo doctorum *Chim ac chu* verba Cælum & cæli Dominus *Ti* est unicus. Reliquum hujus textûs vide cap. 3. quæst. 1. in textibus libr. num. 6. litterâ E.

X. 31. Lib. *Ven hien tum cao* tom. 74. Author *Vam Jo*: Cælum, inquit, est unicus Spiritus.

X. 32. Idem lib. *Ven hien tum kao* tom. 71. sic: dum coram cælo ac terra reverenter servitium præstatur seu litatur cælo ac terræ, Spiritus est unicus Dominus.

Z. 33.

Z. 33. Interpres *Tsay hiu Chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 4. in lib. immutab. med. art. 29. sic : si hæc triat (nempe ritus, opificia, characteres) ab Imperatore sollicitanda, convenerint cum ratione, statim convenient cum cælo ac terra ; cælum enim ac terra est tantùm Ratio ; si autem convenerint cum Ratione, statim convenient cum Spiritu producente & destruente : Spiritus enim producens ac destruens est etiam tantùm Ratio. Denique si convenerint cum Ratione ; simul etiam convenient cum primis trium Imperiorum Imperatoribus ; Isti enim Imperatores sunt tantùm etiam Ratio. Dein paulò infrà : cùm homo vitalem cæli ac terræ auram habeat, etiam cæli ac terræ Rationem in se complectitur. In eâ enim ratio, est cæli ac terræ Ratio ; Cælum autem ac terra est tantùm unus Spiritus producens ac destruens. Denique paulò pòst sic : iste animus seu cor in omnibus hominibus est idem ; & istius animi ratio est eadem (nempe specie, imò & æqualis perfectionis individualis) ; ab omni ævo est tantùm una Ratio (nempe unitate vel generica, vel specifica), & ab omni ævo omnium virorum perfectorum unus tantùm animus (nempe unitate specifica) ; atque hoc est, quod dicitur : omnium venturorum virorum perfectorum hic idem erit animus, hæc eadem erit ratio ; omnium præteritorum hic idem fuit animus, hæc eadem fuit ratio.

W. 34. Interpres *Chu hi* in lib. immut. medii art. 29. eumdem locum sic : cælum ac terra est via seu agendi via. Quæ verba explicans Doctor *Tsay hiu chay* in suo comm. *Su xu mum yn* tom. 4. dum dicitur, inquit, cælum ac terra est via, idem est ac si diceretur, Cælum est Ratio.

Y. 35. Dictionariũ *Chim tsu tum* in litterâ *Chu* sic scriptâ 丶 : hæc, inquit, littera dum adjungitur 丶 litteræ 王 *Vam* (faciendo scilicèt hanc litteram compositam 主 *Chu*, quæ significat Dominum), tunc cælum, terra, ac omnia ab Uno seu Unico gubernantur.

AA. 36. Lib. brevis naturæ & rationis expositio tom. 3. art. *Sin* sic : illa Cæli Lex proh ! quàm arcanè & mysteriosè suum cursum sine intermissione ac sine peragit ! id quo Cælum est Dominus res producens, est ejus Cor. Homo nascendo accipit Cæli legem, & quia totum id propter quod Cælum me producit, teneo ut sit mei totius corporis Dominus, totus intrà me assiduè radians sine obscuritate, assiduè agens sine intermissione, ideò hoc dicitur hominis cor seu animus. Ejus substantia est id quod vocatur magni, seu primi, communicativi, directivi

ctivi, perfectivi Principii via; quoad usum autem, est congenitum pietatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ semen.

AA. 37. Quotidiana 4. lib. explicatio tom. 5. in lib. sent. art. 5. ad hunc locum: *Singularem Magistri nostri Confucii modestiam, gravitatem, facundiam quilibet discipulus potest percipere; sed eum de naturâ & Cæli viâ differentem, vix, aut ne vix quidem audire licet*, sic ait: quod attinet ad pietatem, æquitatem, honestatem, intelligentiam, quam in ortu accipimus (nempe inchoatam), id vocatur natura. Quod verò attinet ad illam primam seu magnam, communicativam, directivam, perfectivam virtutem, quæ in arcana ac mysteriosa caligine volvens assiduè agit, hoc vocatur Cæli via, seu Cæli agendi via. Naturæ & Cœli ratio habet etiam suum cursum visibilem, in quo se spectabilem prodit; sed profundam ejus subtilitatem perfectissimúmque mysterium, nisi fuissent discipuli valdè capaces, nulli solebat exponere Confucius.

CC.

AA. 38. Interpres *Tsay hiu Chay* in comm. *Su xu mum yn.* tom. 5. ad lib. sent. art. 9. sic: Cæli Lex prout est in Cælo, est quid præstantissimum, & excellentissimum; & idcircò vocatur ratio, vocatur subtilissima ac simplicissima perfectio. Dein paulò infrà: ista vox *Cæli Lex*, id est Cæli via, seu Ratio assiduè agens & rebus indita. Vide sup. cap. 2. quæst. 2. §. 1. & 2.

BB. 39. Quotidiana 4. Librorum explicatio tom. 25. in hunc locum Memcii lib. 2 cap. 7. *Cin sin xam: qui noscit naturam, noscit & Cælum*, sic: in hominis corpore Dominus ac Rector est cor seu animus; Cor est intelligens hominis Spiritus, qui omnis rei rationem complectitur, seu omnis rei rationem potest cognoscere; omnes actiones dirigit, ac regit. Ejus capacitas & intelligendi facultas est maxima; qui eam omninò adimplet, hic sanè, quid sit natura, cognoscit; natura est illa Ratio, quam in se animus continet; qui res probè discutit, atque sine dubitatione cognoscit, tunc ratio in illo perlucida est, & cordis capacitas plena atque integra. Jam verò illa ratio prout est in natura, est facultas firmiter ex se obsecundans quinque congenitis pietatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ, veritatis virtutibus nempe inchoatis, ut dixi; prout est in Cælo, est illa prima Causa arcano & mysterioso modo assiduè semper volvens & agens; atque hoc non est quid binum. Qui enim scit quid sit natura, etiam id, ex quo illa oritur, liquidò scit. E-

nim-

nimverò ut Cælum noſcas, ecquid aliud exterius quæris? Sapiens, qui ſic ritè penetrat Cæli ſcientiam, certè debet omnes animi ſui partes explere; quod maximè conſiſtit in animi collectione, coërcendo aſſiduam ejus mobilitatem, nec permittendo ut nullus ejus vel minimus motus ac quies à pravis rerum externarum cupiditatibus abſtrahatur. Prætereà debet naturam nôſſe, quod maximè conſiſtit in ejus alimento ſollicitando, puriſſimæ ejus tendentiæ fideliſſimè obtemperando, nec ſeriùs aut ocyùs ejus ductum ſectando, ità ut à naturali ejus regula numquam recedat. Hic animus & natura à Cælo nobis infunditur. Vir qui & illum ſic colligat, & hanc ſic alit, is Cæli rationem ſemper conſervat; atque id eſt, quo Cælo fideliter inſervit. Iſta eſt igitur quam Sapiens diſcit, ſcientia ad Cælo inſerviendum. Sed demus ut aliquis Cælum noſcat & Cælo inſerviat; ſi tamen in cauſis brevis & longæ vitæ excutiendo negligenter ſuorum morum componendorum ſtudio incumbat, hic nec pietatis, nec intelligentiæ partes implet; qui autem ita perfectè noſcit naturam, ut nec brevis nec longa vita mentem exerceat; quique ita accuratè compoſitis moribus animum colligit & rationi obtemperat, ut ultrò ad ſe venientem Cæli diſpoſitionem expectet, hic ſolus acceptam à Cælo rationem integram conſervat & vitam ſuam juxta unam Cæli diſpoſitionem inſtituit. Numquid igitur hoc eſt noſcendi Cæli & inſerviendi Cælo perfectum opus? Princeps qui Cæli legatione fungens, Cælíque legi unicè adhærens, verbo & exemplo ſummæ perfectionis normam vult tradere; penetrandæ tantùm rerum naturæ diligentiſſimè incumbat, animum colligat, rationem ſectetur, ut mores ſuos ritè componat, virtutíſque ſuæ magnitudinem Cælo ac terræ æquet; ecquod tunc Cælum non poterit noſſe? eccui tunc Cælo non poterit inſervire? eccui tunc Providentiæ non poterit ſuam vitam accommodare? quia igitur proſperitas & calamitas eſt quædam temporis revolutio, ideò Cæli notitia in hoc non conſiſtit. Deinde quia litamen quod fit Cælo, eſt externus cultus; ideò Cæli ſervitium non totum per hoc expletur. Denique quia rogare Spiritum producentem ac deſtruentem, (nempe bona temporalia) eſt quid vanum, ideò vitæ ſuæ inſtitutio juxta Cæli providentiam ab hoc non pendet. Iſta ergo etiam quære in morum, cordis, naturæ, Cæleſtis legis veritate, procurando veram hominis cum Cælo unionem; & ſufficit.

Deinde paulò infrà sic: quidquid vel adversum, vel prosperum homini in hac vita accidit, nihil est quod à Cælo ùt Domino ac Rectore non dirigatur, & hoc vocatur revolutionis temporis Lex; sed in hac continetur justum ac rectum mandatum. Dicitur *justum* ac *rectum*, quia bene ac rectè agentes bonis cumulat. Quamvis autem bene & rectè agentes malis etiam subinde premantur, non propterea tamen potest dici esse injustum ac pravum.

CC. 40. Quotidiana 4. lib. explicatio tom. 3. in lib. immutab. medii art. 26. sic: hic textus libri Carminum dicens: *illa autem Cæli Lex Proh! quam arcanè, quàm mysteriosè semper volvitur sine intermissione!* significat, quòd Cæli via, assiduè volvens & agens, in quâ inest cæli Domini ac Rectoris mandatum, voce & odore insensibilis, recondita, profunda, mysteriosa nullo unquam tempore suum cursum sistat.

DD. 41. Vide hìc suprà num. 39. litterâ BB. sub finem.

EE. 42. In lib. sentent. art. 9. hunc locum *Confucius rarissimè loquebatur de lucro, de providentia, de pietate seu cordis rectitudine*, sic quotidiana quatuor librorum explicatio tom. 7. Providentia seu Cæli Lex complectitur rationem & tempus, seu temporis revolutionem sinice *Ki*; idcircò est quid vehementer subtile, ac comprehensu difficile.

Vide etiam hìc infrà num. 44. litt. FF.

FF. 43. Quotidiana quatuor librorum explicatio tom. 21. in lib. 2. Memcii cap. 3. *Van cham xam* sic: dum aliquid naturaliter accidit quod nullæ hominis vires sibi accersunt, id dicitur Cæli Lex, quæ in ortu accepta mutari non potest. Idem habet *Cham kiu chim.*

FF. 44. Interpres *Tsay hiu chay*, comm. *Su xu mum yn* tom. 6. in lib. sentent. art. 9. sic: Cæli Lex modò explicatur ùt est ratio, modò ùt est tempus; ratio est quid perfectissimum, subtilissimum, & explicatu difficile; quod ad temporis revolutionem attinet, non potest omnis eventus ita in illam rejici, ut debita hominis actio omittatur aut negligatur.

GG. 45. Interpres *Tsay hiu chay* comm. *Su xu mum yn.* tom. 15. in lib. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic: ista vox *Lex* seu *Cæli Lex*, in posteriori articulo sumitur ùt est tempus; nimirum ùt est omninò idem ac vitæ brevitas & diuturnitas. In priori sumitur, ùt est ratio. Idcircò comprehendit omne id, quod Cælum infundit.

HH. 46. Vide hìc suprà num. 39. litterâ BB.

II. 47.

II. 47. Compendiosa lib. carm. compilatio tom. *Que fum* odâ *pao yu* sic: ô remotissimum & cærulæum Cælum, quod tibi propriam facis virtutem amare homines! quando tandem reverà efficies ut exuto militiæ servitio possim agros colere ad alendos parentes & patriam sedem tenere!

KK. 48. Compend. libr. Carm. Compilatio tom. *Siao ya* odâ *biam pe* sic; ô cærulcum, cæruleum &c. ut suprà in contextu.

LL. 49. Dictionarium *Ta tsu guei* in *litterâ Ki* (id est aër seu vitalis aura) citat Doctorem *Chim* sic dicentem; inexhaustus rerum Author est vitalis aura.

MM. 50. Compendiosa lib. Carm. compilatio tom. *Ta ya* odâ *fan* sic: vox illa *colere* &c. ùt suprà in contextu.

QUÆSTIO IV.

Definitio, divisio, proprietates Spiritûs juxta Sinas Authores maximè recentiores.

Quamvis Authores Sinici frequentissimè de Spiritu loquantur; imò in Spiritûs natura totam suam & scientiam & virtutem fundent; nihil tamen adeò obscurè, adeò confusè & implexè, quam Spiritum explicant. Unde cùm non possent satis exprimere absolutissimam ejus perfectionem & intelligentiam, indiderunt ei nomen maximè excellens, jusserúntque palàm vocari *Quei Xin*, nempe Spiritum destruentem ac producentem (A). De quo juxta illos hæc pauca accipe.

Dico 1. quòd ad Spiritûs definitionem attinet, hæc est varia; 1. sic: Spiritus est id, quod nec quiete *Yn*, nec motu *Yam* potest comprehendi (B); dum enim se movet, quiescit; dum quiescit, se movet; sed in isto motu quieti mixto, & in ista quiete motui mixta, & motum & quietem numquam non habet (C); (nempe diversimodè). Spiritus est viæ excellentia; seu illa alternantis quietis *Yn* & motûs *Yam* via ùt est incomprehensibilis, dicitur Spiritus (D). Denique Spiritus est quid incomprehensibile & ineffabile (E).

2. Sic: Spiritus est id, quod omnes res longè transcendit, & omnes res mirè perficit (F). Nec separatur à re sensibili, nec in illa includitur; & quia omnes res longè transcendit, ideò ad omnes se extendit. Dum dici-

dicitur quòd quinque prima principia universalia sint tantùm una quies *yn* & motus *yam*, una autem quies *yn* & motus *yam* sint tantùm unus *Tay Kie* seu primus rerum Terminus, per hoc exprimitur Spiritus, quatenus est substantia omnes res longè transcendens. Dum dicitur, quòd quinque Cæli temperies (scilicèt tempus pluvium, serenum, calidum, frigidum, ventosum) obsequenti directione sibi invicem succedant; quatuor anni tempestates statá vicissitudine volvantur; Ens sine termino, quies *yn* & motus *yam*, quinque prima principia universalia excellentissimo modò unionem faciant; per hoc exprimitur Spiritus, quatenus est causa omnes res mirè perficiens (G).

3. Sic: Spiritus destruens & producens est duplicis vitæ seu duplicis operationis vitalis naturale Principium; quatenus enim Spiritus destruens, est quietis *yn* Intelligentia; quatenus Spiritus producens, est motûs *yam* Intelligentia; sive quatenus venit & se extendit, aut se communicat per rei productionem, dicitur *Xin*, id est Spiritus producens; quatenus redit, & se colligit aut desinit se communicare per rei destructionem, dicitur *Quei*, id est Spiritus destruens (H).

Unde nota: ista vox *naturale* non sumitur hîc prout opponitur libero, sed prout opponitur violento, adeóque & voluntarium & liberum potest esse naturale (I).

4. Sic: Spiritus est cæli ac terræ causa effectiva, seu rerum Effector prout dat eis esse aut desinere (K); dicitur causa effectiva, quia venit, & se extendit causando rei esse; redit & se colligit causando rei desinere (L); (vide hîc infrà in textibus num. 10. litterâ K. sub finem quomodo juxta Sinas fiat ista rei productio & desitio, ac quomodo ab eis explicetur) atque ita quatenus duplex causa effectiva, vel quatenus quid duplex dicitur *Quei Xin*, nempe Spiritus destruens ac producens. Quatenus autem est substantia omnes res longè transcendens seu quatenus unica causa quæ est Spiritus, (intellige causam in actu primo), aut quatenus unum quid spirituale, dicitur tantùm *Xin* nempe Spiritus. Unde dum dicitur ista vox *Xin* prout opponitur voci *Quei*; seu dum dicitur Spiritus quatenus producens cum respectu ad Spiritum quatenus destruentem, tunc partialiter, & inadæquatè sumitur; dum autem solitariè dicitur *Xin* sine respectu ad *Quei*, tunc potest idem intelligi ac *Tay Kie*, seu primus rerum Terminus (M).

Hinc

Hinc insuper habetur quòd hominis anima dum unitur corpori, dicatur *Xin* seu Spiritus (N); dum separatur à corpore, dicatur *Quei* (O); quamvis post separationem à corpore etiam sæpissimè vocetur adhuc nomine pristino *Xin* (P). Unde ulteriùs habes, quòd ista bina vox *Quei Xin* possit applicari cæli ac terræ Spiritui, hominis spiritui, ac aliis rebus, in quibus agit aut præest Spiritus (Q). Cur autem illi sinici Authores adeò operosè aut per effecta sensibilia, aut per abstractionem à re sensibili, aut per rationem vel viam incomprehensibiliter activam explicent naturam Spiritûs, illud ideò videntur facere, ut non putentur loqui de falsis Idolorum Sinensium spiritibus (R). Itáque ex his omnibus Spiritûs definitionibus, vel potius descriptionibus vides Sinas per vocem *Spiritus* intelligere Ens, vel Causam aliquam invisibilem immaterialem, abstractam a re sensibili, & humana mente incomprehensibilem.

Dico 2. Spiritus juxta illos sic dividitur: 1. est cæli ac terræ spiritus (S). 2. Agrorum, frugum, montium, fluminum & omnium specierum spiritus (T). 3. Est domûs spiritus; hunc quintuplicem enumerant (V). 4. Est hominum viventium spiritus. Hic subindè de solo hominis animo intelligitur (X); aliquando de ipso homine spirituali & interiori; qui enim interiori & imperceptibili virtute vel acutiori simul mentis perspicacia multum excellit, hic dicitur vir spiritualis (Z). De hoc spiritu sat sæpè agit liber mutationum ac productionum, nempe de spiritu seu intellectu penetrante Principis *Fo hi*, *Ven vam*, *Cheu kum*, qui invenerunt, explanârunt, tradiderunt istam mutationum ac productionum, seu causarum naturalium doctrinam per symbola ænigmatica repræsentatam (W). Unde & ipsammet Doctrinam vocant spiritualem, seu spiritum; nimirum partim ab acuto hominis intellectu aut spiritu, qui illam invenit ac tradidit; partim ab ipso naturæ Authore, cujus actiones & effecta continua, ùt passim sentiunt Sinæ, per illam indicantur & explanantur (Y). Imò & ipsos pullulantissimæ herbæ *Xi* calamos, quibus vario ordine dispositis & enumeratis adaptant ista symbola, & symbolorum partes ad videndum, utrûm ejusmodi conjunctio ac variatio indicet rem rectæ rationi consentaneam, necne, etiam vocant spirituales, & istam herbam *Xi* rem spiritualem (AA); nimirum instrumentaliter, seu instrumentum, quod spiritualis hominis intellectus disposuit & adhibuit ad indicandum rem à spirituali hominis ratione vel faciendam vel omittendam, vel prosequendam vel fugiendam (BB). Quemadmodum si quis arti-

ficium Algebræ, quod adhibetur ad eruendam radicem quadratam aut non quadratam, vocaret spirituale; intelligeret utique spiritualis intellectûs artificium.

5. Est hominum defunctorum spiritus. Hoc modo prisci illi homines, qui optime de Imperio ac republicâ meriti fuerunt, ideóque olim illis fiebat ceremonia Cy, vocantur spiritus (CC). Nimirum quinque celebres Imperatores, & Imperatorum quinque ministri famosi (DD). Et certè 1. Petri 3. homines defuncti in limbo existentes vocantur spiritus sic: *his qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit.* Ita etiam Avorum & parentum defunctorum animæ vocantur spiritus.

Jam verò cùm recentes Sinæ, qui Litteratorum Doctrinam profitentur, passim dicant hominis animam post mortem interire aut dissipari (EE); illósque esse sectarios, qui illam asserunt ad suum principium & originem redire, nihilque posse de hac re discuti (FF); certè frustra & male cohærenter juxtà illos inquirerem, ecquas illa post mortem qualitates, ecquas proprietates habeat? de hominis autem viventis animâ seu spiritu, ecquas qualitates, ecquas proprietates in vitâ habeat, dicetur posteà in Tractatu Ethicæ finicæ. Nunc igitur restat, ut inquiramus ecquas qualitates, seu ecquas proprietates illi spiritus qui nunquam intereunt, aut dissipantur, habeant (GG). Itaque

Dico 3. Spiritûs proprietates sunt hæ præcipuæ: 1. est *incorporeitas*; quia Spiritus nec figuram nec vocem habet (HH). 2. est *imperceptibilitas*, quâ nec ab oculo videri, nec ab aure audiri potest (II). 3. est perspicacitas, quâ non potest decipi (KK). 4. est *rectitudo*, quâ non potest adulando perverti (LL). 5. est *æquitas*, quâ bonis bona, malis mala affert (MM). 6. est *scientia*, quâ cognoscit res obscuras & reconditas, ad quas nec auris, nec oculus, nec hominis animus pertingit; imò vel minimam cogitationem cognoscit (NN). 7. est *maiestas*, quâ peccatis vilipenditur (OO); 8. est *inaccessibilis caligo*, seu invisibilis actio quâ suos effectus producit, ac sensibiles reddit (PP); ideóque summa oritur difficultas eum cognoscendi. Quocircà sufficit, inquiunt, spiritum colere, nec oportet nimium profundâ perscrutatione illius naturam investigare (QQ); magnáque est cœcitas adulatorio cultu petere ab eo aliquid, quod sciri non potest; unde homo debet tantùm in id incumbere quod ejus conditio, officium, & recta ratio ab eo postulat. Quod verò attinet ad cultum Spiritûs, sufficit reverentiam ei exhibere ad servitium præ-

præſtandum; nec oportet propinquiori acceſſu illum vilipendere, nec importunâ adulatione & oratione illi oblationem facere ad poſtulanda bona, nempe temporalia; nam de æternis vix, aut ne vix quidem reperias ab illis Sinis fieri mentionem (RR). En quò tota Spiritûs notitia, quam habent, recidit; ſed de hoc infrà. Nunc aliquis forſan objiciet: hîc dicitur unicus iſte cæli ac terræ Spiritus; nuper tamen audivi Sinas litare Cælo Regi, ac Terræ Reginæ; quid? quomodo id cohæret? vide, quæſo, qui hæc objicis, te priùs, ùt memini, dicere Sinas eſſe Atheos, ideóque huc uſque illud impugnavi; jam verò facis eos Idololatras; nam Rex Cælum, & Regina Terra, non minùs ſunt idola, quàm olim Cybele, ac Cælus ſeu Cælum. Sed ut objectionem ſolvam, ſequentem annecto quæſtionem.

Textus Librorum.

A. 1. In lib. Rit. cap. 24. *Cy y* agens de ſpiritu ſic Interpres *Chin hao:* ob abſolutiſſimam ejus præſtantiam & intelligentiam occultari neſciam, inditum eſt illi nomen maximè excellens, juſſúſque palàm vocari *Quei Xin*, ſeu Spiritus deſtruens ac producens, ut eſſet totius Imperii norma ac regula. Hinc omnes nôrunt quem vereantur, nec audent eum aſpernari; nôrunt cui ſubſunt, nec audent ei adverſari.

B. 2. Lib. mutat. ac product. parte *Xam chuen* art. 5. ſic: id quod nec quietè *yn*, nec motu *yam* poteſt comprehendi, dicitur Spiritus.

C. 3. Lib. naturæ & rationis brevis expoſitio tom. 1. art. *Tum cim*, ſic: quod dum movetur, non quieſcit; & dum quieſcit, non movetur, illud eſt res corporea; quod autem dum movetur (nempè à ſeipſo) quieſcit; & dum quieſcit, movetur; illud eſt Spiritus: attamen in iſto motu quieti mixto, & in iſta quiete motui mixtâ, & quietem & motum numquam non habet. Res corporea ad multa non ſe extendit; Spiritus autem omnia tranſcendit & perficit.

D. 4. Vera lib. mutat. ac product. expoſitio tom. 18. part. *Xam chuen*, art. 5. ſic: in omnibus articulis ſuprà dictis, uti continetur unius quietis *yn*, & unius motûs *yam* via, ita etiam continetur ipſius quietis *yn* & iſtius motûs *yam* Spiritus incomprehenſibilis; Spiritus enim eſt ipſa viæ excellentia, non ſic tamen ut præter viam habeatur aliud, quod vocetur Spiritus. Et paulò infrà: illa alternantis quietis *yn*, & motûs

tûs *yam* via dum exprimitur ùt est incomprehensibilis, dicitur Spiritus.

E. 5. Lib. naturæ & rationis brevis expositio tom. 1. art. *Xin hoa*: spiritus est Cæli virtus; causa est Cæli via; virtus quidem substantia; sed via est usus; utrumque cum vitali aurâ unum. Ens abstractum à materiâ, quod potest verbis exprimi, habet aliquid per quod possit repræsentari; spiritus autem est aliquid incomprehensibile; idcircò non adeò urgetur illius explicatio, verba enim non suppetunt ad eum penitùs explicandum. Causa est aliquid scitu ac penetratu dumtaxat difficile, & ideò magnoperè urgetur ejus explicatio; sed nec verba suppetunt ad illam prorsus, ùt est, verè explicandam.

F. 6. Lib. mutat. ac product. part. *Xue qua* art. 6. Spiritus est id quod omnes res &c. ut suprà in contextu.

G. 7. Lib. naturæ & rationis brevis expositio tom. 1. art. *tum cim:* res corporea uni parti astringitur; Spiritus verò nec à re corporea separatur; nec in illa includitur; in motu habet quietem, in quiete habet motum. Res quæ uni parti adstringitur, non potest ad multa generaliter se extendere; Spiritus autem quia omnes res longè transcendit, ideò ad omnes generaliter se extendit; dum dicitur quod &c. ut suprà in contextu.

H. 8. Interpres *Chu hi* in lib. immut. medii art. 16. citans doctorem *Cham* sic: Spiritus destruens ac producens, inquit Doctor *Cham*, est duplicis auræ vitalis naturale Principium; ego autem arbitror sic hoc explicandum: si exprimatur per duplicem auram vitalem Spiritus destruens ac producens; Spiritus destruens erit quietis *yn* Intelligentia; Spiritus producens, erit motûs *yam* Intelligentia; si autem per unicam auram vitalem; Spiritus veniens & se extendens, erit Spiritus producens; Spiritus rediens & se colligens, erit Spiritus destruens; reapse verò est una & eadem res, sivè unum & idem quid.

I. 9 Mencius lib. 2. cap. 7. *Cin sin xam* sic: quod homo sine studio potest agere, id habetur ex naturali ejus agendi facultate; & quod sine cura potest intelligere, id habetur ex naturali ejus intelligendi facultate.

K. 10. Interpres *Tsay hiu chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 3. in lib. immut. medii art. 16 sic: Spiritus destruens ac producens, inquit doctor *Chim*, est Cæli ac terræ opera, rerúmque Effectoris vestigia, (nempe

ſumpta per metonymiam, effectus pro cauſa, ùt patet ex ipſo textu & interpretatione hîc, & alibi). Doctor *Chim* veritus ne Litterarũ Alumni Spiritum inquirerent in quadam obſcura & recondita patria; ideò dixit *Cœli ac terræ opera, rerúmque Effectoris veſtigia; veſtigia*, inquam, quia Spiritus per hæc nonnihil ſe prodit viſui noſtro & auditui; proprius enim & originalis hujus loci ſenſus eſt, quòd Spiritus deſtruens ac producens nec videri nec audiri poſſit, ſed ita corpora penetret, ut ab eis non ſeparetur. Iſta verba, *Cœli ac terræ opera*, idem ſignificant ac hæc, *rerum Effectoris veſtigia*. Hæc verba *rerum Effector* indicant cælum ac terram, ut id in quo ipſe agit; agit autem vel cauſando rei exiſtentiam, vel cauſando rei deſitionem; primum eſt rem transferre à non eſſe ad eſſe; 2. eſt rem transferre ab eſſe ad non eſſe.

Deinde paulò infrà ſic: Interpres *Cim cham* triplicem ſupradictam Spiritûs deſtruentis & producentis explicationem à Doctore *Chu hi* recenſitam in unam complectens; *Spiritus*, inquit, *deſtruens ac producens, cœli ac terræ opera, duplicis vitalis auræ naturale Principium*, dum venit & ſe extendit, dicitur Spiritus producens; dum redit & ſe colligit, dicitur Spiritus deſtruens. Deinde ſic; iſtæ voces *Spiritus deſtruens ac producens*, comprehendunt Cælum, terram, homines & alias res. Quies *yn*, & motus *yam* non ſunt Spiritus deſtruens ac producens; ſed Prinicpium quietis *yn*, & motûs *yam* quod poteſt ſe colligere & extendere, abire & venire, id dicitur Spiritus deſtruens ac producens; quia ipſe eſt vitalis auræ vis motrix, cauſans motum & quietem; ideò dicitur duplicis vitalis auræ ſeu duplicis vitæ ſecundæ naturale Principium, ſcilicet quietis *yn* Intelligentia, & motûs *yam* Intelligentia; Cælum enim ac terra naturaliter & inviſibili modo res efficiunt; quòd autem quies *yn* & motus *yam* habeant iſtam Intelligentiam, eſt quia primus rerum Terminus dum ſe movet, producit modum *yam*; motu abſoluto quieſcit; quieſcendo producit modum *yn*; quiete abſolutâ rurſus ſe movet; atque ita alternans unus motus, & una quies eſt mutua iſtius modi *yn* & *yam* origo ac principium; atque hinc eſt cur modò abeat, modò veniat; modò ſe colliget, modò ſe extendat (nempe iſta Intelligentia ſeu Spiritus) inexhauſtâ viciſſitudine; idque eſt quod vocant duplicem cauſam effectivam. Hoc modo ſcis ab iſta duplici cauſa effectiva ita omnes res penetrari, ut ab ea non ſeparentur, nihil-



quæ aliud latet. Rursus paulò infrà, parva Doctoris *Chu hi* interpretatio, sic: Spiritus, inquit, dum dicitur cæli ac terræ opera, id tantùm intelligitur de rebus, in quibus se spectabilem facit; v. g. hæ res: frigore adveniente, æstas abit; sole abeunte luna advenit; quæ vere nata sunt, æstate adolescunt. Rursum eadem sic ait: ventus, pluvia, pruina, ros, sol, luna, dies, noctes sunt Spiritûs vestigia: Doctor *Chu hi* his verbis indicat se illa assumere ad demonstrandum hominibus, quomodo in animo secum meditando possint Spiritûs destruentis ac producentis locum attingere, ac scire. Si enim illa enumerata pro ipso Spiritu destruente ac producente assumerentur, jam ille posset videri & audiri (contra ipsummet textum). Deinde sol, luna, ventus, pluvia & similia quomodo unita possunt fieri principiũ dans rebus esse; & dissipata quomodo possunt esse principium dans rebus desinere? Sol ergo, luna, ventus, pluvia, & similia sunt etiam res, quæ à Spiritu destruente & producente penetrantur.

Iterum paulò pòst sic: dum per conjunctionem quietis *yn* & motûs *yam* incipit res habere suum esse; qui efficit ut incipiat ista res habere suum esse, est Spiritus se extendens, seu se communicans; dum autem per disjunctionem quietis *yn* & motûs *yam* desinit res habere suum esse, qui efficit ut ista res desinat habere suum esse, est Spiritus se colligens & rediens; & hoc est, quod textus dicit eum ità in omnes res penetrare, ut ab eis separari non possit.

Nota: iste modus loquendi *conjunctio quietis yn & motûs yam*, *& disjunctio quetis yn & motûs yam*, ut reducatur ad nostrum modum loquendi Europæum, quamvis aliquando posset utcumque intelligi de conjunctione, & disjunctione materiæ ac formæ; tamen generaliùs & universaliùs loquendo, videtur intelligendus de transitu à non actione, seu quiete ad actionem, seu motum; dum transitur à non actione ad actionem, ità ut ex non esse rei, fiat esse rei; tunc dicitur *conjunctio*; quia nimirum vel unitur materia cum forma, vel natura cum subsistentia, vel subjectum cum accidentibus; dum transitur à non actione ad actionem, ità ut ex esse rei fiat non esse rei, tunc dicitur *disjunctio*; quia nimirum ista disjunguntur. Istæ enim voces *yn* & *yam* in generalissima sua significatione, ùt jam patet ex dictis, & infrà magis adhuc patebit, nîl aliud significant, quàm quietem & motum; *yn* significat quietem vel negativam vel positivam, seu cessationem aut conservationem;

nem; *yam* significat motum, seu sequentem actionem; vel potius istæ voces *yn yam* significant modum ex hac quiete & motu resultantem, seu relationem transcendentalem. Deinde juxtà Philosophos omnis actio successiva admittit quasdam morulas seu quietem, ita ùt post primam actionem, fiat parva quædam morula, & post morulam altera numero actio, & post actionem altera numero morula, & sic deinceps. Itaque cum hoc modo agendi, ista alternans quietis *yn* & motûs *yam* reciprocatio sinica, seu productio habet quamdam affinitatem, aut fortasse est eadem quoad rem.

L. 11. Interpres *Tsay hiu Chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 4. in lib. immutab. medii art. 29. sic: cum Doctor *Chu hi* priùs dixisset: *Spiritus destruens ac producens est rerum Effectoris vestigia; & posteà dicat: spiritus destruens ac producens est summoperè absconditus & scitu perdifficilis;* utrumque ergo unum, & idem est. Illa nempè vox *vestigia* vult tantùm indicare quod Spiritus destruens ac producens se extendat & se colligat, veniat & abeat; non verò vult dicere eum esse aliquid sensibile, quod possit videri & audiri.

L. 12. Vera lib. mutat. ac prod. explanatio tom. 17. part. *Xam chuen* art. 4. citans Interpretem *Tsay hiu Chay*, sic: dies ac noctes, inquit Doctor *Tsay hiu chay*, superiora & inferiora, meridies & septentrio, alta & profunda sunt tantùm Principii caliginosi & lucidi vestigia; non sunt causa; causa est Ratio, per quam res sic fit. Et paulò pòst: istæ 2. voces *Vita* & *Mors* intelliguntur de homine & aliis rebus: hæ autem duæ *Quei xin* seu Spiritus destruens ac producens, intelliguntur de rerum Effectore. *Mors* & *vita*, id est hominis & aliarum rerum *mors* & *vita*; *Quei Xin* est illud quo homo & aliæ res moriuntur & vivunt. Rursus paulò infrà sic: Principii caliginosi & lucidi, mortis & vitæ, Spiritûs destruentis & producentis ratio seu essentia, est quid penetratu difficillimum.

Vide etiam hìc suprà num. 10. litt. K. sub. finem.

M. 13. Interpres *Tsay hiu Chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 3. in lib. immutab. medii art. 16. sic: dum dicitur Spiritus esse *Cœli & terræ opera*, exprimitur spiritus destruens ac producens, ut est duplex causa effectiva (nempe generationis & corruptionis in actu secundo); dum dicitur *Ens longè transcendens & mirè activum ac perfectivum*, exprimitur Spiritus ùt est unica causa, quæ est Spiritus, (nempe causa in actu pri-

mo); dum dicitur vox *Xin* prout opponitur voci *Quei*, seu Spiritus producens prout opponitur spiritui destruenti; tunc partialiter & inadæquatè sumitur; dum autem solitariè, & tantùm dicitur *Xin* sine respectu ad *Quei*, tunc potest idem intelligi ac *Tay Kie*, seu primus rerum Terminus.

N. 14. Interpres *Tsay hiu Chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 5. in lib. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic: dum interpretes explicant quid sit cor, dicunt esse hominis Spiritum intelligentem.

O. 15. Lib. Rit. tom. 8. cap. 23. *Cy fa*: quidquid in mundo vivit, accipit certam & suæ vitæ & statûs legem; istæ omnes res, ubi intereunt, dicuntur destructæ; homo autem ubi interit, dicitur *Quei* Spiritus rediens. Tum ibi Interpres alludendo ad litteram *Quei*, id est *spiritus rediens*, & ad aliam litteram *Quei*, id est *redire*, sic ait: dum homo dicitur *spiritus rediens Quei*, per id significatur ipsum habere quò redeat.

P. 16. Interpres *Chu hi* in lib. carm. tom. *Ta ya* odâ *Ven vam*, sic: hæc stropha ait defuncti Principis *Ven vam* spiritum finicè *xin* sursum existere, & clarè in cælo splendescere.

Q. 17. Interpres *Cham Kiu Chim*. tom. 6. in lib. sent. art. 8. sic: Spiritus abiens & veniens, se colligens & se extendens, seu se communicans comprehendit & spiritus cæli, & spiritus terræ, & hominis defuncti animam. Vide etiam hîc suprà n. 10. litt. K.

R. 18. Vide hîc suprà num. 10. litterâ K.

S. 19. Lib. Rit. cap. 5. *Vam chi* sic: Imperator facit oblationem *Cy* Cælo, ac Terræ, (id est Spiritui); Regulus agrorum ac frugum spiritui. Imperator facit oblationem *cy* celebrioribus Imperii montibus ac magnis fluminibus in sua ditione positis.

T. 20. Lib. Rit. cap. 5. *Vam chi*: si montium ac fluminum spiritibus non fiat oblatio *cy*, contra reverentiam peccatur.

T. 21. Lib. Annal. Imperial. tom. 1. cap. *Xun Tien* sic: deinde princeps *Xun* litavit cæli Domino ac Rectori *Xam Ti*; fecit oblationes temporis, frigoris & æstûs, solis, lunæ, stellarum, siccitatis & humiditatis venerandis spiritibus; item montibus & fluminibus, (id est eorum spiritibus); denique omnium spirituum multitudini.

V. 22. Lib. *Pe hu tum*. tom. 1. cap. *V su* sic interrogat: quænam sunt istæ 5. oblationes? Resp. eæ, quæ fiunt spiritui domûs portæ, cubiculi

biculi portæ, putei, (lib. Rit. cap. 6. *Yue lim*, loco *putei* ponit *via*), domûs meditullii, & foci.

X. 23. Vide hîc suprà num. 14. litterâ N.

Z. 24. Quotidiana 4. lib. explicatio tom. 26. in lib. 2. Memcii, cap. 8. *Cin sin hia* sic: qui tam subtili, purâ, integrâ & ità ab omnibus sensibus remotâ virtute excellit, ut quamvis admirabilia opera efficiat, percipi tamen ac comprehendi non possit, hic dicitur vir spiritualis.

Z. 25. Lib. mutat. ac product. part. *Chuen hia* art. 5. sic: annon vir verè spiritualis ille est qui intimos rerum impulsus ac tendentias cognoscit? ad quem locum vera hujus libri expositio tom. 18. sic: nulla in mundo res est, inquit Confucius, quæ intimum aliquem specialem impulsum ac propensionem non habeat; qui illam potest cognoscere, an non is verè vir spiritualis, & intelligens est?

W. 26. Vera lib. mut. ac product. expositio tom. 19. part. *Xam chuen* art. 10. sic: summa perfectio, summa mutatio, & summa spiritualitas est libri mutationum ac productionum via; & hanc vir sapiens efformavit. Dein paulò pòst: illa figurarum symbolicarum mobilitas est id, quo vir sapiens profundissimæ subtilitatis rationem exhausit; nimirum summam illam mobilitatem spiritualitate donando.

Y. 27. Vera lib. mutat. ac product. expositio tom. 18. part. *Chuen Xam* art. 9. citans Interpretem *Tsay hiu chay* sic: hic Doctor significat in doctrina libri mutationum ac productionum contineri rationem, quæ illam spiritualem reddit, v. g. hæc verba *Cæli virtus prima seu magna, communicativa, directiva, perfectiva; noli uti; prodest*, & similes ejus doctrinæ dictiones. Hæc enim suis regulis efficiunt, ut homo in suis actionibus rectam sequatur rationem; hócque habetur ex numero symbolorum Ænygmaticorum, eorúmque partium numericarum variè convoluto; hinc doctrina libri mutationum ac productionum habet quo virtutis opus spiritualizet, seu valde spirituale efficiat.

Y. 28. Vera lib. mutat. ac product. expositio tom. 17. art. *Chuen Xam* art. 4. cùm ergo hæc libri mutationum ac productionum via sit tanta, támque vasta, quomodo vir sapiens illam potuit ad usum revocare? Resp. ista via est unica; sed prout diffunditur ac dividitur in cælo, terra, & omnibus rebus, dicitur ratio; prout infunditur ac recipitur in hominibus & aliis rebus, dicitur natura; prout continuè semper agit in rerum Effectore, dicitur Lex. Solus autem vir sapiens potuit illam pe-

N 3 netra-

netrare & mente complecti. Hîc ergo refertur quomodo vir sapiens doctrinam mutationum ac productionum ad usum revocârit, exhauriendo & penetrando totam rationis amplitudinem.

AA. 29. Liber mutat. ac prod. part. *Chuen Xam* art. 11. sic: *quocirca illa herba Xi* calamorum *vario ordine ac forte adaptatorum vis evadit spiritualis.* Ad quem locum vera hujus libri expositio tom. 19. sic: quamvis istius doctrinæ mutationum ac productionum usus ad omnes mundi res se extendat; tota tamen illius ratio in mente sapientis reapse concludebatur; idcircò tantummodò habet istas herbas *Xi*, symbola Ænigmatica, & eorum partes numericas.

AA. 30. Liber mutat. ac product. part. *Chuen Xam* art. 11. sic: *idcircò vir sapiens cùm Cæli viam ritè intelligeret, & populorum res attenderet, instituit illam rem spiritualem ad promovendam populorum utilitatem.* Ad quem locum vera hujus libri exposito tom. 19. sic: sapiens cùm hujus doctrinæ rationem in mente conclusam teneret, posteà eam exteriùs proditam adaptavit isti herbæ *Xi*, & testudini, ut hoc modo cognitum illius doctrinæ usum possent populi in praxim deducere. Et paulò pòst: dum populi illo doctrinæ artificio utuntur, spiritus (nempè artificii Authoris spiritus) naturali populorum facultati claram indit intelligentiam; dum sapiens illo usus est, suus ipse spiritus naturali suæ facultati claram indidit intelligentiam.

AA. 31. Lib. mutat. & product. part. *Chuen Xam* art. 10. sic: *doctrina libri mutationum ac productionum cogitatione, & actione caret*; ad quem locum vera hujus libri expositio tom. 19. sic: istæ voces, inquit Doctor *Chu hi*, *doctrina mutationum ac productionum* indicant symbola ænigmatica eorúmque partes numericas cum calamis herbæ *Xi* in certum ordinem distributa; hæ verò *cogitatione & actione caret*, significant illa animo, mente, intentione carere. Et paulò pòst: ista symbola cum calamis herbæ *Xi* sic distributa, sunt quid deliberationis, & rationationis expers; ideò dicuntur *cogitatione & actione carere*: dum dicitur *cogitatione & actione caret*, inquit Doctor *Tsay hiu Chay*, id significat tantùm, quòd animo, mente, intentione careat, nempe ista doctrina, seu symbola ista ænigmatica.

BB. 32. Quotidiana lib. mutat. ac product. explicatio tom. 16. part. *Xam chuen* art. 11. sic: quod attinet ad illam herbam *Xi*, est tantùm una planta, sicut aliæ; fac ut in virum sapientem non inciderit, unde

de

de sanè nosceretur res spiritualis esse? si enim intelligens & perspicax viri sapientis spiritus illius artificium non instituisset, illâque non usus fuisset; ista res spiritualis semper res inutilis remansisset. Quî sanè illa herba *Xi* ex se potuisset fieri spiritualis? idcircò ista res spiritualis non est aliquid spirituale, sed tantùm post institutum à viro sapiente illius artificium, tunc factum est aliquid spirituale.

CC. 33. Lib. Rit. tom. 8. cap. 23. *Cy fa* sic: prisci illi Imperatores & scientiâ & virtute inclyti, sic faciendæ ceremoniæ *Cy* ritus ac leges instituerunt, ut qui præclara vitæ ac regiminis præcepta populis olim tradiderant, iis fieret ceremonia *Cy*; qui pro publica utilitate sollicitanda vitam profuderant, iis fieret ceremonia *cy*; qui strenuis suis laboribus vacillantem imperii statum consolidaverant, iis fieret ceremonia *cy*; qui magnis populi ærumnis opem tulerant, iis fieret ceremonia *cy*; denique qui magna populorum mala impedierant, iis fieret ceremonia *cy*, seu ceremonialis gratitudinis exhibitio.

DD. 34. Lib. sermon. domestic. Confucii art. 24. Cælum continet 5. prima principia universalia, aquam, ignem, metallum, lignum, humum, quæ juxta varias anni tempestales serviunt ad rerum productiones & nutritiones. Illorum spiritus dicuntur 5. illi prisci Imperatores. Prisci illi Imperatores quia mutando Imperia mutabant & Imperii cognomen, repræsentabant ista 5. prima principia universalia, quæ alternatim præsident assiduis rerum generationibus & corruptionibus. Hinc Imperator *Tay hao*, id est *Fo hi*, ligno; Imperator *Yen ti* id est *Xin num*, igni; Imperator *Hoam ti*, humo; Imperator *Xao hao*, metallo; Imperator *Chuen hio*, aquæ comparatus est. Et paulò pôst: ego, inquit, Præfectus *Kam*, audivi Principem *Keu vam*, ligni; Principem *Cho yum*, ignis; Principem *Jo xeu*, metalli; Principem *Hiuen mim*, aquæ; Principem *Heu tu*, terræ esse primarium Præfectum; adeóque sunt Præsides istorum quinque primorum principiorum universalium; eccur igitur non vocantur etiam Imperatores? illæ quinque primariæ Præfecturæ, reponit Confucius, sunt tantùm virorum quinque primis principiis universalibus præfectorum nomina appellativa. Deinde paucis verbis interjectis sic: hi quinque Præfecti juxta id quod gerere valuerunt, unusquisque suum habuit munus; dum vixerunt, erant primarii Imperii Mini-

Ministri; post mortem sunt honorarii spiritus; alio nomine vocantur quinque ceremoniarum *cy* spiritus; non verò vocantur Imperatores.

DD. 35. In lib. Rit. tom. 3. cap. 6. *Yue lim* Interpres *Chin hao* agendo de Imperatore *Fo hi* ac primario Imperii ministro *Keu vam*, sic: quia illi viri scientiâ, virtute, spiritualique perfectione absoluti Cælique legi obsequentes, verbo & exemplo perfectæ disciplinæ normam tradendo, in vita sua optimè de populo meriti sunt; ideò posteriores Imperatores verno tempore illis facere ceremoniam *cy* cæperunt; atque eadem est ratio de aliorum quatuor temporum Imperatoribus, & spiritibus; nempe præcedenti num. 34. enumeratis.

DD. 36. In lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem* Interpres *Chin hao*, agendo de Imperatoris *Xin num*, & principis *Heu cie* defuncti animabus, & aliis sic: quia vir sapiens vult illis spiritibus de Imperio optimè meritis grates persolvere, ideò quærendo (nempe ubinam sint) iis facit ceremoniam *cy*.

EE. 37. Interpres *Tsay hiu chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 5. in lib. sent. art. 3. sic: dum dicitur vitalis cæli, terræ, montium, fluminum, agrorum, frugum, aura quæ ab omni ævo nunquam destruitur (nempe vivens spiritus) excipere, atque gratam habere ceremoniam *cy* statim atque ei fit, hoc certè verum est, & rationi consonum. Sed quod ad hominem attinet, cùm moriendo ejus anima in cælum, corpus in terram redeat, post destructionem omninò perit ac desinit. Deinde paulò infra: denique si res intimè, ac profundè discutiatur, defunctorum Avorum aura reverà desiit, ac prorsus periit.

FF. 38. Interpres *Tsay hiu Chay* comment. *Su xu mum yn* tom. 3. ad lib. immutab. medii art. 16. sic: quod quidem attinet ad spiritûs adventum (nempe in hominis generatione), oportet fateri verum & realem esse; quod verò attinet ad reditum, si verborum sensum ad litteram sequaris, tunc erit id quod sectarii Idololatræ asserunt, illum ad suum principium & originem redire; qua de re nihil potest discuti.

GG. 39. Vide hîc suprà num 37. litterâ EE.

HH. 40. Interpres *Tsay hiu Chay* in eod. tom. in lib. immutab. medii art. 16. sic: quamvis autem spiritus corpore & voce sit expers, reapse tamen & verè existit illius ratio.

II. 41.

II. 41. Quotidiana 4. libror. explicatio tom. 2. in libr. immutab. medii art. 16: tantùm in mundo possunt videri res illæ, quæ sunt corporeæ; hinc Spiritus cum sit incorporeus, quamvis illum videre velis, non tamen vides. Deinde tantùm in mundo audiri possunt res illæ, quæ voce constant; hinc Spiritus cum vocis sit expers, quamvis illum audire velis, non tamen audis. Vel dic: quamvis illum videas & audias in effectis, non tamen illum in seipso vides & audis.

KK. 42. Quotidiana 4. lib. explicatio tom. 4. in lib. sentent. artic. 3. proh! dolor, inquit Confucius, iste Præfectus *Ki* sic leges ac ritus transgrediendo, & adulationibus bona quærendo, ecquem sanè animum habeat, ignoro. Celebris vir ille *Lin fam* quamvis tantùm foret privatus regni *Lu* incola, pravos tamen sæculi mores etiam vel sic optimè nôrat; & in quo vera rituum, & honestatis ratio consisteret, percontari studebat; quantò autem magis præ hoc vulgari homine *Lin fam*, ille montis *Tay xan* primi inter quinque famosos montes Spiritus, qui ob suam perspicacitatem & intelligentiam non

LL. potest artibus falli, ob suam rectitudinem & æquitatem non potest adulatione depravari; quantò, inquam, magis ille novit & rituum, & honestatis leges? quî ergo illius præfecti *Ki* oblationem *cy* Ritibus & honestati contrariam, excipiet?

Idem eodem modo habet Interpres *Cham kiu chim* tom. 4 qui inter alia sic ait: Spiritus non potest falli, aut decipi; & paulò pòst: illius montis Spiritus perspicax, intelligens, æquus, rectus, profectò novit ritus, & honestatis leges.

MM. 43. Interpres *Cham kiu chim* tom. 2. in lib. immutab. medii art. 16. sic: quia autem vera & realis Spiritus producentis & destruentis, seu venientis & redeuntis Ratio in mundo assiduè agens, potestatémque ac curam gerens bonis bona, malis mala dispensandi existit; ideò perfectus illius decor, ac intelligens aura clarissimè se foris conspicuam prodit, atque ita occultari non potest.

NN. 44. Liber naturæ & rationis brevis expositio tom. 2. art *Hoam Kie* sic: simul atque aliqua cogitatio erumpit, statim hanc Spiritus producens ac destruens cognoscit. Idcircò vir sapiens internæ sui cordis solitudini diligentissimè invigilet necesse est.

NN. 45. Interpres *Cham kiu chim* tom. 3. in libr. immutab. medii art. 24: quamlibet enim rem obscuram ac reconditam, ad quam

O nec

16

nec auris, nec oculus, nec cor, nec cogitatio pertingit, quámque nec homo scire potest, præter id, quod jam dixi, solus Spiritus destruens ac producens scire ac nôsse valet.

OO. 46. In librum *Ver* & *Autumnum* cap. *Yn kum* sic Interpres *Hu*: longè verò pejores sunt istæ conjurationes particulares, ac confœderationes, quæ Spiritum destruentem ac producentem offendunt, boni regiminis leges transgrediuntur, ità ut tandem omnia destruant ac pervertant.

OO. 47. Liber Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y* sic: *ratiocinatione autem inquiritur, ac penetratur Spiritûs destruentis ac producentis natura, ut veneratio superiori adhibeatur*; ad quem locum sic Interpres *Chin hao:* in inquirenda ac penetranda Spiritûs destruentis ac producentis natura, agnoscitur summa illius majestatis ratio.

PP. 48. Interpres *Tsay biu chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 3. in lib. immutab. medii art. 16: proh! quàm non potest concipi, ac comprehendi Spiritus destruens ac producens! vide cap. 2. quæst. 3. in textibus num. 19. litterâ P.

QQ. 49. Quotidiana 4 lib. explicatio in lib. sentent. art. 7. sic: cùm autem spiritus non possint cognosci, illos revereri, & à profunda illorum investigatione abstinere possumus.

RR. 50. Interpres *Cham kiu Chim* in lib. sentent. art. 6. sic: homo vivens in rebus quotidianis ex se habet rectam agendi viam, quam debet sequi; quod enim attinet ad bona, quibus bonos, & ad mala, quibus malos afficere solet Spiritus destruens ac producens, quamvis ea cum hominum actionibus mutuam habeant connexionem, sunt tamen res valdè obscuræ, abstrusæ, & scitu difficillimæ. Unde maxima est cæcitas adulatoriè illi inservire ad quærendum id, quod sciri non potest. Unum ergo in quod totis viribus incumbere oportet, est rectæ hominis viæ seu rationi sese conformare; quidquid recta ratio agendum dictat, agere; quidquid uniuscujusque munus ac conditio ab ipso postulat, id totum verè & accuratè exequi. Quod verò spectat ad spiritus (nempe generatim) vel ad Spiritum destruentem ac producentem, sufficit debitam illi reverentiam exhibere ad servitium præstandum, nec oportet propinquiori accessû illum vilipendere, nec importuna adulatione illi oblationem facere ad postulanda bona.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quid est juxta Sinas *Kiao Xe*, seu Cælo ac Terræ litare?

HÆc quatuor mihi videntur maximè explicanda 1. quid sit litare Cælo? 2. quid sit litare Terræ? 3. an litare Cælo ac Terræ, sit litare cælo materiali, ac terræ materiali; an potius ejus Spiritui? 4. an litare Cælo ac Terræ sit litare unico cæli ac terræ supremo Spiritui?

Dico 1. Cælo litatur dupliciter 1. sub dio, 2. sub tecto. Quando sub dio litatur, ei servitur juxta id, quod Cæli via seu Cæli agendi via postulat, & ad indicandum quod cæli ac terræ Spiritus domum non habeat, seu domo non constringatur; storeæ ex stramine, vel vimine contextæ, (olim Sinæ humi super storeas sedebant) figulinæ cucurbitæ, seu scutellæ, tenellus vitulus cornibus pullulare incipientibus adhibetur; solum verritur, & sic litatur (A). Ad repræsendandum Cælum apponebatur vicarium solis signum, sicuti ponitur Regulus aut Præfectus primarius in rebus Imperatoriis ad repræsentandum Imperatorem; imò & solis signo adjungebatur lunæ signum tanquam solis comparativum seu correlativum (nempe utriusque nomen scriptum in aliqua tabella, vel papyro, vel quid simile); utrumque tamen ad repræsentandum Cælum (B); vel potius ad repræsentandam & demonstrandum Cæli viam seu Cæli agendi viam; hæc Cæli via est tantùm visibilis in suis effectis, non autem in ipso Effectore (C). Quando sub tecto litatur Cælo, ei servitur juxta id, quod cæli Domini via postulat. Agnus & vitulus, cannea & lignea vasa, cacabus & lances escis plenæ adhibentur, libamináque sunt cocta (D). Olim sub tecto in Imperialis palatii aula litavit Imperator *Vu vam*, Imperator *Hoam ti*, Imperator *Xin num;* adeóque antiquitùs aliqua Imperialis palatii aula erat litaminis locus (E). Imò & hæc serviebat ad faciendam ceremoniam *Cy* illorum quinque Imperatorum priscorum dictorum *Ti* & quinque primariorum Imperii Ministrorum dictorum *Xin* (quorum nomina vide in præcedentis quæstionis textibus num. 34. litt. DD) animabus (F).

Cæterùm cùm Cælum nihil sit aliud, quàm cæli Dominus; & cæli Dominus nihil sit aliud quàm Cælum; ideò ista litaminis diversitas tan-

tum petebatur ex eo, quòd litando Cælo sub dio, erigeretur rotundus agger; & propterea dicebatur litari Cælo ob figuram illius aggeris rotundam, cæli rotundi repræsentativam; & quòd litando sub tecto, ei ùt cæli ac terræ Spiritui inserviretur; & propterea dicebatur litari cæli Domino (G); huic explicationi videtur standum; quamvis varii varia incertè opinentur (H). Hinc fortasse factum est, ut lapsu temporis in Pekini suburbiis ad quatuor mundi plagas exstructa fuerint quatuor ædificia cum suis aggeribus ornatis, quorum unum ad meridiem situm, Cæli; alterum ad septentrionem, terræ; tertium ad orientem, solis; quartum ad occidentem, lunæ nomine insignitur; uti habentur delineata in libro *Ta mim hoei tien* tom. 81. & 83. Si Imperator, vel alius ejus nomine adhuc ibi litet aut faciat oblationem *Cy*, loquere juxta ea, quæ hîc suprà, aut infrà recensentur; nisi obstet diversa intentio, vel nova institutio libris classicis dissona. Liber enim *Ven hien tum cao*, qui fusè per plures tomos tractat istas Cæli, terræ, solis ac lunæ oblationes, refert multa in illis sæpius facta fuisse, quæ non erant juxta librorum classicorum doctrinam, sed juxta Sectariorum seu Idololatrarum errores.

Præterea quia omnes res suam à Cælo trahunt originem, & homines suam à suis Avis; ideò Imperatores conferebant suos Avos seu suæ familiæ conditorem cum Cœlo; dúmque sub dio in loco suburbano litabant Cælo, (hoc litamen Cæli sub dio vocatur *Kiao*; quæ vox *Kiao* significat suburbium; unde litaminis nomen) tabellam illius nomine inscriptam apponebant velut ad comitandum in mensa Cæli Dominum (I). Posteà princeps *Cheu Kum* cùm vellet singulari honore Patrem suum *Ven vam* defunctum colere, nec auderet ei sub dio in loco suburbano facere ceremoniam *Cy* eodem modo, quo fiebat principi *Heu cie* suæ familiæ conditori, nec aliunde auderet Cæli Spiritum sive cæli Dominum, intrà parentalis Avorum defunctorum ædificii angustias, simili, quo homines defuncti coluntur, ritu colere, atque ità ejus servitium vilipendere (K); ideò cæpit in imperialis palatii aula patri defuncto ceremoniam *cy* facere, eum cum cæli Domino conferendo, seu comitem ponendo hoc modo: cæli Domini signum stabat in medio; Principis *Ven vam* signum in parte austro-occidentali; utrúmq; orientalem plagam spectans; quique præerat huic ceremoniæ *cy*, & ad quem illa dirigebatur, erat cæli Dominus (L); adjungebat autem patrem suum *Ven vam* velut comitem cæli Domino; quia sicut cæli Dominus est rerum productarum Parens pri-

primus, seu primum principium; ita pater est is, à quo filius productus est (M). Verùm cùm sic parentes defunctos velut comites cæli Domino adjungebant, non eodem modo & cæli Domino & parentibus defunctis ceremoniam *cy* faciebant; ritus enim erant diversi; nam pro cæli Domino tener vitulus per trimestre spatium, in mundo caulæ loco separatus; pro Avis defunctis vitulus quilibet obvius & paulò grandior adhibebatur (N); & id quidem fiebat ut distingueretur servitium, quo colitur cæli Dominus, à servitio quo coluntur hominum defunctorum animæ (O); nec utriusque ceremoniæ finis erat univocus: parentalis enim ceremoniæ finis tantùm erat correlativus & comparativus (P). Multas alias omitto differentias.

Dico 2. videtur etiam litatum Terræ dupliciter. 1. confundendo Terræ litamen cum prædicto Cæli litamine sub dio, seu comprehendendo Terræ litamen in isto Cæli litamine; Cæli enim litaminis vasa repræsentabant cæli & terræ naturam; hócque Cæli litamen erat id, quo Cæli via seu Cæli agendi via demonstrabatur & intelligebatur (Q). In Cæli autem via comprehenditur terra; nam Cælum & terra quatenus ratio, est Cæli via, ut diximus suprà in quæst. 3. textibus num. 34. litterâ (W). Unde sæpius non exprimitur terra, quia terra in Cælo concluditur, sive sumas Cælum pro corpore sensibili, sive pro aura vitali (R). Insuper cùm sæpè dicatur Imperator litare Cælo ac Terræ, ac terra tacitè comprehendi in litamine Cæli (S); nec detur boreale *Kiao*, id est Terræ litamen seu locus in boreali suburbio ad litandum Terræ, (hic enim locus spectat ad sequentem modum litandi Terræ (T); sequitur Terræ litamen in Cæli litamine comprehendi.

2. Alius ergo modus Litandi Terræ sic est: olim Imperator cùm alquem terræ tractum in regnum erigeret, tunc destinabat specialem locum ad faciendam ceremoniam *cy* quot annis Vere & Autumno, frugum Spiritui, sine quibus homnes vivere, & terræ seu regionis agrorúmque Spiritui, sine quibus fruges crescere, & homines stare non possunt. Hic locus erat intra septa parentalis Regum defunctorum ædificii ad dexteram ejus partem, inter mediam & primam, seu exteriorem portam situs sic: in medio prostabat sub dio cæmentitium terræ suggestum non valdè altum, cujus latus orientale cæruleo, australe rubeo, occidentale albo, boreale nigro colore depictum erat. Facies superior rubrâ glebâ contegabatur, flavâ autem, si erat imperiale suggestum; nam Imperator

etiam habebat duo ejusmodi terræ suggesta, alterum pro sua imperiali urbe, alterum pro toto imperio; uti & quisque Regulus habebat duo, alterum pro sua regia urbe, alterum pro suis populis seu pro sua ditione; imò & primarii Præfecti seu Toparchæ habebant unum. Suggestum Imperiale amplum erat 50. cubitis; regale 25. Circum istud suggestum extendebatur area plana, in qua longæ arborum series hinc & hinc satæ erant. Hæc area humili muro circumquaque claudebatur (V). Itaque Imperator præter locum vel aggerem suburbii australis, in quo litabat simul Cælo ac Terræ (X), habuit adhuc alium locum, in quo speciatim litabat Terræ. Et hic locus videtur fuisse triplex, saltem subinde.

Primus est ille qui vocabatur absolutè *Xe*, id est spiritûs terræ suggestū; ubi Imperator in solstitio æstivo litabat Terræ (Z); éstque id quod malè vocârunt *Pe Kiao*, id est borealis suburbii agger ad litandum Terræ; quia ista vox *Kiao* propriè indicat Cæli litamen, quod fit in australi suburbio (W). Iste locus *Xe* vocatus est etiam *fam xe* vel *fam Kieu*, id est quadrati aggeris fossa, in qua res oblata tumulabatur. Sed jam à multis sæculis maxima de hoc litamine extitit & nunquam finita controversia inter Doctores finicos, utrùm nempe Imperator deberet litare conjunctim Cælo ac Terræ, an divisim? Unde quidam Imperatores litârunt conjunctim, alii divisim, id est Cælo in solstitio hiberno & Terræ in solstitio æstivo; alii modò conjunctim, modò divisim. Háncque controversiam per plures tomos, nempe 70.71.72.74.75.&c. discutit liber *Ven hien tum Kao*. Unde, ut arbitror, liber *Ta mim hoei tien* litamen Cæli ac Terræ conjunctim, in tomo 81; Cæli litamen divisim in tomo 82; Terræ litamen divisim in tomo 83. proponit.

2. Imperatoris locus ad litandum Terræ fuit dictus *Tay xe*, id est magnum ac primarium terræ suggestum, quod Imperator erigebat ad litandum terræ Spiritui in gratiarum actionem pro toto suo Imperio.

3. Fuit dictus *Ti xe*, id est Imperiale Terræ suggestum quod ad eumdem finem erigebat Imperator pro sua imperiali urbe (Y).

Insuper in primordiis Monarchiæ finicæ, postquam Princeps *Kum Kum* adeptus fuisset aut sibi subjugâsset totas novē Chinæ provincias, id est totā Chinā sic tunc divisam; ejus filius *Keu Lum*, qui illā tranquillitate donavit, aquas exundantes repressit, rem agrariam provexit, dictus fuit *Heu tu*, id est præfectus terræ, seu in terram dominans (AA); ideóque quando litabatur terræ Spiritui in aliquo ex dictis suggestis, etiam illi simul fiebat ceremonia

nia *cy*, ponendo eum velut mensæ comitem cum terræ Spiritu ad grates pro priscis beneficiis persolvendas; paríque modo Principem *Heu cie*, (*Heu cie* id est præfectum frugibus, seu in fruges dominantẽ) qui rem agrariam multùm etiam olim promoverat, ponebant velut mensæ comitem cum frugum Spiritu; & dum litabant frugum Spiritui, unà etiam illi faciebant ceremoniam *cy* (BB). Hinc factum est, ut ille Princeps *Keu lum* etiam diceretur Spiritus terræ, seu agrorum; & Princeps *Heu cie* frugum Spiritus (CC); (nempe animæ defunctorum hominum, olim rei agrariæ præfectorum, non autem veri agrorum & frugum Spiritus). Unde in hoc suggesto non illis primariò fiebat ceremonia *cy*; sed tantùm per concomitantiam. Primariò enim fiebat ceremonia *cy* vel supremo terræ ac cæli Spiritui, vel tutelari Spiritui, ùt mox dicam. Illis autem hominibus defunctis tantùm fiebat velut mensæ appositæ seu convivii comitibus apponendo eorum tabellas è latere tabellarum verorum Spirituum ad grates pro beneficiis olim acceptis persolvendas (DD).

Quod attinet ad fanum *Chim hoam*, nullam habet cum his connexionem. Hujus origo, ùt referunt, hæc est: vixerat sub Imperio familiæ *Hán* quidam militiæ Præfectus nomine *Ym*, cognomine *Quon*, fidelitate & fortitudine spectabilis; posteà sub Imperio familiæ *Cin* primo erectum est illi honorificum signum. Deinde lapsu temporis erectum fanum cum elaborata statua; creditur præesse magistratibus, urbibus, civibus. Hinc quilibet magistratus in suscipiendo officio, & posteà primo ac decimo quinto cujusque mensis die illud fanum adire solet, ibique coram statua se prosternit (EE). Hæc ergo statua non minùs Idolum est, quàm alia plurima Sinensia; nec quidquam habet commune cum prædicto terræ suggesto; & certè de illis duabus vocibus *Chim hoam*, quæ de se significant *siccas menium fossas*, nullum omninò verbum, nec ullam mentionem faciunt libri classici eorúmque interpretes, adcóque illud fanum non spectat ad doctrinam eorum Sinarum, de quibus hìc agimus. Verum quidem est quod liber *Ta mim hoei tien* tom. 94. agat de isto *Chim hoam*, & illi ceremoniam *cy* unà cùm Animabus, quæ parentantibus carent, superstitiosam & ridiculam præscribat, sed nullius libri classici authoritate fultam, nec iste liber *Ta mim hoei tien* est classicus quoad doctrinam, multásque alias habet superstitiones, maximè ab Imperatore *Kia cim* sectariorum & Idololatrarum sequace & fautore institutas. Imò idem liber etiam præscribit isti Spiritui *Chim hoam* unà cum montium ac fluminum Spiritibus commu-

nem

nem ceremoniam *cy*, adeóque rursus ibi vel superstitiosè loquitur, vel aliter sumit istum *Chim Choam*, id est mœnium Spiritum.

Jam verò prædicta terræ suggesta, quæ olim Imperator, Reguli, Toparchæ intra septa parentalis suorum Auorum ædificii habebant, arbitror nunc non ampliùs eodem modo subsistere; sed liber *Ta mim hoei tien* tom. 85. dicit imperiale terræ ac frugum suggestum *Tay xe cie* erectum esse extra meridionalem portam ad latus dextrum (nempe in urbe imperiali) cum suo septo aut muro circumducto; & ibidem ejus delineatio habetur; uti & ejus ceremonia *cy*. Item, uti ibidem dicitur, Imperator *Kia cim* jusserat in alio septo erigi Imperiale terræ ac frugum suggestum *Ti xe cie*. Suggestum *Tay xe cie*, est suggestum pro toto Imperio, ùt suprà dixi; *Xi Xe cie* est suggestum pro ipsa urbe Imperiali. Sed hoc suggestum *Ti xe cie* & ejus ceremonia *cy* posteà abrogata est, ait idem liber.

Præterea idem liber tom. 94. pro aliis omnibus Chinæ urbibus præscribit ac describit Spiritus regionis ac frugum suggestum seu aggerem, ejusque ceremoniam *cy*. Hujus suggesti descriptionem, prout illud vidi & perlustravi in urbe *Nancham* metropoli provinciæ *Kiam si*, hîc infrà appono; cumque Imperium Sinicum tantoperè amet in rebus publicis, & maximè in ædificiis omnimodam ubique uniformitatem, existimo ejusmodi suggesta, seu terræ aggeres, qui prope reliquas urbes etiam erecti sunt, esse huic conformes ac similes. Sic ergo: hæc metropolis *Nan cham*, quia divisa est in duas urbeculas, ut ferè solent aliæ Provinciarum metropoles, habet in suis suburbiis duo terræ suggesta, alterum ad meridiem, alterum ad septentrionem situm; ubi Verè & Autumno harum duarum urbecularum Gubernatores, alter in meridionali, alter in septentrionali suggesto per se vel per alium Præfectum inferiorem facit ceremoniam *cy*, offerendo capram, vel porcum vel utrumque, priùs in macello occisum, ac toto corpore depilatum unà cum serici volumine, coram tabella in qua scriptum est nomen Spiritûs, vel Spirituum, nempe montium, fluminum, agrorum, frugum istius regionis. Septentrionale, quod vidi, sic se habet: visitur oblonga area humili muro circumdata; ejus ostium columnis suffultum, semper patens & pervium. Non longè ab extremo areæ, erectum est humile terræ suggestum, figurâ quadratum; in suggesto infixa saxea columna altitudine circiter duorum pedum, cujus stylobata quadrata, reliqua pars sphœrica; nempe juxta Sinas per quadratam, terræ; per sphæricam figuram cælum repræsentatur.

è fron-

E fronte iftius fuggeftûs eft quoddam ædificium columnis fuffultum, lacerum, utrimque patens ac pervium abfque porta, in quo nihil præter parietes, columnas & tectum. Dum fit ceremonia *cy*, in hoc ædificio patulo è regione terræ fuggeftûs, apponuntur menfæ; fuper unam earum funt tabellæ, in quibus fcripta funt nomina Spirituum montium, fluminum, frugum &c. fuper alias, funt fercula quæ præfentantur. Unde illud ædificium videtur magis exftructum ad commoditatem offerentis, quàm ad alium finem; nempe ad fe defendendum contra ventum & pluviam, dum peragitur ritus, uti ait liber *Ta mim hoei tien* tom. 85. de imperiali terræ & frugum fuggeftis. Idcircò quando non habetur tale ædificium, ut fæpe fit, tabernaculum erigitur, & fic fit ceremonia *cy*. In reliquis urbibus, quæ non funt divifæ in duas, audio unicum effe ejusmodi terræ fuggeftum. Denique conditor præcedentis imperialis familiæ *Ta mim* exorfus imitari, quod habetur in libro Rituum imperii *Cheu*, erexerat in campo fuburbano tum auftralem, tum borealem aggerem ad litandum Cælo die folftitii hiemalis, fupra rotundum aggeris culmen; & ad litandum Terræ die folftitii æftivi in quadrata aggeris foffa, hocque aliquamdiu duravit, ac curfum habuit; fed cùm variæ temporis ficcitates, infolitæque aëris intemperies obortæ fuiffent, tandem ftatutum eft, ut primo dumtaxat anni menfe litaretur Cælo in fuburbano auftralis aggeris culmine (FF). Sed hæc fatis de loco, & modo litandi tum Cælo, tum Terræ; nunc quod maximè intereft, inquirendum eft objectum illius litaminis; sítne cælum materiale, an cæli materialis Spiritus? fitne terra materialis, an terræ materialis Spiritus? itáque

Dico 3. dum litatur Cælo fub tecto, clarum eft tunc litari Spiritui; tunc enim litatur Cælo, quatenus eft cæli Dominus (GG); fed cæli Dominus feu *Xam Ti*, ùt jam fæpè vidimus, eft Spiritus; ergo litatur non cælo materiali, fed ejus Spiritui. Deinde dum litatur Cælo fub dio, eitam ei litatur ùt eft Spiritus, non ùt eft quid materiale; idem intellige de Terræ litamine, quod in hoc Cæli litamine, ut dixi, comprehenditur. Ideò enim ei fub dio litatur, ut oftendatur cæli ac terræ Spiritum non habere domum; unde litando Cælo ac Terræ, res comeftibiles & potabiles offeruntur, quamvis fciatur cæli, ac terræ Spiritum nec comedere, nec bibere (HH); infuper victima ad litandum Cælo fub dio, ideò particularis adhibetur, ut diftinguatur cæli Spiritus ab hominis defuncti Spiritu (II); & pro vicario cæli Spiritûs figno apponitur fol (KK); deinde litando

tando Cælo, ac Terræ, dicunt se admonere cæli, ac terræ Spiritum (LL); istud ergo litamen fit Spiritui, non cælo ac terræ materiali.

Denique litando Terræ in prædictis terræ suggestis *xe*, etiam litatur terræ Spiritui; quia id, cui litatur, dicitur esse terræ Spiritus (MM); & Imperator litando in magno Imperii suggesto, dicitur admonere terræ Spiritum (NN). Sed his non immoror, videamus ultimam difficultatem; utrùm scilicet litando Cælo ac Terræ, litetur unico cæli, ac terræ supremo Spiritui?

Dico 4. dum Imperator in aggere suburbano litat Cælo sub dio (à fortiori dic de litamine sub tecto) terram, ut suprà dixi, simul comprehendendo, tunc certè liquet illum litare cæli Domino ac Rectori; sed cæli Dominus ac Rector est unicus (OO). Imò cæli ac terræ Spiritus est unicus; (vide suprà cap. 2. quæst. 3. dico 3.); ideóque dum dicitur cæli Dominus, etiam Dominator terræ seu in terram Dominans in eo comprehenditur (PP); ergo litat unico cœli, ac terræ supremo Spiritui. Ob hanc causam in hoc litamine adhibetur unica tantùm victima (QQ); erravítque quidam Interpres qui dixit in hoc Cœli litamine ideò fuisse adhibitos duos vitulos, quia litabatur Cœlo, ac Terræ; in ista enim occasione alter istorum duorum vitulorum erat pro Cœli litamine, de quo hic; & alter pro defuncto Principe *Heu cie*, cui simul fiebat ceremonia *cy*, conferendo istum familiæ *Cheu* conditorem cum Cœlo, seu ponendo velut comitem, ùt dixi; adeóque unicus vitulus pro Cœli litamine (RR). Denique dum Imperator invisit Regulos in suis regnis, Regulus ei offert unicum solummodò vitulum; quia ritus, quo colit Imperatorem, cœli Domini vices gerentem, est sicut ille, quo Imperator colit Cœlum seu cœli Dominum (SS). Cùm igitur Imperator in hoc Cœli litamine in quo Terra comprehenditur, adhibeat unicum vitulum, eúmque cœli Domino, seu *Xam Ti*, qui est cæli ac terræ Spiritus, offerat, patet sanè eum litare unico cæli ac terræ supremo Spiritui; dum enim dicitur *Xam Ti*, terræ Spiritus comprehenditur (TT); sed hoc rursum ex sequentibus clarius fiet.

Itáque cum olim Imperator in imperiali terræ suggesto *Xe* litaret terræ Spiritui, etiam videtur tunc litâsse unico cæli ac terræ supremo Spiritui; Confucius enim asserit litamen Cæli sub dio in suburbano aggere, dictum *Kiao*, & litamen Terræ in terrestri suggesto, dictum *Xe* esse id, quo servitur cæli Domino seu *Xam Ti*; ergo litando Terræ in terræ sug-

ſuggeſto, ſervitur etiam cæli Domino, non minùs quàm litando Cælo in ſuburbano aggere; quod etiam interpretes hîc ſatis innuunt ſic: *dicitur*, inquiunt, *tantùm cæli Dominus ſeu Cælum, quia Heu tu in eo comprehenditur*; iſtæ voces *Heu tu*, ùt mox dicam, ſignificant vel denſam terram, vel Dominantem in terram; adeóque Dominans in terram, ſeu Dominator terræ comprehenditur in cæli Domino, vel denſa terra comprehenditur in cælo materiali, ſive includitur à cælo materiali, cujus utriuſque Domino litatur; nam ibi litatur Spiritui, ùt dixi. Et verò addunt interpretes, *ideò Cælo, ac Terræ præſtatur ſervitium, ut exhibeatur gratitudo pro virtute, quâ cælum omnes res tegit ac producit, & quâ terra omnes res ſuſtentat ac perficit*: ſed tota illa cæli, ac terræ virtus reducitur ad cæli Dominum, ſeu Spiritum inviſibiliter intus agentem, rerúmque Effectorem (vide cap. 2. quæſt. 1. §. 2. & quæſt. 3. dico 2.); ergo &c. Unde ibidem interpretes rurſus dicunt hoc Cæli litamen *Kiao* & hoc Terræ litamen *Xe*, eſſe id, quo litatur cæli Domino, ſeu *Xam Ti* (VV); adeóque ad nullum alium Spiritum, quàm ad cæli Dominum, terræ ſcilicet dominium ſimul in ſe comprehendentem, utrumque litamen referunt. Quocirca Cælum, inquiunt, eſt totus & integer Productor rerum Dominus, & ad rerum productionem tantùm accipit à terra alimenti ſuſtentationem (XX); imò cur terra alat omnes res, eſt quia cæli Dominus in eam dominatur, jubétque ut illa id ſervitii ſubeat (ZZ); & quidquid terra producit, id à Cælo ſibi communicante accipit (WW). Denique in cælo ac terra eſt unicus Spiritus deſtruens ac producens (YY), ſeu unica ratio quæ eſt cæli Dominus, internam naturæ rationalis rectitudinem infundens, Cælique lex naturæ infuſa (AAA). Ex his igitur patet omnes terræ res, & totius mundi actiones referri ad unicum cæli Dominum ſeu *Xam Ti*, & non ad alium Spiritum, adeóque non haberi Regem cælum, & Reginam terram, ſeu duos Spiritus, alterum maritum, alterum uxorem. Iſta vox *heu* quæ ſubinde ſignificat Reginam, maximè cùm eſt juncta voci *Hoam*; ordinarie enim ſignificat Imperatorem, Principem, Dominatorem, Dominantem (BBB), hîc juncta cum voce *Tu* ſignificat tum denſitatem terræ, ùt ipſum ait dictionarium (CCC); tum & maximè Dominatorem terræ ſeu Dominantem in terram, non Reginam (DDD). Deinde Sinæ agendo de animabus defunctorum negant diverſitatem ſexûs (EEE); adeóque & in aliis ſpiritibus, quos nunquam reperias dici fœmineos, eam etiam negabunt. Itaque iſta litaminis diverſitas videtur peti ex di-

versis ritibus, non ex diverso objecto; quia enim cælum istud visibile est quid præstantius, terra est quid vilius, & utrumque figura, ac mole diversum; ideò instituerunt alios ritus litandi primo rerum omnium Principio quatenus cæli Domino; & alios quatenus terræ Domino, seu in terram Dominanti (FFF); unde dicuntur prisci Imperatores in suburbano aggere sub dio litâsse cæli Domino, ad demonstrandos cæli patris & terræ matris ritus (GGG); quia nimirum cæli Dominus per causas secundas seu per cælum tanquam patrem; & per terram tanquam matrem, omnes res producit, conservat, alit. Hinc fortè factum est, ut dum litaretur Cælo ac Terræ simul, subinde appositæ fuerunt duæ tabellæ; altera inscripta *hoam Ti Ki* seu dominans terræ Spiritus; & altera inscripta *hoam Tien Xam Ti*, seu dominans cælo supremus Dominus. Imò ista vox sinica *Ki* (id est Spiritus) & istæ voces *Xam Ti* (id est supremus Dominus) in lingua Tartara, quâ nunc ad litandum Imperator utitur, exprimuntur aut vertuntur per unam & eamdem vocem *Han* id est summus Dominus; unde ulterius insinuatur in isto Cæli ac Terræ sacrificio intelligi unicum Spiritum. Deinde vitalis, inquiunt, cæli ac terræ aura (quæ juxta Sinas est unica) æquivalet toti patri & matri (HHH). Quin imò ipsum dumtaxat Cælum vocant patrem & matrem, uti & ipsum Imperatorem patrem & matrem populorum vocant, hodiéque urbium Gubernatores passim vocantur pater & mater civium (III). Itaque sive Cælo sivè Terræ litet Imperator, semper id refertur ad cæli Dominum, sive ad cæli ac terræ unicum Spiritum; & dicitur tantùm filius Cæli non terræ; ideóque litamen terræ non minùs quàm litamen Cæli, est id, quo omnium rerum Principio grates persolvit, illúdque corde recolit (KKK); unde Terræ litamen est id, quo terræ via spiritualizatur & cognoscitur (LLL); sed terræ via & Cæli via est unica, seu unicus Spiritus, ut suprà dictum est; ergo Imperator litando Terræ, litat unico cæli ac terræ supremo Spiritui.

Si nonnulla ex iis quæ hîc dixi de litamine *Xe* seu terræ, volueris applicare, & referre ad istud aliud litamen terræ quod tacitè in litamine *Kiao* seu Cæli comprehenditur, tunc magis adhuc probabuntur superiùs dicta de litamine *Kiao*, de quo hîc maximè agitur & est quæstio.

Jam verò dum Imperator faciebat oblationẽ *cy* in duobus terræ suggestis *Tay xe*, & *Ti xe*, de quibus suprà, utrùm eam faceret summo totius terræ ac cæli Spiritui, an tantùm tutelari totius Imperii Spiritui, non satis liquet.

Im-

Imperator quidem *Kia cim* in formula oblationis *Tay xe cie* videtur loqui de aliquo interiore terræ & frugum Spiritu, aut spiritibus; quamvis in formula oblationis *Ti xe cie* magis genericè loquatur, nempe de spiritibus aut Spiritu cujus favore habentur terræ bona; sed quàm Sectariis addictus hic fuerit, scitur. Cæterùm non repugnaret, quin Imperator in Imperiali v. g. terræ suggestu *Ti xe* litaret summo totius terræ ac cæli Spiritui, ut vidimus; & in altero *Tay xe* faceret oblationem *cy* tutelari totius Imperii Spiritui, agrorum Spiritui, frugum Spiritui, uti oblationem faciebat totius Imperii montium, ac fluminum celebrium Spiritibus; sed ritibus inferioris ordinis. Et sic intellige dum videntur subinde ponere alium terræ seu agrorum, alium frugum Spiritum; vel etiam intellige de spiritibus seu animabus Principis *Heu cie* olim agriculturæ, ac frugibus; & Principis *Keu lum* inundationibus, atque agris componendis præfectorum; utrique enim, ùt dixi, correlativè ad istos agrorum ac frugum veros Spiritus olim fiebat ceremonia *cy*.

Petes I. an Reguli & Toparchæ in suis terræ suggestis, etiam litarent unico terræ ac cæli summo Spiritui.

Resp. cùm liber Rituum propriè agat de ritibus ab Imperatore servandis, non potest satis sciri, utrùm Reguli & Toparchæ aliis ritibus inferioris ordinis, & cujusque conditioni accommodatis, etiam litarent unico terræ ac cæli summo Spiritui, an tantùm facerent oblationem tutelari suæ ditionis Spiritui, agrorum Spiritui, frugum Spiritui. Quamvis enim soli Imperatori licebat in suburbano aggere, & in Imperiali terræ suggestu ritu supremi ordinis litare unico cæli ac terræ summo Spiritui, nihil tamen obstat, quin etiam Regulis & Toparchis licuerit in suis terræ suggestis ritu humiliori & accommodato, (Reguli enim agnum, vel capram tantùm, Imperator autem bovem in terræ suggestu ad oblationem adhibere debebant (MMM) litare eidem cæli ac terræ Spiritui. Certè illis, & aliis omnibus licebat demisso in terram capite, aliisque modis cæli Dominum colere; imò etiam nunc plerique Sinarum, ultimâ anni nocte, appositis super mensam escâ & potu, proni Cælum venerantur; non ideò tamen dicuntur sibi vindicare Imperatoris ritum. Sic inter Christianos quamvis solis liceat sacerdotibus celebratione missæ Deum colere; aliis tamen etiam licèt diverso ritu eumdem colere. Sed quidquid sit de Regulis & Toparchis, quæstio de qua hìc agitur, est utrùm

P 3 Impe-

Imperator litando Cælo ac Terræ, litet uni cæli ac terræ Domino; & hæc videntur satis probata superiùs.

Petes 2. quis finis litaminis quod Imperator facit Cælo seu cæli ac terræ Domino?

In re satis dubia, quæ ad nostram quæstionem nihil vel parum facit, (hîc enim quærimus objectum materiale, in quod litamen dirigitur, non finale) sic respondeo: triplex invenitur in libris classicis hujus litaminis nomen: primum est *Luy* id est litandi Cælo species, & hoc faciebat Imperator in bellum profecturus (NNN); an non fortè erat impetratorium litamen? Secundum est *Chay*, id est crematio; & hoc fecit Imperator *Vu vam* debellato hoste *Cheu*, obtento Imperio, rebus omnibus compositis, totam victimam comburendo (OOO); an non fortè latreuticum litamen seu holocaustum? Tertium est *Kiao*, id est suburbium de quo suprà; & hoc facit Imperator ad grates rerum omnium Principio persolvendas, illúdque mente recolendum (PPP); An non fanè Eucharisticum litamen? in hoc litamine *Kiao* parentes defuncti conjungebantur cum cæli Domino, ut dixi, non autem in litamine *Chay* (quod suppono distinctum à litamine *Kiao*, quamvis in litamine *Kiao* videatur etiam, saltèm subinde cremari victima), nec in litamine *Luy*. In litamine quidem quo Imperator litabat cæli Domino ad postulandam frugum ubertatem, dicitur cum eo adjungi Princeps *Heu cie*, sive ejus tabella apponi (QQQ); sed vel hoc litamen erat litamen *Xe* seu terræ, non litamen *Kiao*, in quo litamine *Xe* Princeps *Heu cie* cum cæli Domino seu cum Spiritu terræ adjungebatur non tanquam parens & conditor familiæ *Cheu*, sed tanquam rei agrariæ olim præfectus beneficus; vel non quatenus frugum postulatio, sed tantùm quatenus gratiarum actio ad eum dirigebatur; vel denique fortè etiam adjungebatur tanquam intercessor, existimando illum in loco esse, ubi posset intercessorem agere apud cæli Dominum; atque ita dic de aliis ejusmodi viris, qui optimè de Imperio meriti obierunt, vel non multò post diluvium, vel certè quando China pravis sectis nondum depravata erat; Sed de hoc iterum in 2. Tractatu, & magis singillatim.

Denique animadverte, cùm etiamnum illum litaminis *Kiao*, seu litandi Cælo sub dio ritum, quot annis servet Imperator Sinicus, me non dicere eum esse licitum; Lex enim vetus quoad ceremonias, judicia, sacrificia &c. post sufficientem Evangelii promulgationem abrogata est; sed tantùm volui explicare objectum materiale, in quod dirigitur istud lita-

litamen, si fiat juxta legitimam & veram librorum classicorum doctrinam. Jam verò fortè aliquis rursum quæret utrùm *Tay Kie* seu primus rerum Terminus, de quo ego jam sæpius, & tam multa Sinæ maximè recentiores disserunt, dici etiam possit cæli ac terræ Dominus, quatenus hic est rerum omnium Causa? pro responso accipe quæstionem sequentem.

Textus Librorum.

A. 1. Compendiosa lib. Carm. compilatio tom. *Cheu Tsum* odâ *ngo tsiam* sic: quia Princeps *Cheu Kum* non audebat Patri suo *Ven vam* defuncto facere ceremoniam *cy* sub dio in loco suburbano litaminis *Kiao*, uti fiebat defuncto Principi *Heu cie* suæ familiæ conditori; nec etiam audebat cæli Spiritum intrà parentalis Avorum defunctorum ædificii angustias, simili quo homines defuncti coluntur, ritu colere; ideò dum singulari honore fecit illi ceremoniam *cy* in Imperialis Palatii aula dicta *Mim tam*, id fuit ingeniosum explendi filialis affectûs inventum. At petes: Cælum nihil est aliud quàm cæli Dominus; eccur igitur ista litaminis diversitas? sic respondet Doctor *Chuchi*: quia in erecto terræ rotundo aggere fit ista ceremonia *cy*, ideò dicitur Cælum, seu ideò dicitur litari Cælo; litando autem sub tecto, quia illi litatur ut cæli ac terræ Spiritui, ideò dicitur cæli Dominus, seu ideò dicitur litari cæli Domino. Quando illi servitur, inquit Interpres *Tsao*, juxta id, quod Cæli via seu Cæli agendi via postulat, tunc storeæ ex stramine, vel vel vimine contextæ, figulinæ cucurbitæ seu scutellæ, tenellus vitulus cornibus pullulare incipientibus instar bombycini glomeris aut castaneæ, adhibetur; solum verritur & sic litatur. Quando illi servitur juxta id quod cæli Domini via postulat; tunc agnus & vitulus, cannea & lignea vasa, cacabus & lances escis plenæ adhibentur.

A. 2. Interpres *Tsay hiu chay* in comm. *Su xu mum yn* tom. 1. ad libr. Immutab. Medii art. 19. sic: Eccur Cæli litamen vocatur suburbanus sub dio locus? Resp. iste suburbanus sub dio locus dicitur prout opponitur parentali domui; domus parentalis est quid spectans ad hominum defunctorum animas. Quia homo dum vivit, in aliqua domo (nempe publicâ, si magistratum habeat) habitat; idcircò postquam obijt, illa ad præstandam in vitæ præterito loco alimoniam filialis observantiæ accipitur, & efficitur domus Parentalis seu repræsentativa, sinicè *Miao*;

Miao; quod autem attinet ad cæli ac terræ Spiritum, ipse non habitat in aliqua domo; idcircò erigitur terræ agger, non verò domus.

B. 3. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem* sic: litamen *Kiao* loci suburbani sub dio fit in solstitio hiberno excipiendo initium dierum crescentium. Hoc litamen fit ad maximas Cœlo persolvendas grates; & pro vicario ejus signo apponitur sol. Designatur terræ agger in suburbio meridionali; quia meridies luminis & accrementi locus est. Humus verritur & litatur; qua in re spectatur ritûs simplicitas & subjectum. Pro vasis adhibentur figulinæ cucurbitæ instar scutellarum ad repræsentandam cœli ac terræ naturam. Deinde paulò pòst sic: Imperator igitur litaturus gerit Diadema 12. pendulis fasciis ornatum ad referendum 12. anni menses; curru vulgari, ac simplici vehitur; quia non ornatnm, sed nudam cultûs virtutem spectat. Vexilla draconibus depicta, 12. etiam pendulas fascias præferunt. Dein exponitur sol, & luna ad repræsentandum cœlum; cœlum præfert astra; vir sapiens illud imitatur.

Hoc ergo litamen *Kiao* est id, quo Cœli via seu Cœli agendi via demonstratur ac cognoscitur. Si autem vitulo destinato ad litandum cœli Domino, infausti aliquid acciderit; tunc accipiatur vitulus destinatus ad offerendum defuncto Principi *Heu cie*. Quod attinet ad vitulum cœli Domini litamini destinatum, debet fuisse per trimestre spatium in mundo Caulæ loco separatus; vitulus autem Principis *Heu cie* ceremoniali cultui adhibendus, quivis obvius potest esse usui; atque id fit, ut servitium, quo colitur cœli Spiritus, distinguatur à servitio quo coluntur homines defuncti. Quia tamen omnes res suam à Cœlo trahunt originem, & homines suam à suis Avis; ideò Princeps *Heu cie* (nempe Avus seu conditor familiæ Imperialis *Cheu*) confertur cum cœli Domino seu adjungitur velut comes in illa ceremoniali gratitudinis exhibitione. Hoc autem litamen *Kiao* fit ad maximas omnium rerum Principio gratias persolvendas & ad illud mente recolendum. Deinde hæc addit Interpres *Chin hao*: Princeps *cie* (seu *Heu cie*) est tantùm aliquis homo defunctus; ideò vitulus ad ei offerendum, quivis obvius potest servire.

B. 4. Lib. Rit. tom. 8. cap. 24. *Cy y*: fit litamen *Kiao* ad maximas Cœlo grates persolvendas, & pro vicario ejus signo apponitur sol, solique luna adjungitur, tanquam ejus correlativum aut comparativum. Tum ibi

ibi Interpres *Chin hao* sic: magna viæ origo à Cœlo orta est; & inter appensa, quæ clarè se produnt, astra nulla videntur majora, quàm sol & luna; idcircò finis instituti illius ritûs, quo fit litamen *Kiao* in suburbano terræ aggere ad maximas Cælo persolvendas gratias, & pro vicario ejus Spiritûs signo apponitur sol, est magnoperè mysteriosus ac reconditus. Quamvis, inquit Author *fam*, hoc litamen *Kiao* sit ad grates Cælo persolvendas; quia tamen Cælum summa majestate excellit, ideò non apparet ejus res seu natura; unde potest quidem assumi ejus via seu ejus agendi via ad ei litandum; sed non potest assumi ejus res seu natura pro visibili cultûs signo; idcircò tantùm assumitur sol pro vicario ejus signo. Quemadmodum Rex seu Imperator cùm aliquem convivio tractat, id committit primario alicui Præfecto, qui ejus vices gerat; item dum filiam in matrimonium tradit, id committit alicui Regulo, qui ejus vices gerat. Deinde dum alicui fit ceremonia *cy*, seu ceremonialis gratitudinis exhibitio, etiam Adjuncto illius comparativo, aut correlativo fit aliqua gratitudinis exhibitio; ideò dum soli fit ceremonia *cy*, etiam fit & lunæ, ejus comparativo aut correlativo. Sic dum fit ceremonia *cy* Terræ seu agrorum Spiritui, etiam fit & principi *Keu lum*, ejus comparativo; dum fit frugum Spiritui, etiam fit & Principi *Ki* seu *Heu cie* ex familia *Cheu*, ejus comparativo. Hi nimirum ambo principes olim rem agrariam multùm promoverant, ideò sic comparativè illis fiebat ceremonia *cy*.

Nota tamẽ quod luna compararetur cum sole aliter quàm illi defuncti principes cum agrorum, & frugum Spiritu. In litamine *Kiao* seu Cæli, luna comparabatur cum sole, ita tamen ùt utrumque esset tantùm signũ Cæli repræsentativum, ùti jam dictum est; diverso quidem modo, sol tanquam diei, & luna tanquam noctis præses; in litamine autem *Xe cie* seu agrorum ac frugum, illi Defuncti comparabantur cum agrorum, ac frugum Spiritu aut Spiritibus, non ùt illorum signa; sed ùt imitatores, comparando nempe illorum hominum gesta ac beneficia cum agrorum, ac frugum Spiritûs effectis ac beneficiis.

C. 5. Lib.Rit.tom.9.cap.27. *Ngai Kum ven* sic: ausim te, inquit Princeps *Ven kum* alloquens Confucium, magister, interrogare; vir sapiens in Cæli via quid est, quod maximi facit? maximi facit, reponit Confucius, ejus assiduum sine ulla unquam intermissione ac fine cursum.

Q Dum

78

Dum enim sol & luna modò ab oriente, modò ab occidente sibi invicem succedentes sine fine ac intermissione semper volvuntur, illud est Cæli via; dum cælum post multa annorum millia, nunquam tamen agere ac volvi desinit, istud est Cæli via; dum sine actione (nempe visibili) & conatu res facit, istud est Cæli via; dum postquam factæ sunt res, clarissimè se produnt, istud est Cæli via. Ad hæc Interpres *Chin hao*, citando Authorem *Lien*, sic: etsi vis illa motrix arcano modo sine intermissione agens non possit facilè explicari atque exprimi, completo tamen suo effectu, se clarissimè spectabilem facit. Dicitur autem *sine actione & conatu res facit*, id est non cernitur ejus qui effectum producit, vestigium; sed tantùm cernitur effectus postquàm est completus. Hinc, inquit Memcius, unicum est Cælum quod potest verè dici magnum, & unicus Princeps *Yao* qui potuit illud perfectè imitari. Vide etiam hîc suprà num. 3. litterâ B.

D. 6. Vide hîc suprà num. 1 litterâ A.

E. 7. Compendiosa lib. Carm. compilatio tom. *Cheu Tsum* odâ *ngo ciam*: Princeps *Vu vam*, inquit liber Rituum cap. *Yo Ki*, devicto hoste *Cheu* litavit in Imperialis Palatii aula, dicta *Mim tam*. Imperator *Xin num*, inquit nova expositio, litavit in Imperialis Palatii aula dicta *Mim tam*, erátque tecta, & in quatuor mundi partes aperta. Imperator *Hoam Ti*, ait liber *Tum tien*, demisso in terram suppliciter corpore, in Imperialis Palatii aula *Mim tam* litavit cæli Domino. Ergo tunc ista Imperialis Palatii aula *Mim tam* erat litaminis locus; & eodem modo in primis etiam antiquitatis temporibus fuit. Princeps *Cheu kum* tantùm inchoavit illam parentalis honoris exhibitionem, qua patrem suum *Ven vam* cum cæli Domino contulit seu in ceremonia *cy* velut comitem adjunxit; & ob hoc libellus dictus *filialis observantia* celebrat filialem ejus observantiam.

F. 8. Interpres *Tsay hiu chay* in comm. *Su xu mum yn* tom. 9. ad lib. 1. Memcii cap. 2. *Leam hoei vam hia* sic: rursus ista Imperialis palatii aula *Mim tam* serviebat ad colendos istos quinque homines dictos *Ti* id est priscos Imperatores, & illos quinque Imperii Ministros dictos *Xin* id est viros spirituales, descriptos in cap. *Yue lim* libri Rituum; quia dum Cæli Spiritui ad quatuor mundi plagas fiebat ceremonia *cy*, illis etiam fiebat.

G. 9. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem* sic Interpres *Chin hao* citando

do Interpretem *chu hi*: quia pater (inquit Doctor *Chu hi*) est is, à quo genitus sum, & cæli Dominus est primus rerum genitarum Parens seu primum Principiũ; idcircò inito ratiocinio pater cum cæli Domino confertur seu veluti comes adjungitur, & illi cum cæli Domino fit ceremonia *cy* in Imperialis Palatii aula *Mim tam*; hic discursus rectè cõcludit.

At petes: in suburbani aggeris loco aperto fit ceremonia *cy* Principi *Heu cie*, adjungendo illum Cælo comitem; in Imperialis palatii aula fit ceremonia *cy* Principi *Ven vam*, adjungendo illum cæli Domino comitem; cæli Dominus, nihil est aliud quàm Cælum, & Cælum nihil aliud quàm cæli Dominus; eccur ergo ista ceremoniæ *cy* diversitas? sic respondet idem Doctor *Chu hi*: quia in erecto terræ rotundo aggere ista ceremonia *cy* fit; ideò dicitur Cælum, seu ideò dicitur litari Cælo; litando sub tecto, quia illi litatur ùt cæli, ac terræ Spiritui, ideò dicitur cæli Dominus, seu ideò dicitur litari cæli Domino. (vide etiam hîc suprà num. 1. litterâ A).

H. Et certè quod attinet ad istud litamen *Kiao*, seu Cæli; præteriti Authores inter se dissentiunt; alii mense *Tsu*, alii mense *yn* debere fieri volunt; alii distinguunt Imperii *cheu* ritus à ritibus regni *Lu*; alii censent litamen *Kiao* in suburbano loco non esse idem ac litamen in rotundo monticulo, seu aggere; alii existimant litamen Cæli & litamen ad orandum pro frugibus, fuisse in duobus diversis locis suburbanis factum; nunc cum hæc omnia non possint ampliùs clarè discuti, ideò standum eo quòd dicit Doctor *Chu hi*.

I. 10. Vide hîc suprà num. 3. litterâ B.

K. 11. Compendiosa lib. Carm. compilatio tom. *Cheu tsum* odâ *ngo ciam* sic: hæc parentalis honoris exhibitio, seu ceremonia *cy* quæ in Imperialis palatii aula *Mim tam* fiebat Principi *Ven vam*, erat ad eum adjungendum veluti comitem cæli Domino; unde dicitur: qui Imperialis aulæ *Mim tam* ceremoniæ *cy* præest, & ad quem illa dirigitur, est ipse

L. cæli Dominus *Xam Ti*. Paulò pòst sic: in Imperiales Palatii aula *Mim tam* dispositio signorum hæc erat: cæli Domini signum stabat in medio: principis *Ven vam* signum in parte austro-occidua; utrumque Orientem spectans. Vide etiam hîc suprà num. 1. litterâ A.

M. 12. Vide hîc suprà num. 9. litterâ G.

N. 13. Vide hîc suprà num. 3. litterâ B.

O. 14. Vide hîc suprà num. 3. litterâ B.

Q 2 P. 15.

P. 15. Vide hîc suprà num. 3. litterâ B.

Q. 16. Lib. *Ven bien tum Kao* tom. 71. sic: hinc cognoscimus, dum prisci litabant cæli Domino *Xam Ti*, eos etiam terræ Spiritui simul litâsse; idque probatur ex libri carminum prologo dicente, *altissimum Cælum habet perfectam legem; litamen Kiao est litare Cælo ac Terræ.* Dum autem in fine odæ tantùm dicitur Cælum & non nominatur Terra, patet illos versus concini ad celebrandum Spiritum; non enim canitur ille, cui non litatur; nec litatur illi, qui non canitur. Jam verò quî fieri potest, ut litando in boreali loci suburbani aggere, tantùm canatur Cælum & non Terra? nimirum scimus sub Imperio *Cheu* in litamine *Xam Ti*, Spiritum terræ comprehensum fuisse; canendo ergò Cælum & non Terram, est id quo summam *Xam Ti* majestatem veneramur.

Item vide hîc suprà num. 3. litterâ B. vide etiam hîc infrà num. 67. litterâ FFF.

R. 17. Interpres *Tsay hiu chay* comm. *Su xu mum yn* tom. 1. in lib. scientiæ Adultorum, explicans hæc Interpretationis Doctoris *Chu hi* verba: *Cæli via assiduè agens omnia producit & conservat*, sic ait: non dicitur terra, seu terræ via; quia terra, si sumas cælum pro corpore sensibili, intra illud includitur; si sumas pro vitali aura; vitalis terræ aura realiter est ipsa vitalis Cæli aura. Cælum est totus & integer productor rerum Dominus, & ad rerum productionem tantùm accipit à terra alimenti sustentationem. Ideò terra non potest Cælo æquiparari, & cum eo conferri. Dum dicitur Cælum, terra in eo comprehenditur.

S. 18. Lib. Rit. tom. 2. cap. 2. *Kio li hia* sic: Imperator facit oblationem *cy* Cælo, ac Terræ, quatuor mundi plagis, montibus, fluminibus (nempe eorum Spiritibus); tum Interpres *Chin hao* refert Authorem *Liu* sic dicentem: hic locus diffusiùs tractat oblationum *cy* leges; in solstitio hyemali facit oblationem Cælo; in æstivo, Terræ; (nimirum vel in terræ suggesto, de quo infrà, vel eodem Cæli litamine terram comprehendente, sub diverso tantùm nomine); in quatuor autem tempestatibus oblationem facit quatuor mundi plagis ad excipiendam successivè diversam aëris temperiem. &c. Deinde idem Author hunc locum in variis reprobat.

S. 19. Lib. Rit. tom. 3. cap. 5. *Vam chi*: Imperator facit oblationem Cælo ac Terræ; Regulus suæ terræ seu agrorum, ac frugum Spiritui;

tui; primarius Præfectus seu Toparcha quinque domûs Spiritibus. Imperator etiam facit oblationem celebrioribus Imperii montibus, & majoribus fluminibus, id est eorum Spiritibus. Rursus penè idem habetur in eodem lib. Rit. tom. 4. cap. 9. *Ly yun.* Vide etiam hîc infrà num. 51. litterâ VV.

T. 20. Interpres *Tsay hiu chay* in comment. *Su xu mum yn* tom. 4. ad lib. Immutab. Medii art. 19. sic: eccur Cæli litamen vocatur *Kiao* sivè suburbanus sub dio locus? Resp. iste suburbanus sub dio locus dicitur prout opponitur parentali Domui, sinicè *Miao.* Domus parentalis est quid spectans ad hominum defunctorum Animas. Quia homo dum vivit, in aliqua domo (nempe publicâ, si magistratum habeat) habitat; ideò postquam obiit, illa ad præstandam in vitæ præteritæ loco alimoniam filialis observantiæ accipitur, & efficitur domus parentalis sive repræsentativa, sinicè *miao.* Quòd autem attinet ad cæli ac terræ Spiritum; ipse non habitat in aliqua domo; idcircò erigitur terræ agger, non verò domus. Sic nunc montium, fluminum, regionis seu agrorum, frugum Spiritibus erigitur terræ agger.

Deinde Imperiale terræ suggestum sinicè *xe* ad litandum terræ Spiritui, idem est ac terra; enimverò quî habeatur alia terra præter terræ suggestum? ideò Doctor *Chu hi* assumendo sententiam Interpretis *V fum hu*, negat dari borealem suburbani aggeris locum ad litandum Terræ; & pro se citat librum Rituum Imperii *Cheu*, & libri Rituum Capitulum *Kiao te sem*; adeóque videtur de hoc dubitari non posse. Quod attinet ad Interpretem *Lin chuen u* qui existimat Imperatorem litâsse terræ in quadrata suburbani borealis aggeris fossa, hic tantùm nititur libri Rituum verbis; deinde citat Interpretem *Hu*; Imperator, inquit Doctor *Hu*, quia summa ac suprema majestate excellit, ideò tantùm ipse litat in terræ suggesto; nimirū hic Author *Lin chuen u*, nesciebat quod Imperiale terræ suggestum *xe* idem esset, ac terra; (vide etiam hîc infrà num. 48. litterâ RR.)

Idem Interpres *Tsay hiu chay* paulò infrà sic: olim Imperator *Ym xao* sic interrogavit Doctorem *Cim*: isti ceremoniales *cy* ritus, etiam videntur non satis rectæ rationi cohærere; ea enim quæ nunc in oblationibus Cæli, Terræ, fluminum, montium offeruntur, sunt tantùm quædam res quæ hominum potui, ac cibo inserviunt; enimverò,

Q 3 quî

quî cæli, terræ, montium, fluminum Spiritus reverà possint illa comedere ac bibere? cui Doctor *Cum*; hæc doctrina, inquit, est quid omninò immutabile.

V. 21. Lib. *Pe hu tum* seu communis Regiorum Professorum sensus, art. *Xe cie*: Imperator, inquit liber Rituum cap. *San chim*, habet duo terræ suggesta, alterum quod pro suo Imperio erigit, dicitúrque maximum ac primarium suggestum *Tay xe.* Alterum quod pro sua Imperiali urbe erigit, dicitúrque Imperatoris suggestum *Ti xe*; sic & Regulus erigit unum pro suis populis, quod vocatur Regni suggestum, & alterum pro se, quod vocatur Reguli suggestum. Paulò post sic: terræ ac frugum suggestum situm est extra mediam parentalis ædificii portam & intra primam, nempe externam. Rursus paulò pòst sic: hoc terræ, ac frugum suggestum dextram, parentale ædificium lævam tenet. Iterum paulo pòst sic: primarius Præfectus, (inquit liber Rit. cap. *cy fa*) qui sub se habet aliquam populi turbam, erigit etiam terræ suggestum, & dicitur suggestum constitutum seu singulare. Paulò infrà sic: terræ suggestum extat sub dio. Denique paulò infrà sic: terræ suggesto præfectus (inquit liber *Cheu quon*) ferit in eo arbores, juxta cujusque regionis qualitates: & paucis verbis interjectis sic: petes, eccur Imperator ipsemet litat in hoc terræ ac frugum suggesto? Resp. istius terræ suggestûs Spiritus, est regionis Spiritus; terra omnia gignit, nempe id, quod maximè spectat Imperium; quia autem illum veneratur ac maximi facit Imperator, ideò ipsemet ei litat. Rursus petes: quantum est illius suggestûs spatium. Resp. Imperiale regionis ac frugum suggestum, inquit liber *Chun Cieu*, cap. *ven y*, est amplum 50. cubitis; regale 25. Ecquis color? Resp. maximum ac primarium Imperatoris suggestum, inquit Interpres libri *Chun cieu*, ad ortum cæruleo, ad austrum rubeo, ad occasum albo, ad boream nigro colore depictum est, & facies superior flavâ glebâ conspersa.

V. 22. Interpres *Chu hi* in 2. libr. Mencii cap. 8. *Cin sin hia* sic: ista vox *xe* (nempe terræ, vel regionis suggestum) significat terræ, seu regionis Spiritum; vox *cie* (nempe frugum suggestum, quod erat unum & idem, vel saltem in eodem septo) significat frugum Spiritum.

Dum aliquis terræ tractus in regnum erigitur, statim construitur ali-

aliquod terræ ſuggeſtum, quod humili muro circumdatur, ad faciendas oblationes terræ ac frugum Spiritui.

X. 23. Liber *Ven hien tum Kao* tom. 76. ſic: Imperator *Che Tsum* in 7. anno periodi dictæ *Yuen yeu*, primâ vice litando Cælo, ſimul litavit terræ Spiritui in rotundo auſtralis ſuburbii aggere.

Z. 24. Lib. *Ven hien tum Kao* tom. 76. ſic Doctor *yam*: ſolſtitium hibernum eſt initium viæ Cæli, quæ per apertionem *yam* incipit res producere; ideò olim ſolſtitio hiberno litabatur cæli Spiritui in rotundo terræ aggere ad ſe conformandum initio Cæli viæ, atque ad gratias Cælo agendas; & in ſuburbio quidem auſtrali ad ſe conformandum loco anni creſcentis, (nempe ſolis verſantis in parte auſtrali Zodiaci). Solſtitium æſtivũ eſt initium viæ Terræ, quæ per regreſſionem *yn* incipit res perficere; Ideò olim ſolſtitio æſtivo litabatur terræ Spiritui in quadrata aggeris foſſa ad ſe conformandum initio viæ Terræ, atque ad gratias Terræ agendas; & in ſuburbio quidem boreali, ad ſe conformandum loco anni decreſcentis, (nempe ſolis verſantis in parte boreali Zodiaci.)

W. 25. Lib. Annal. Imperal. tom. 4. cap. *Tay xi*, ſic: Imperator iſte *Cheu* negligit ritum *Kiao xe* ſeu litandi Cælo, ac Terræ; ad quem locum ſic Interpres *Tsay xin*: *Kiao* eſt id, quo litatur Cælo; *Xe* eſt id, quo litatur Terræ.

Y. 26. Lib. *Ven hien tum Kao* tom. 82. ſic: ſub Imperio *Han* & ſub principio Imperialis familiæ *Guei*, erectum eſt unum ſuggeſtum terræ *Xe*, & unum frugum ſuggeſtum *Cie*; poſteà additum eſt primarium terræ ſuggeſtum *Tay xe*, & frugum *Tay cie*. Inſuper erectum eſt ſpeciale Imperatoris terræ ſuggeſtum *Ti xe*.

Y. 27. Lib. *Pe hu tum*, tom. 1. ſic: terræ ſuggeſtum *Tay xe* eſt ad gratias agendas pro toto ſuo Imperio; ſuggeſtum *Vam xe* (id eſt *Ti xe*) eſt ad gratias agendas pro ſua Imperiali urbe.

Y. 28. Lib. *Ven hien tum Kao* tom. 82. in principio ſic: Imperator pro omnibus Imperii incolis erigit terræ ſuggeſtum *Xe* & vocatur *Tay xe*, id eſt primum ac magnum terræ ſuggeſtum. Deinde ex ſe aliud erigit, & vocatur *Vam xe* id eſt, Imperiale terræ ſuggeſtum. Reguli pro populis ſuis erigunt unum terræ ſuggeſtum *Xe*, & vocatur regni ſuggeſtum ſeu agger. Deinde ex ſe aliud erigunt, & vocatur Regale ſuggeſtum ſeu agger. Primarii præfecti ſeu Toparchæ & alii inferiores qui regunt

regunt aut constant aliquam habitatorum multitudinem (scilicet 100. domos ad minimum) erigunt terræ suggestum, & vocatur singulare terræ suggestum, aut particulariter constitutum.

AA. 29. Lib. Rit. tom. 8. cap. 23. *cy fa* sic: cum Princeps *Kum kum* adeptus fuisset aut sibi subjugâsset totas novem Chinæ provincias, postea ejus filius dictus est *Heu tu*, id est terræ præfectus, seu in terram dominans; & quia novem illas provincias tranquillitate donavit, ideò in terræ suggesto illi, ùt terræ Spiritui, fiebat ceremonia *cy*.

BB. 30. Dictionarium *Tsu guey* in littera *xe* sic: ista littera *xe* significat Spiritum terræ omnia gignentem: quidam prisci viri qui optime de imperio meriti fuerant, cum illo conferebantur, seu comites illi adjungebantur, unáque fiebat illis ceremonia *cy*. Sic Principis *Kum kum* filius, nomine *Keu lum*, appellatus est *Heu tu*; & quia aquas exundantes represserat, ac totam regionem pacaverat, ideò in terræ suggesto posteà facta est ei ceremonia *cy*, ùt terræ Spiritui; istæ voces *Heu tu* sunt nomen Præfecti terræ. Hinc sæculares & vani homines terræ suggesti Spiritum vocârunt istum terræ Præfectum. Vide etiam hîc suprà num. 4. litterâ B.

CC. 31. Lib. Annal. Imperial. tom. 4. cap. *Vu chim* sic: quod attinet ad peccata istius familiæ *Xam* (nempe Imperatoris *Xeu* ex familia *Xam*), ego admonui magnum Cælum, ac densam Terram sinicè *Hoam Tien Heu Tu* (nimirum magni cæli ac densæ terræ Spiritum uti interpretatur *Cham ko lao*, seu potius Dominatorem cæli & Dominatorem terræ); ad quem locum sic Interpres *Tsay Xin*: ista bina vox *densa terra*, sinicè *Heu tu*, id est terræ suggestum *xe*, seu terræ suggesti Spiritus. Princeps *Keu lum* dictus est *Heu tu*, scilicèt terræ Præfectus. Hunc autem Interpretem sic arguit quidam Christianus Bacchalaureus, nomine Paulus, cognomine *yen* in manuscriptis: Hæc interpretatio in duobus errat, illa enim vox *Hoam magnum*, hîc non significat *magnum*, sed significat *principem* seu *dominatorem*; & ista vox *Heu densa*, hîc non significat *densa*, sed significat *principem*, seu *dominatorem* (nota: hæc utriusque vocis significatio, est ea, quæ primo loco ponitur in Dictionario sinico) Unde dicendo Dominatorem cæli & terræ seu dominantem in cælum & terram, intelligitur *Xam Ti* seu cæli Dominus ac Rector. Cælum enim ac terra

terra à cæli Domino, seu *Xam Ti* facta sunt. Enimverò cæli Dominus tantùm dominabitur in cælum, & non dominabitur in terram? cùm ergo cæli Dominium sit penes cæli Dominum seu *Xam Ti*, dic, quæso, penes quem alterum erit terræ Dominium?

DD. Deinde refutans id, quod dicitur de isto Principe *Heu tu*, seu terræ suggesti Spiritu, sic ait: id quod Interpretes vocant *Heu tu*, est tantùm nomen alicujus viri, agris colendis olim præfecti: & sic lib. Rit tom. 8. cap. 23. *Cysa*, Principis *Kum Kum* filium vocat *Heu tu*; & quia totas novem Chinæ provincias tranquillitate donârat, ideò in terræ suggesto illi, ùt terræ Spiritui, fiebat ceremonia *cy*. Hic filius dicebatur *Keu lum*, sed *Keu lum* est tantùm hominis nomen; & ideò Interpres libri *Chun cien* dixit hunc *Keu lum* esse *Heu tu*, quia *Heu tu* est Præfectus aquarum, & terrarum curam gerens; fortasse Princeps *Keu lum* olim hoc officio functus est. Verum fiebat tantùm illi ceremonia *cy*, tanquam comiti terræ Spiritûs. Unde Doctor *Chim biuen* ait: dum dicitur quod in terræ suggesto, unà cum terræ Spiritu fiebat ceremonia *cy* Principi *Keu lum*, adiungendo eum veluti comitem huic terræ Spiritui, ob sua in reprimendis exundantibus aquis & pacandis terris merita, non hoc dicitur quasi illi fieret ceremonia *cy*, ùt terræ suggesti Spiritui.

EE. 32. Celebris Liber cujusdam Christiani manuscriptus, dictus *Sim my pien*, agens de Sinensium idolis pene omnibus, sic in articulo *Chim hoam*: istæ duæ voces *Chim hoam* ex se nec significant Spiritum, nec hominem; sed sub imperiali familia *Cin*, Primarius regni Minister cognomine *Su ma* nomine *Yen*, hoc sic erexit: cùm provinciarum Præfecti malè fungerentur suo officio, nec bene populum regerent; ipse assumpto celebri militiæ Præfecto cognomine *Quon*, nomine *Ym*, qui olim sub Duce *Poi Kum*, primo familiæ *Han* Imperatore arma gesserat, erexit in anteriori Præfectorum aula signum aliquod ligneum, quod vocavit *Chim hoam*; & quia iste militiæ Præfectus *Quon ym*, fidelissimum erga Imperatorem *Poi Kum* se gesserat, ideò eum vocavit alterius vitæ Præfectum, qui hujus vitæ Præfectis invigilaret, eorúmque regimen examinaret. Cùm autem istud lignum *Chim hoam* ab imperiali familia *Cin* in tali loco sic erectum, afferret varia incommoda; posteà extra publicas Magistratuum domos exstructum est fanum, erecta statua, illi litatum. Sæculares homines non examinantes

nantes ejus originem, sed errore errorem propagantes, in omnibus urbis negotijs, in morte, in vita, in morbis, in malis sperant ab eo auxilium; omnes Magistatus parvi & magni, antequam suscipiant officium, illud venerabundi adeunt; & deinceps primo ac decimo quinto cujusque mensis die illud adeuntes, offerunt incensum, & preces pro impetrandis populo bonis, & avertendis malis.

FF. 33. Liber manuscriptus cujusdam Christiani licentiati, cognomine *Kieu* nomine sinico *Xim chin* in cap. *Yn Su si li* id est prava litamina contra ritus sic: conditor præcedentis &c. ùt suprà in contextu.

GG. 34. Vide hîc suprà num. 1. litterâ A.

HH. 35. Vide hîc suprà num. 20. litterâ T.

II. 36. Vide hîc suprà num. 3. litterâ B.

KK. 37. Vide hîc suprà num. 4. litterâ B.

LL. 38. Liber sent. Art. 20. sic: ego *Ly* (est nomen Imperatoris *Tam*) puer parvulus ausus sum assumere tenellum nigri coloris vitulum ad sacrificandum, magnique cæli ac densæ terræ Spiritum *Hoam hoam heu tu* (uti interpretatur *Cham Kiu chim* seu *Cham Ko Lao*) palam & manifestè admonere. Vel illas voces *Heu* & *Hoam* explica ùt supra: vide pene idem in cap. 2. quæst. 1. §. 5. num. 2. litterâ B.

MM. 39. Vide hîc suprà num. 22. litterâ V. item num. 30. litterâ BB.

NN. 40. Liber Annal. imperial. tom. 4. cap. *Tay Xi*: ego, inquit Princeps *Uu uam*, litavi cæli Domino; deinde litavi in magno terræ suggesto propter vos omnes, ut exequerer cæli punitionem. Quem locum explicans *Tsay Xin* sic ait: ego admonui cæli, ac terræ Spiritum propter vos omnes, ut exequerer Cæli punitionem adversus imperialem familiam *Xam*.

OO. 41. Lib. Rit. tom. 5. cap. 10. *Li Ki*: litare cæli Domino *Ti* sub dio in suburbano aggere, est summæ venerationis testimonium.

OO. 42. Lib. Rit. tom. 4. cap. 9. *Li yun* sic: Imperator litando cæli Domino *Ti* sub dio in suburbano aggere, stabilit suam à Cælo acceptam dignitatem; & litando terræ Spiritui in magno terræ suggesto demonstrat terræ utilitatem. Ad quem locum sic Interpres *Chin hao*: dum Imperator debito honoris ritu Cælum venerari novit, tunc Imperium etiam novit debito honoris ritu Imperatorem venarari; idcircò dicitur suam à Cælo acceptam dignitatem stabilire. Deinde omnes escæ & opes ad usum necessariæ, è terra proveniunt; dum ergo Impe-

Imperator ipsemet litat *Heu tu* seu Spiritui dominatori terræ, tunc demonstrans terræ utilitatem, verè efficit, ùt imperium noscat rerum Principio grates agendi ritum.

OO. 43. Lib. Rit. tom. 7. cap. 21. *Tsa Ki hia* sic: in solstitio hiberno, inquit Præfectus *Mem hien*, primo anni mense convenit servire *Xam Ti*, seu cæli Domino. *Servire cæli Domino*, ibi ait Interpres *Chin hao*, id est litare sub dio in suburbano aggere.

OO. 44. Liber *Ven hien tum Kao* tom 83. sic: ista vox *Ti* tantùm significat unicum *Xam Ti*; quomodo igitur ille mons (nempe Spiritus montis *Tay Xan*) posset dici *Ti*, seu cæli Dominus?

PP. 45. Lib. *Ven hien tum Kao* tom. 76. sic: dum dicitur: Imperator *Xun* litabat *Xam Ti*; hinc cognosci potest Spiritum terræ comprehensum fuisse. Vide etiam hîc infrà num. 51, litterâ VV.

QQ. 46. Lib. Rit. tom. 3. cap. 5. *Vam chi* sic: vitulus destinatus ad litandum Cælo, ac Terræ, debet esse ejusmodi, ut tantum incipiant illi pullulare cornua instar bombycini glomeris aut castaneæ. Sed hic vitulus terræ non est vitulus terræ suggesti; nam immediatè antè idem liber sic dixerat: Imperator litando in suo terræ suggesto adhibet bovem, Regulus in suo terræ suggesto adhibet ovem, vel capram. Deinde quòd hic terræ suggesti bos non esset idem ac ille vitulus tener, patet ex eodem lib. tom. 5. Rit. cap. 11. *Kiao te sem* ubi dicitur: in litamine *Kiao*, seu Cæli sub dio adhibetur unica & singularis victima, (nempe iste tener vitulus); in litamine autem terræ, ac frugum suggesti, adhibetur bos. Ad quem locum sic Interpres *Chin hao*: subinde ritus pluris faciunt rem parvam, quàm magnam, idcircò inter hæc duo pluris fit, plurisque æstimatur unica & singularis victima (nempe major vitulus, vel magnus bos.)

RR. 47. Lib. Annalium Imperial. tom. 5. cap. *Chao Kao* sic: deinde die sequenti dicto *Tim Su* oblata sunt duo animalia in litamine *Kiao* seu Cæli sub dio, nimirum duo boves. Altero die sequenti dicto *Vu u* intra novam urbem litatum est terræ Spiritui in terræ suggestu; animalia oblata, bos unus, ovis vel capra una, porcus unus.

Ad quem locum sic Interpres *Tsay Xin*; litamen *Kiao* est litare Cælo ac Terræ; ideò oblati sunt duo boves. Litando terræ Spiritui in terræ suggestu oblatus est bos unus, (nempe major; bos enim litaminis *Kiao*, erat tener vitulus, uti jam dictum est); sic enim

R 2 præ-

præscribunt ritus. Hæc litamina facta sunt ad denunciandum Spiritui opus novæ urbis ædificatæ totum esse completum.

Hanc autem Interpretationem de duobus bobus ad litandum Cælo ac Terræ, sic refellit in sequenti numero Interpres *Chin hao.* itaque.

RR. 48. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao Te sem* Interpres *Chin hao* citando Doctorem *Chu hi* sic ait: Non datur, inquit Interpres *V fum*, boreale *Kiao* seu locus sub dio in boreali suburbio ad litandum Terræ destinatus; sed dum litatur in terræ suggestu, hoc est quod vocatur boreale *Kiao*. Ista interpretatio est bona. Deinde sic pergit idem Interpres *Chin hao*: Interpres quidem *Tsay* (nempe *Tsay Xin*) explicando capitulum *Chao Kao* libri Annalium imperialium, in quo dicitur: *oblata sunt duo animalia in litamine Kiao seu Cæli sub dio, nimirum duo boves*, existimat istos duos boves ibi fuisse ad litandum Cælo ac Terræ; sed id non est verum; quod enim attinet ad ipsos duos boves, eorum alter erat ad offerendum cæli Domino *Ti*; & alter ad offerendum Principi *Heu cie*, (scilicet Conditori Imperialis familiæ *Cheu*, quem adjungebant in isto Cæli litamine velut comitem, uti ibidem dicitur). Litare autem intra novam urbem in terræ suggestu, istud est litare Terræ; & ideò oblatus est bos, (nempe grandior).

SS. 49. Lib. Rit. tom. 5. cap. 10. *Li Ki* sic: Imperator dum in alicujus Reguli regnum appellit, Regulus illi tenellum vitulum offert. Ad quem locum sic Interpres *Chin hao*: Imperator dum litat Cælo, unum duntaxat vitulum offert; pari modo dum visitat Reguli ditionem, Regulus illi unum etiam duntaxat vitulum offert; quia ritus, quo colit Imperatorem, est sicut ille quo Imperator colit Cælum.

TT. 50. Vide hîc suprà num. 45. litterâ PP.

VV. 51. Lib. immutab. Medii art. 19. sic: ritus ille *Kiao Xe*, seu litandi Cælo ac Terræ, est id quo servitur cæli Domino seu *Xam Ti*. Ad quem locum sic Interpres *Chu hi*: *Kiao*, id est litare Cælo; *Xe*, id est litare Terræ; non dicitur: servitur *Heu tu* seu Dominanti in terram, vel densæ terræ, quia est modus loquendi compendiosus. Ad hunc eumdem locum, sic Interpres *Cham Kiu chim* tom. 3: *Kiao*, id est litare Cælo, *Xe* id est litare Terræ; *Xam ti* idem est ac Cælum; dum dicitur *Xam ti*, in eo comprehenditur *Heu tu*. Deinde paulò infrà sic: ritus ille *Kiao Xe* sive fiat in rotundo aggeris culmine (scilicet *Kiao*) sive

five in quadrata aggeris fossa (scilicet *Xe*) est id quo servitur *Xam ti*, & *Heu tu*, ut exhibeatur gratitudo pro virtute illa, quâ res reguntur & sustentantur, producuntur & perficiuntur.

Quotidiana 4. lib. explicatio ad eumdem locum, tom. 3. pene iisdem verbis, idem habet; & posteà hæc addit: hoc *Kiao Xe*, seu Cæli, ac Terræ litamen, est id quo litatur *Xam Ti* seu cœli Domino.

XX. 52. Vide hîc suprà num. 17. litterâ R.

ZZ. 53. Vera lib. mutat. ac product. expositio tom 22. part. *Xue qua chuen* art. 5: dum terræ virtus, inquit Author *Lin Tsu yay*, res omnes alit, est servitium, quod pro illis rebus subit; ratio autem, cur terræ virtus res omnes alat, est quia cæli Dominus in eam dominatur: hic cæli Dominus terræ virtutem jubet id servitij subire, ac sustinere.

WW. 54. Interpres *Tsay hiu chay* in comm. *Su xu mum yn* tom. 3. ad lib. immutab. Medii art. 1. sic: quando, inquit Doctor *Chim*, ista vox *Cælum* solitariè dicitur, significat viam seu agendi viam; & paulò pòst: Doctoris *Chu hi* interpretatio dum asserit Cælum etiam dici quatenus non est aliquid terræ oppositum seu relatiuum, ibi per vocem *Cælum* intelligit Rationem; nempe id quod dicitur: *cæli Dominus, ac Rector infundit internam naturæ rationalis rectitudinem*: & id, quod dicitur: *Cæli lex est Ratio naturæ infusa.*

Deinde paulò infrà sic: quidquid terra producit, id omne à Cælo sibi communicante accipit, idcircò dicitur terra nullo modo posse cum Cælo conferri, illique æquiparari; atque hæc est ratio cur dicitur tantùm Cæli lex.

YY. 55. Idem interpres *Tay hiu Chay* in com. *Su xu mum yn* tom. 4. ad lib. immutab. Medii art. 29. sic: Cælum ac Terra est unicus Spiritus destruens ac producens, seu in cælo ac terra est unicus Spiritus destruens ac producens; Spiritus enim juxta Sinas videri non potest utpote corpore & figura expers.

AAA. 56. Vide hîc suprà num. 54. literâ W W.

BBB. 57. Liber Annal. Imperial. tom. 4. cap. *Tay Xi* sic: vir, qui veritate, perspicaciâ intelligentiâ excellit, agit populi Principem sinicè *Heu*.

BBB. 58. Lib. Annal. Imperial. tom. 1. cap. *Xun tien* sic: omnibus Regulis, ac Dynastis sinicè *Heu* sua cuique insignia distribuit Imperator *Xun*.

BBB. 59. Liber. Annal. Imperial. tom. 3. cap. *Tay Kia* sic : tunc vicini populi dicebant : expectamus & anhelamus nostrum Principem sinicè *Heu*; cùm noster Princeps *Heu* venerit, annon sumet vindictam?

BBB. 60. Lib. Annal. Imperial. tom. 3. cap. *Puon Kem*: ego, inquit Imperator *Puon Kem*, recordor meos prædecessores spirituales Imratores sinicè *Xin heu*, vestrorum Majorum operâ usos fuisse.

Ubi nota : hîc liber vocat *spirituales Imperatores* sinicè *Xin heu* iisdem verbis, quibus vocat *excelsi cæli spiritualem Regem*, ùt dixi in cap. 1. quæst. 2. §. 8. num. 9. litterâ I.

BBB. 61. Lib. Carm. tom. *Taya* odâ *Hia wu* sic : tres illi defuncti Principes sinicè *Heu* in cælo existunt.

CCC. 62. Dictionarium sinicum *Chim Tsu Tum* in littera *Heu* sic : ista vox *Heu* significat Regem, Principem, Dominatorem &c. olim significabat etiam Regium Ministrum &c. item significat Reginam &c. item significat idem ac vox *densus*; dein dicit quod terra vocetur densa, sinicè *Heu tu*, eò quòd sua densitate ac soliditate res sustineat.

DDD. 63. Quidam Christianus, qui 20. circiter annis in duabus parvis urbibus fuit Bacchalaureorum Præfectus, semel interrogatus utrùm bina illa vox *Heu tu* significaret Reginam Terram? cùm istam Reginæ Terræ interpretationem risu excepisset, & negativè respondisset; sequenti die hanc mihi minimè cogitanti, nec antè petitam attulit scripto explicationem, asserens eam haberi in aliquo grandi libro Doctoris *Chu hi*, dicto *Tu luy*: ista vox *Heu*, inquit duplicem habet significationem; *v. g. Ngo heu, yuen heu*, significat nostrum Principem, populi Principem ; *Heu fi* significat Reginam. Quod autem attinet ad istas duas litteras *Heu tu*, primò ista littera *Heu* (de litterâ *tu* non dubitatur, significat enim terram) etiam significat densus, densa, densum ; & significat Dominatorem terræ, seu dominantem in terram, idcircò dicitur *Heu*, id est Princeps, Rex, Dominus, &c. & *Tu* id est terra ; hic autẽ ista vox *Heu* non significat Reginam ; explicando per vocem Reginam, est error.

EEE. 64. Lib. Rit. tom. 8. cap. 25. *Cy tum* sic Interpres *Chin hao*: dum homines vivunt, corporis substantia est illis diversa ; idcircò mariti, & uxoris ordo consistit in sexûs diversitate ; postquam autem obierunt, simplicissima & subtilissima aura non est discreta, seu intelligens,

gens Spiritus non est diversus. Hinc una tantùm communis mensa, seu fultrix mensula apponitur; scilicet in ceremonijs *cy*.

FFF. 65. Lib. Rit. tom. 5 cap. 10. *Li Ki* sic: idcircò prisci Imperatores propter Cælum inserviebant Cælo, & propter terram inserviebant terræ; ad quem locum sic Interpres *Chin hao*: quia cælum est quid honorabilius, ideò juxta hoc sanciverunt serviendi Cælo ritus; & quia terra est quid vilius, ideò etiam juxta hoc sanciverunt serviendi terræ ritus; idque est, quod vocatur *Kiao Xe*, nempe litamen Cæli & Terræ.

FFF. 66. Liber *Chen li* seu rituum Imperii *Chen* tom. 3. *Chun quon* art. *Tsum pe* sic: hic Præfectus curet fieri sex pretiosa vasa ritibus cæli, terræ, & quatuor orbis partium destinata; scilicet pretiosum vas *pie* cærulei coloris pro Cæli; *tsum* flavi, pro terræ; *quei* violacei, pro ortûs; *cham* rubei, pro meridiei; *hu* albi, pro occasûs; *hoam* nigri pro septentrionis ritu. Ad quem locum sic Interpres *Chin gin sie*: vas *pie*, quia rotundum, cæli figuram; & quia cæruleum, cæli colorem referebat. Sic vas *Tsum*; quia quadratum, terræ figuram; & quia flavum, ejus colorem referebat.

Deinde ibidem alia quatuor vasa adaptat quatuor priscorum Imperatorem *Fo hi*, *Xin num*, *Xao hao*, *Chuen hio*, qualitatibus aut dotibus, quibus, ùt suprà dixi num. 8. fiebat etiam ceremonia *cy*, dum ad quatuor mundi plagas ea fiebat cæli Spiritui.

FFF. 67. Dictionarium sinicum *Tsu Guey*, in littera *pie* sic habet: vas *pie*, inquit liber *Pe hu tum*, foris erat sphæricum ad repræsentandum cælum, & intus quadratum ad repræsentandam terram. Idem Dictionarium in littera *Tsúm* etiam sic: vas *Tsum*, foris erat octogonum, seu octo angulis constans, & intus rotundum. His octo angulis, octo mundi Rhombos, ac terræ figuram repræsentabat. Interna ejus vacuitas erat rotunda, ad respondendum inexhaustæ recipiendi, ac sustinendi potentiæ; (virtutem scilicet terræ repræsentans); idcircò illud adhibebatur ad litandum terræ.

GGG. 68. Lib. mut. ac product. in symbolo *Huon*, id est dispersio sic: prisci Imperatores litabant cæli Domino *Ti*, & parentalia ædificia erigebant. Ad hunc locum sic quotidiana hujus libri mutat. ac product. explicatio, tom 13: dispersionis tempore, litaminis *Kiao* in suburbano aggere, & parentalis ædificij ritus ità jacent, ut & cæli Domi-

Dominus, & Majores defuncti penè non habeant, qui illis præsit. Si ergo non uniantur, (nempe per mentem) sive si tc illis non unias, manebunt semper in illa dispersione, & non colligentur (nempe in mente). Prisci Imperatores in suburbano aggere litabant cæli Domino *Ti* ad demonstrandum Cæli patris, ac terræ matris ritum; & tunc cæli Domini *Xam Ti* perfectissimus ac subtilissimus Spiritus per illud visibile purissimæ vacuitatis, seu æthræ spatium longè latéque dispersus, colligebatur in superabundanti litaminis *Kiao* cultu. In Imperiali sede erigebant parentalia ædificia, ad grates agendas pro insignibus Avorum beneficijs ac meritis, virtutisque æstim ationc; & tum perfectissimus & subtilissimus Avorum defunctorum Spiritus in profundissima obscuritate ac caligine dispersus colligebatur parentalis ceremoniæ *cy* tempore; (de hac collectione mentali, ac viva repræsentatione agetur in 2. tract.) litabatur autem cæli Domino, ut demonstraretur ac sciretur esse summa aliqua Majestas, adeóque omnes nôssent modum venerandi summam Majestatem. Erigebantur parentalia ædificia, ùt demonstraretur ac sciretur esse proxima aliqua consanguinitas, adeóque omnes nôssent modum diligendi proximos consanguineos. Pietatem igitur, & simul filialem observantiam servare, veritatem ad omnia extendere, res caliginosas sibi adjungere, istud est maximum ac potissimum regendæ dispersionis munus. Quod autem attinet ad id quod dispersio repræsentat, accipe: quia hominum animi, nec sententijs nec affectibus sunt inter se uniti, ideò juxta cujus, que conditionem, ac vires frequentissimè varia exoriuntur dissidia; oportet ergo ut sit aliquid quo excitentur, commoveantur, concilientur; cúmque sic ad pacis, & cordis unitatem redeunt, tunc dispersio sponte coalescit. Idcircò Cælum colere & Avos defunctos revereri, est veram pietatis, & filialis observantiæ mentem explere; túneque omnes Imperij incolæ, quia sciunt cæli Spiritum esse unicum Dominum, hinc non audent inferiores superiorem offendere; & quia sciunt hominum, aliarúmque rerum unicam esse originem, hinc nec audent mortuorum cultus relinquere, & progenitores oblivisci.

HHH. 69. Interpres *Tsay hiu chay* in comm. *Su xu mum yn* tom. 3. ad lib. immutab. medii art. 16. sic: nunc homines tantùm sciunt se à patre & matre genitos; nesciunt autem causam, qua geniti sunt, verè esse Cæli, ac terræ vitalem auram, totali patri & matri parem. III.

III. 70. Lib. Carm. tom. *siao ya* odâ *Kiao* sic: ô remotissimum, reconditissimum, & immensum Cælum! diceris Pater, & Mater.

III. 71. Annal. Imperial. tom. 4. cap. *tay xi* sic: populi Princeps est ejus pater ac mater.

KKK. 72. Lib. Rit. tom. 5. cap. 11. *Kiao te sem* sic: hoc litamen terræ est id, quo agnoscitur ac spiritualizatur terræ via. Terra res omnes sustinet, Cælum astra suspendit; è terra opes, à Cælo norma accipitur; ideóque Cælum colitur, terra diligitur; hinc docetur populus optimum gratiarum agendarum modum. Pater familias, (nempe primarius Præfectus) in domûs meditullio, Rex in regni suggesto litat terræ Spiritui ad indicandum rerum principium. Rursus paulò infrà: Ratio autem cur ad litandum terræ Spiritui in terræ suggesto, circumvicini pagi, & oppida subministrent plena orizæ fercula, est ut rerum principio grates exteriùs agant, & illud mente recolant.

LLL. 73. Vide hîc suprà num. 72. literâ KKK.

MMM. 74. Vide hîc suprà num. 46. litterâ QQ.

NNN. 75. Lib. Rit. tom. 3. cap. 5. *Vam chi*: Imperator in bellum profecturus litat cæli Domino *Xamti* litamine dicto *Luy*.

OOO. Lib. Annal. Universalium tom 2. sic: cum Princeps *Vu vam* rerum potitus fuisset, Reguli familiæ *Cheu* se se submittentes, illum in Imperatorem acclamârunt: tum ipse litavit cæli Domino *Xam Ti* Litamine dicto *chay* seu totam victimam concremando.

PPP. 77. Vide hîc suprà num. 3. litterâ B.

QQQ. 78. Lib. Rit. tom. 3. cap. 6. *yue Lim* sic: hujus mensis primo die dicto *sin* Imperator pro frugibus, cæli Dominum *Xam Ti* orat. Ad quem locum sic interpres *chin hao*: in suburbano aggere litatur Cælo, & illi velut comes adjungitur Princeps *Heu tie*, ad orandum pro frugibus.

QUÆSTIO VI.

Quid apud Sinas significat bina vox *Tay Kie* seu primus rerum Terminus?

HActenus hanc binam vocem *Tay Kie* semper explicuimus per primum rerum Terminum; nunc videamus quid tandem Sinæ intelligunt per primum rerum Terminum, seu *Tay Kie* Pro quo.

Nota: juxta Philosophos *natura* sumitur multis modis: 1. Pro Deo omnium rerum authore, & vocatur natura naturans; Creatura autem vocatur natura naturata. 2. Pro essentia alicujus rei. 3. Pro tota aggregatione agentium naturalium. 4. Pro generatione viventis seu nativitate. Cùm verò generatio oriatur ab interno rei principio, hinc, 5. sumitur pro interno principio unde primò res habet, quòd moveatur; & juxta Conimbricenses, sive illud principium insit rebus viventibus, sive non viventibus. Jam verò natura hoc 5. modo sumpta sic ab Aristotele definitur: principium & causa motûs & quietis, in quo est primò per se, & non per accidens. Per *motum* intellige quamlibet mutationem sive successivam, sive instantaneam, prout dicit actionem & passionem. Per *quietem* intellige positivam, seu conservationem termini per motum acquisiti.

Natura ab Aristotele sic definita, cùm sit pars essentialis substantiæ completæ, patet nec Deum, nec Angelum posse hoc modo propriè dici naturam; impropriè tamen ob similitudinem cum vera natura, in quantum Deus, & Angelus sunt Principium operationum totius, possunt etiam vocari natura; hinc passim dicitur natura Divina, natura Angelica, licet careant aliis conditionibus ad rationem naturæ requisitis. His prænotatis.

Respondeo: *Tay Kie*, seu primus Terminus videtur optimè posse sumi pro *natura* hic diversis modis explicata. Dico igitur 1. *Tay Kie*, seu *primus Terminus* subinde potest sumi pro natura naturante, seu pro Deo ut primo rerum omnium Authore. Probatur; dicunt enim Sinæ: quod producit res omnes, est cælum ac terra; qui autem producit cælum ac terram, est primus Terminus, seu *Tay Kie*; enimverò quî primus Terminus possit vero nomine exprimi? quî possit plena cognitione comprehendi? tantùm igitur ascititio nomine vocatur primus Terminus; id enim quod vocatur primus Terminus, est quid ex se carens nomine (AA). An non id habet aliquam similitudinem cum hoc, quod dicit de Dei ineffabilitate Suarez 1. p. lib. 2. cap. 3. his verbis: unde Platonis & Trismegisti dictum celebratur à Patribus: Deum intelligere difficile est; loqui autem impossibile. Et paulò infrà ibidem: Damasc. libro 1. cap. 4. sic ait: in

Deo

Deo impoſſibile eſt, quidnam eſſentia ſua ac natura ipſa ſit, dicere. Rurſus ſic dicunt Sinæ: excelſi Cæli operatio vel natura voce & odore ſeu ſenſibilitate expers, eſt verè Cauſa effectiva, cardo, & omnium rerum productarum radix; idcircò dicitur *Vu Kie* ſeu *Ens ſinè termino* ſimúlque *Tay Kie* ſeu *primus Terminus*; ſic tamen, ùt præter primum Terminum, non habeatur aliud, quod ſit Ens ſinè termino (B); nam Ens ſine termino eſt idem ac primus Terminus. Dum primus Terminus includit motum & quietem, tunc eſt aſſidua illa Cæli legis via, ſeu curſus ſine intermiſſione volvens (C); jam verò aſſidua illa Cæli legis via, ſeu curſus ſine intermiſſione volvens, utì & id, quod dicitur *excelſi Cæli natura eſt voce & odore expers*, intelligitur de Domino ac Rectore (D), nempe de cæli Domino ac Rectore; ergo etiam *Tay Kie* ſeu primus Terminus intelligitur de cæli Domino ac Rectore. Inſuper olim cæli Dominus *Xam Ti* ſubinde vocatus eſt *Tay ye*, id eſt prima vel maxima Unitas (E); & omnes Doctores explicant *Tay ye* per vocem *Tay Kie* (F); ergo *Tay Kie* eſt ſupremus Dominus *Xam Ti*, ac proinde ſummus ac primus rerum Effector.

Deinde ùt vidimus ſuprà cap. 2. quæſt. 2. num. 19. litterâ L. Primum Vacuum eſt id, quod dicitur primus Terminus; iſtud primum Vacuum quatenus ens reale, & immateriale, aut quatenus ratio, dicitur Cælum ſeu cæli Dominus; prætereà, ùt vidimus etiam ſuprà cap. 2. quæſt. 3. num. 1. litterâ A; Ratio eſt unica cauſa, quæ eſt Spiritus, dicitúrque *Tay Kie*, ſeu primus Terminus; & cap. 2. quæſt. 4. num. 13. litterâ M. dum vox *Xin*, ſeu Spiritus ſolitariè dicitur, poteſt idem intelligi ac *Tay Kie*; ergo *Tay Kie* ſeu primus Terminus, ut ex iſtis patet, ſubinde ſumitur pro Spiritu, pro Ratione, pro unica cauſa, quæ eſt Spiritus, pro cæli Domino, adeoque à parte rei pro Deo; pro primo rerum omnium Authore, & natura naturante.

Dico 2. *Tay Kie* ſeu primus Terminus ſubinde etiam poteſt ſumi pro eſſentia rei tam increatæ quam creatæ. Probatur: dicunt Sinæ; ſi res omnes ſpectemus, unaquæque ſuam habet naturam ſingularem, & omnes ſimul unum primum terminum, nempe communem; ſi enim eas collectim ſumamus, univerſalis illa rerum omnium eſſentia eſt unus primus terminus, nempe communis; ſi diviſim, unaquæque ſuum habet primum terminum ſingularem (G). Primus Terminus eſt naturæ excellentia, nec ullus modus, aut forma reperitur, qua explicetur; nec ulla vox aut odor habetur, quo percipiatur (H); nempe eſt aliquid, quod ſub ſen-

lum non cadit: deinde sic: cur autem, quod dicitur primus Terminus possit etiam dici res voce & odore, seu sensibilitate expers; est quia ipse est veluti naturæ substantia (I); nempe essentia. Rursus sic: quælibet res in se continet unam rationem scilicet essentialem, & omnes rationes ab una profluunt origine; primus autem Terminus est vocabulum, quod generatim omnes rerum rationes, scilicet essentiales, complectitur (K). Ex his sat patet primum terminum sumi pro rei essentia.

Dico 3. *Tay Kie* seu primus terminus potest etiam sumi pro tota aggregatione agentium naturalium. Probatur ex his Authorum verbis: dum primò dicitur, inquiunt, *in unoquoque* (scilicet libri mutationum ac productionum) *symbolo ænigmatico, ejúsque sex partibus seu lineolis numericis, semper reperitur ac continetur trium primorum principiorum* (scilicet cæli, terræ, hominis, seu totius aggregationis agentium naturalium) *primi termini ratio, ideoque hæc tria Principia vocantur tres termini*; id intelligendum est de uno quoque Symbolo, ejúsque partibus numericis postquam per motum ac mutationem ad rem particularem applicata sunt, & in praxim redacta; tunc enim unumquodque continet suum primũ terminum. Dum verò postea dicitur: *libri mutationum ac productionum doctrina in se continet primum terminum*, id intelligendum est de Symbolis eorúmque partibus numericis antequam per motum, & mutationem ad rem particularem applicata sint, & in praxim redacta; tunc enim universalis illorum substantia (seu potius universalis illorum aggregatio) est unus primus terminus, sive est una natura communis (L); rursus sic: si velis exprimere totam viæ substantiam aut essentiam, dicitur primus terminus; si velis exprimere assiduam primi termini actionem & virtutem, dicitur via (M). Hæc pauca sufficiunt ad indicandum primum Terminum posse sumi pro tota aggregatione agentium naturalium.

Quod attinet ad quartum modum, quo à Philosophis accipitur natura, cum in 5. includatur, illum omittemus, & de quinto tantùm agemus: Itaque

Dico 4. *Tay Kie* seu primus Terminus sæpissimè & præcipuè sumitur pro *natura*, quatenus natura est Principium causativum motûs & quietis. Probatur. Sic primum Terminum definiunt Sinæ: Primus Terminus est ipsa substantia, qua fit motus ex quo modus *Yam*; & qua fit quies ex qua modus *Yn* resultat; motus, ex quo resultat modus *Yam*, est origo modi *Yn*, & per hoc primus Terminus, quatenus causa, agit; quies ex qua resultat modus *Yn*,

Yn, est origo modi *Yam*, & per hoc primi Termini essentia subsistit: atque hoc est quod Doctor *Cheu* sic expressit: dum primus Terminus se movet, producit modum *Yam*; motu absoluto quiescit; quiescendo producit modum *Yn*; quiete absolutâ rursum se movet; atque ità alternans motus & quies est mutua modi *Yn*, & modi *Yam* origo, ac principium. Per istam modi *Yn*, ac modi *Yam* divisionem habentur duæ formalitates seu habitudines (N).

Hinc ergo patet primum Terminum, cùm sit Principium effectivum motûs & quietis, idem significare, ac *naturam* suprà ab Aristotele definitam.

Nota: cùm tam sæpè factus sit sermo de istis duabus vocibus *Yn* & *Yam*, oportet nunc ex hoc loco breviter ostendere, quid istæ significent. Illæ ergo voces *Yn* & *Yam*, in sua generali & propria significatione, ut patet ex hoc loco, nihil aliud significant quàm duos modos, seu duas relationes transcendentales motûs & quietis: vox *Yam* est relatio transcendentalis, seu ordo essentialis motûs ad quietem; & vox *Yn* est ordo essentialis quietis ad motum; ideoque ad vitandam confusionem ferè semper explicui vocem *Yam* per *motum*, & vocem *Yn* per *quietem*, cùm realiter nihil aliud sint, & sic rursus deinceps.

Jam verò cùm istæ duæ relationes transcendentales sint amplissimæ ac generalissimæ; hinc fit, ut Sinæ has voces *Yn* & *Yam*, ad omnes fere res applicent: unde dicunt; in mundo nihil aliud habetur, quàm illa alternans motûs & quietis sine fine vicissitudo; quæ vicissitudo est libri mutationum ac productionum doctrina; & id, quo habetur iste alternans motus ac quies, est primus Terminus (O). Deinde cùm in omnium rerum productione semper inveniantur isti duo modi *Yn* & *Yam*, ità etiam semper invenitur primus Terminus, & duæ habitudines (P); diverso tamen modo: nam si spectes primum Terminum, ipse est prior modis *Yn* & *Yam*, seu quiete & motu, utpote ratio illorum productiva; si spectes modos *Yn* & *Yam*, tunc primus Terminus in illis continetur, utpote principium essentiale totius (Q). Denique cum doctrina libri mutationum ac productionum complectatur omnes, quæ assiduè & sine fine fiunt in mundo productiones ac mutationes; ideò oportet, ut illa etiam contineat unam aliquam primam omnium, & immutabilem Rationem, quæ in illas dominetur eásque regat: hæc autem Ratio est primus Terminus; primus enim Terminus est una, ultimata, suprema, perfectissima, cui nihil

hil potest addi, quavis re longè excelsior, omni voce, odore, sensibilitate expers Ratio, quæ in omnes mutationes ac productiones dominatur, eásque regit ac dirigit. (R). Ex his vides primum Terminum non tantùm posse hoc 5. modo sumi pro natura propriè dicta, in quantum est principium & causa motûs & quietis ejus, in quo est per se & non per accidens; sed etiam posse applicari naturæ Divinæ continuè in hoc mundo operatrici, si natura sumatur, ùt dixi, impropriè, in quantum præcisè est principium operationum totius, non requirendo alias conditiones ad naturam strictè sumptam necessarias.

Verùm quemadmodum apud Latinos non solet dici *natura est Deus*, *naturam colere*, *Sacrificium offerre naturæ*; quamvis natura sumpta pro primo rerum Principio, seu Authore naturæ sit verè Deus, verè colatur, verè Sacrificium illi offeratur; sic apud Sinas non solet dici primus Terminus seu *Tay Kie* est *Cælum aut cæli Dominus*, *primum Terminum Colere*, *primo Termino litare* aut sacrificare; quamvis primus Terminus sumptus pro primo rerum Principio rerúmque Effectore, sit verè Cælum aut cæli Dominus, verè colatur, verè illi litetur. Nec mirum videri debet quod per primum Terminum, id est naturam, cæli Dominum subinde intelligant Sinæ; quandoquidem prisci illi Græciæ Philosophi, sic etiam sæpe de Divinitate locuti fuerint: Minutius felix in Octavio probans notam fuisse illis Philosophis Dei veritatem, sic ait: notum est Xenophanem, omne infinitum cum mente Deum tradere, & Antisthenem populares Deos multos, sed naturalem unum præcipuum. Quid Democritus, quamvis atomorum primus inventor, nonne plerumque naturam, quæ imagines fundat, & intelligentiam, Deum loquitur? etiam Epicurus ille, qui Deos aut otiosos fingit, aut nullos, naturam tamen superponit. Et Cicero lib. 1. de nat. Deorum sic: Antisthenes libro, qui Physicus inscribitur, populares Deos multos, naturalem unum esse dicebat. Et Lactant. lib. 1. de ira Dei cap. 10. Natura, inquit, quam veluti matrem esse rerum putant, si mentem non habet, nihil efficiet unquam, nihil molietur: ubi enim non est cogitatio, nec motus est ullus, nec efficacia; si autem consilio suo utitur ad incipiendum aliquid, ratione ad disponendum, arte ad efficiendum, virtute ad consummandum, potestate ad regendum & continendum, cur Natura potiùs quàm Deus nominetur? Denique Platonici cùm rerum formas, numerorum voce exprimerent, Deum unitatis nomine designabant: definiebant enim animam, *numerus seipsum movens*;

vens; quia sicut animam ex vita, sic vitam ex motu ipso, maximè sponta-neo perspectam habemus. Hinc tantùm infero illum modum loquendi de Divinitate sub nomine *naturæ*, imò & sub nomine *primæ unitatis*, uti sæpe suum primum Terminum vocant Sinæ, jam olim fuisse usitatum. Sed huic rei non immoror: sufficit primum Terminum seu *Tay Kie*, non tantùm pro creata sed etiam pro increata Natura posse sumi, quod videtur sat probatum; licèt sæpius & ordinariè videantur Sinæ illum sumere juxta id, quod dixi in 2. & 4. conclusione. Si quis nunc fortè quærat utrùm libri Sinici non solùm aliquid de Dei unitate afferant, sed etiam aliquid de Personarum Trinitate innuant?

Respondeo: cùm hoc Mysterium sola ratione naturali cognosci non possit, imò juxta Suarem sit de fide, id frustrà quæri; hîc enim dumtaxat quæritur; an Sinæ lumine naturali (non supernaturali) reverà cognoscant aliquod supremum Numen infinitum in omni genere perfectionis essentialis, præscindendo ab attributis notionalibus; quamvìs autem etiam videantur quædam perpauca sub quibusdam vocum generalium involucris obscurè de hoc Mysterio innuere, quia tamen non est de eo quæstio, præstat illa omittere.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. naturæ & rationis brevis expositio tom. 2. art. *Vu mim Kum chuen* sic: quod producit res omnes &c. ùt suprà in contextu.

B. 2. Vide hìc infrà num. 15. litterâ P.

C. 3. Lib. naturæ ac rationis brevis expositio tom. 1. art. *Tay Kie* sic: si Cæli natura &c. ùt suprà in contextu.

D. 4. Interpres *Tsay hiu chay* in comm. *Su xu mum yn* tom 4. ad lib. immutab. Medii art. 26. sic: dic quæso: *verissima Cæli via nunquam cessat*; quomodo id explicatur?

Resp. dum dicitur: *Proh! quàm arcano ac mysterioso modo Cæli lex suum cursum nunquam sistit!* istud verè est quod alibi sic dicitur: *excelsi Cæli natura est voce & odore expers*, nimirum id intelligitur de Domino ac Rectore; quod autem attinet ad id quod dicitur, *regere ac sustinere, producere* ac *perficere*, id intelligitur de ejus effectis.

E. 5. Lib. *Ven Hien tum Kao* tom. 68. sic: vasti Cæli supremi Domini nomen sub diversis Imperialibus Familiis varium fuit. In principio Impe-

Imperialis Familiæ *Han* dicebatur *Xam Ti* supremus Dominus, & *Tay Te* prima vel maxima Unitas. Sub Imperatore *Pim Ti* dicebatur *Hoam Tien Xam Ti* magni cæli vel dominans cælo supremus Dominus, vel magnum Cælum supremus Dominus. In principio Familiæ *Guei* dicebatur *Hoam hoam Tien Ti*, Dominator Dominantium cæli Dominus: vel maximum Cælum Dominus. Sub Imperio Familiæ *Leam* dicebatur *Tien Hoam Ta Ti* cæli Dominator magnus Dominus.

F. 6. Lib. Rit. tom. 4. cap. 9. *Tun li* sic interpres *Chin hao*: Rituum interpretes, inquit Doctor *Xe Leam Vam*, videntes haberi in libro *Te Kim* nomen *Tay Kie*, illud verterunt per unum nomen *Tay Te*, id est prima vel maxima Unitas; & hoc posteà Doctores secuti sunt.

G. 7. Lib. naturæ ac rationis brevis expositio tom. 1. art. *Tay Kie* sic: si res omnes spectemus &c. ùt suprà in contextu.

H. 8. Lib. naturæ ac rationis brevis expositio tom. 1. art. *Tay Kie* sic: primus Terminus, inquit Author *Xan Tam Tu*, est naturæ excelentia &c. ùt suprà in contextu.

I. 9. Lib. naturæ, ac rationis brevis expositio tom. 1. art. *Tay Kie*: cur autem id quod dicitur primus Terminus &c. ùt suprà in contextu.

K. 10. Lib. Naturæ ac Rationis brevis expositio tom. 3. art. *Tien Ven*: quælibet res, inquit author *Si Xan Chin*, unam in se continet rationem &c. ùt suprà in contextu.

L. 11. Lib. vera libri mutat. ac product. expositio tom. 17. part. *Xam chuen* art. 20. sic: in unoquoque Symbolo ænigmatico &c. ùt suprà in contextu.

M. 12. Lib. vera libri mutat. ac product. expositio tom. 20. part. *Hia chuen* art. 5. sic: dum dicitur: agendi via nec separatur à quiete *Yn* & motu *Yam* nec illis immiscetur, id intelligitur de primo Termino; & paulò pòst: Si velis exprimere totam viæ seu agendi viæ substantiam vel essentiam, dicitur primus Terminus; si velis exprimere continuam & assiduam primi Termini operationem ac cursum, dicitur via seu agendi via, si velis exprimere viæ excellentiam, dicitur Spiritus. Si autem, inquit interpres *Cie Chay Tsay*, spectes quietem *Yn* & motum *Yam*, tunc primus Terminus in illis continetur; nam ante quietis *Yn* & motûs *Yam* productionem, id quod vocatur primus Terminus, est illorum ratio, quæ in mente repræsentatur; post productionem id quod vocatur primus Terminus, est id ipsum, quod in quiete *Yn* & motu

Yam

Tam continetur, nempe in substantiali motûs & quietis composito, cujus pars essentialis est Natura seu primus Terminus.

N. 13. Lib. vera libri mutat. ac product. expositio in proœmio sic: primus Terminus est ipsa substantia, quâ fit motus &c. ùt suprà in contextu. Vide etiam hic infrà num. 15. litterâ P.

O. 14. Lib. vera libri mutat. ac product. expositio in proœmio citans Doctorem *Chu hi* sic: primus Terminus, inquit Doctor *Chu hi*, est tantùm illa duplicis vitalis auræ seu vitæ, & quinque primariorum Principiorum Universalium ratio; in mundo enim nihil aliud habetur, quàm illa alternans motûs, & quietis sine fine vicissitudo, nihílque præterea: quæ vicissitudo dicitur doctrina libri mutationum ac productionum; sed spectando hunc motum & hanc quietem, oportet sanè ut sit aliqua ratio utriusque productiva; hæc ratio est id quod vocatur primus Terminus.

P. 15. Lib. vera libri mutat. ac product. expositio in proœmio, citans Doctorem *Chim* sic: idcircò doctrina libri mutationum ac product. continet primum Terminum producentem duas formalitates; primus Terminus est via; duæ formalitates sunt modus *Yn*, & modus *Yam*; modorum *Yn*, & *Yam* via est unica, nempe primus Terminus. Primus Terminus idem ac Ens sine Termino. Cùm autem in omnium rerum productione semper inveniantur isti duo modi *Yn* & *Yam*; ita etiam semper invenitur primus Terminus, & duæ Formalitates, quæ mutuo vinculo occultè inter se connexæ, inexhaustum sunt mutationum ac productionum principium.

Q. 16. Vide hîc suprà num. 12. litterâ M.

R. 17. Lib. quotidiana libri mutationum ac product. expositio tom. 16. part. *Xam Chuen* art. 11. sic: ista vox bina *Tay Kie* significat unam summam, ultimatam, qua non datur superior, Rationem ad dominandum in omnes productiones ac mutationes, easque regendas seu eorum causas. Et paulò pòst: doctrina libri mutationum ac productionum assiduas quidem sine fine productiones, & continuas sine interruptione mutationes reverà continet; sed oportet, ut in medio illarum habeatur una summa, & omnium prima atque immutabilis Ratio Dominatrix ac Rectrix, quæ sit illarum assiduarum sine fine productionum principium ac radix; & hoc est quod vocatur *Tay Kie* seu primus Terminus.

21 T Deni-

Denique paulò infrà: per istas duas voces *primus Terminus*, de quo præteritus Doctor *Cheu tun y* tractat, indicat unam Rationem omni voce & odore, seu sensibilitate expertem.

R. 18. Lib. vera libri mutat. ac product. expositio tom. 19. part. *Xam Chuen* art. 11. sic: primus Terminus, inquit interpres *Lieu Xe chi*, vocatur una summa, & ultimata, cui nihil potest addi, Ratio.

QUÆSTIO VII.

Ex dictis investigatur utrùm isti libri recentiores dent veram aliquam primi Entis seu Dei cognitionem, adeóque an Sinæ recentes non sint Athei?

Quamvis fortè posset alicui videri supervacanea hæc quæstio, cùm illa jam satis ex dictis pateat; tamen ad exponendam majori cum claritate totam rem, hæc pauca in unum collecta accipe.

1. Recole quæ dixi in quæst. 3. cap. primi, agendo de priscis & libris Sinicis & Sinis; quæ enim faciunt pro priscis, etiam faciunt pro recentibus, si pauca immutes.

2. Isti libri recentiores, adeóque & Sinæ recentes attribuunt Cælo, cælive Domino supremum Dominium, summam potentiam, scientiam falli nesciam, voluntatem liberam, justitiam sapientem, vitam, immensitatem, simplicitatem seu spiritualitatem; ergo habent veram aliquam primi Entis seu Dei cognitionem.

3. Agnoscunt in mundo aliquod primum Principium invisibile, spirituale, improductum, primum movens, omnia faciens, ad omnia invisibili modo concurrens, omnia gubernans, omnibus providens; & hoc dicunt esse unicum, esse Spiritum; ergo veram habent aliquam primi Entis seu Dei cognitionem.

4. Quamvis istud primum Principium, & primum Ens, nunc per Rationem, nunc per Naturam, nunc per Auram vitalem, nunc per Cæli Legem explicent; non videntur tamen hæc obstare veræ illius cognitioni; quandoquidem antiqui Sapientes & per Rationem, & per Providentiam, & per Naturam, & per vitalem Auram Divinitatem indicârint; sic Cic. Lib.

Lib. 2. de Natura Deorum: quod si omnes mundi partes ità constitutæ sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores; videamus utrùm ea fortuita sint, an eo statu, quo cohærere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante divinaque Providentia. Si ergo meliora sunt ea, quæ Naturâ, quàm illa, quæ arte perfecta sunt, nec ars efficit quidquam sine ratione; ne Natura quidem rationis expers est habenda. Sic rursus in eodem lib. 1. An cùm machinatione quadam aliquid moveri videmus, ùt sphæram, ùt horas, ùt alia permulta; non dubitamus, quin ista opera sint rationis; cùm autem impetum cæli admirabili cum velocitate moveri vertique videmus, constanrissimè conficientem vicissitudines annuas, cum summa salute & conservatione rerum omnium, dubitamus quin ea non solùm Ratione fiant; sed etiam excellenti quadam divináque Ratione? aut verò alia quædam Natura mentis & rationis expers hæc efficere potuit? Idem 5. Tuscul. vocat animam, divinæ particulam auræ. Et Seneca agens de motu Syderum: hæc verò, inquit, inoffensa velocitas procedit æternæ Legis imperio; & Pythagoras aiebat mundum constare harmonica Ratione. Imò ipse Lactantius Christianus de falsâ Religione Lib. 1. ad Constantinum Imperatorem post relata varia Poëtarum, ac Philosophorum testimonia atque sententias, sic ait: horum omnium sententia, quamvis sit incerta, eòdem tamen spectat ut Providentiam unam esse consentiant; sive enim Natura, sive æther, sive Ratio, sive Mens, sive fatalis necessitas, sive Divina lex, sive quid aliud dixeris, idem est, quod à nobis dicitur Deus: nec obstat appellationum diversitas, cùm ipsa significatione ad unum omnia revolvantur. Aristoteles, quamvis secum ipse diffideat, ac repugnantia sibi & dicat & sentiat; in summum tamen unam Mentem præesse mundo testatur. Hinc ergo infero non esse novum Divinitatem indicari per prædicta, & similia nomina.

5. S. Paulus Rom. 1. Judicat verum Deum naturaliter cognitum fuisse ab illis antiquis Sapientibus & Philosophus, quos maximè & acerrimè hîc insectatur, inquit Cornelius à Lapide; adeóque eos Atheos non fuisse; *quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit.* Quod sic explicat idem Cornelius: Apostolus asserit planè eos Deum, Deíque veritatem agnoscere potuisse & debuisse; quin & reipsa cognovisse. Quia hæc veritas naturaliter est aperta & manifesta, eámque docet ac dictat ipsa natura. Deus ergo per lumen naturæ iis hanc veri-

 rita-

ritatem manifestavit. Ait ergo Paulus, *quod notum est Dei*, græce γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, id est quod naturaliter de Deo est cognoscibile, ùt Deum esse unum, æternum, mundi principem ac vindicem, *manifestum est illis*, id est in illorum mente, intellectu, conscientia.Ità Cornelius. Jam verò cùm ipsa natura doceat, ac dictet istam unius Dei veritatem; cùm per lumen naturale illa sciatur; cùm illi antiqui Sapientes naturaliter eam cognoverint; an fortasse solos Sinas recentes, qui tam multa dicunt de hac veritate, natura naturaléque lumen, idem non docebit? an ipsi soli sine lumine naturali? Hinc Cicero lib. 1. de leg. ex tot, inquit, generibus nullum est animal, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei; ipsisque in hominibus, nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Imò Aristoteles Lib. Top. cap. 9. ait puniendum eum qui dubitaret, an oporteat Deum honorare. Nec ulla gens, ait Seneca, unquam est adeò extra leges, moréſque projecta, ut non aliquos Deos credat. Photin. Ennead 6. lib. 5. cap. 1. unum, inquit, quiddam, idémque numero esse simul ubique totum, communis indicat mentis humanæ notio, quando omnes naturali quodam instinctu clamant, in unoquoque nostrûm esse Deum &c. Et hoc Tertullianus vocat testimonium animæ naturaliter Christianæ. Omitto Minutium felicem, Maximum, Tyrium Philosophum Platonicum, Orosium, & alios, qui id probant de antiquis Philosophis. An verò hæc illustria Testimonia negantium dari Atheismum in mundo, non prævalebunt paucis Missionariis, qui in Sinicam gentem tam perspicacem, tam excultam, tam multa, tam clara de supremo quodam Ente disserentem, & fortè hac in re plurimos priscos Sapientes superantem, volunt tetram Atheismi notam inuehere? Sed hæc generalia quæ sunt potiùs juris quàm facti, relinquamus, ad particularia redeamus.

6. Sinæ recentes æquè ac veteres agnoscunt Spiritum montium ac fluminum, Spiritum cæli ac terræ; illos colunt; illis litant; ergo non sunt Athei.

7. Cùm autem istæ voces *Ratio*, *Natura*, *Aura vitalis*, *Cæli lex*, &c. per quas subinde Divinitatem indicari a Sinis diximus, ob suam universalitatem hominis animo etiam possint applicari, & de facto applicentur; unũ ab altero diligenter distinguendum est, maximè ubi sapientis animum comparant cum Cælo, & utrique eamdem virtutem ob similitudinem attribuunt.

buunt. Sic etiam olim Cicero Tuſcul. 9. comparabat animum cum Cælo, imò & eum penè Deum efficiebat. Deum igitur, inquit, ſcito te eſſe: ſi quidem Deus eſt, qui viget, qui ſentit, qui providet, qui tam regit, moderatur, & movet id corpus, cui præpoſitus eſt, quàm hunc mundum Princeps ille Deus.

8. Inſuper animadverte quemadmodum in ſenſu S. Pauli dixi recentes Sinas naturaliter Deum agnoſcere, atque adeò non Atheos eſſe; ita etiam in ejuſdem ſenſu dico, illos veritatem Dei in injuſtitia detinere; quia licèt ſatis agnoſcant unum eſſe ſummum Deum ac verum, Authorem mundi & Effectorem; non tamen ei debitum obſequium, ac honorem reddunt pravis ſuis libidinibus abrepti, & illa cognitio eſt veluti in luto gemma, eò obſcurior, quo vitiis magis immerſa jacet; hinc fit, ut inſtar veſpertilionum fugiant ab illa veritatis luce, nolint illam magnoperè diſcutere; imò ſi ſub aperto & claro Dei nomine illis proponatur, ei ſic propoſitæ nolint ſubinde, repugnante naturali lumine, aſſenſum dare; ſed ſtatim recurrant ad obſcuriora & generaliora nomina Rationis, Naturæ, Cæli legis, quæ tandem in idem redeunt, ùt vidimus ſupra; Cùmque Dèus oculis corporis videri non poſſit, malint etiam ſubinde promicantem illius veritatem ſtatim ab oculis mentis removere ſine ulteriori illius examine ac diſcuſſione, nè cogantur diſtinctiùs agnoſcere, quem lumine naturali conſcientia dictat eſſe. Unde patet non Atheos, ſed reipſa impios appellandos eſſe.

Deinde vide ſis, nè hic velis ad cultum politicum recurrere; hîc enim agimus de cognitione, non de cultu, qualiſcunque ille ſit; de cognitione, inquam, ſpeculativa, & naturali quidem; non de practica, & cultui conjuncta.

9. Denique ſi omnia collectim ſumpta, quæ in toto utriuſque præcedentis capitis decurſu allata ſunt, ſi tota illa tot textuum, tótque Authorum concatenata ſeries ac cohærentia bene attendatur, certè non videtur prudenti judicio quis poſſe aſſerere Sinas recentes, nedum antiquos eſſe Atheos.

Sed quorſum hæc omnia? dicet aliquis; quid refert utrùm Sinæ habuerint, aut etiam habeant nec nè, aliquam veri Dei notitiam? utrùm ſint Athei nec nè? quò tendunt iſta omnia duobus Capitibus ſat fuſè comprehenſa? quis finis, quæ utilitas? Reſpondeo iſta omnia maximè eſſe dicta & ſingillatim diſcuſſa propter Caput ſequens. Itaque.

CAPUT III.

De vera Dei appellatione apud Sinas.

OMnia quæ hactenus dicta sunt, huc tendunt, ut videamus quomodo possit appellari Deus apud Sinas? quæritur ergo utrùm apud Sinas Deus possit appellari *Xam Ti* seu cæli Dominus ac Rector? an Cælum? an primus Terminus *Tay Kie*, seu Natura? an Ratio sinicè *Li*? an vitalis Aura aut alio simili nomine? Cùm hæ voces primus Terminus sinicè *Tay Kie*, Ratio sinicè *Li*, vitalis Aura sinicè *Ki*, & similes sint tantùm à recentioribus Sinis assumptæ ad explicandas, aut adumbrandas varias Cæli seu cæli Domini tum perfectiones tum operationes; v. gr. per binam vocem *Tay Kie* Causam primam seu Naturam naturantem; per vocem *Li*, Causam idealem seu exemplarem vel supremam Intelligentiam; per vocem *Ki*, vitalem Potentiam seu operationem & executionem, vel Spiritualitatem & Excellentiam, ùt suprà vidimus; cúmque Sinæ utantur istis vocibus in vario sensu; habent enim ex se significationem valde vagam, incertam, ad varia objecta indifferentem; modò enim totum, modò partem; modò substantiam, modò accidens; modò creaturam, modò Creatorem possunt significare; ideò Patres Missionarii eas semper à significando Deo rejecerunt, sempérque invecti sunt in illos Neotericos Sinas, qui illis pene obscurum ac pene ignotum reddunt Cæli, cælique Domini nomen; & certè ad significandum per illas Deum semper opus esset maxima circumlocutione, ac verborum ambage. Unde hisce relictis tantùm controvertitur, utrùm Deus possit appellari *Xam Ti* seu cæli Dominus, & *Tien* seu Cælum? pro quo

QUÆSTIO I.

An Deus apud Sinas possit appellari *Xam Ti* id est cæli Dominus ac Rector, seu supremus Dominus?

Paragraphus I.

Assertio.

Præ-

PRæsuppositâ istarum duarum vocum *Xam Ti* apud antiquos & recentes Sinas significatione, quam suprà fusè retuli;

Respondeo & dico: Deus, apud Sinas videtur posse appellari *Xam Ti* seu cæli Dominus. Probatur.

1. *A Ratione.* 1. Voces sunt signa ad placitum, quæ vim habent significandi ex arbitrio suæ institutionis; atqui istæ voces *Xam Ti*, ùt patet ex tota quæstione capitis primi, fuerunt antiquitùs institutæ ad significandum verum Deum, illáque institutio adhuc perseverat, ùt patet ex quæstione prima capitis secundi; ergo illis potest appellari verus Deus.

2. Sinæ antiqui & recentes attribuunt *Xam Ti* seu cæli Domino eas perfectiones, quas nos atribuimus Deo, ùt vidimus in toto penè decursu utriusque præcedentis capitis, adeóque per illas voces *Xam Ti* idem significant, quod nos significamus per vocem Deus, ergo &c.

3. Deus apud Sinas potest appellari *Tien chu*, id est cæli Dominus, ùt nunc omnes conveniunt; sed istæ duæ voces *Xam Ti*, etiam significant cæli Dominũ; sive *Xam Ti*, idem est ac cæli Dominus, ut vidimus in quæstione secunda capitis secundi. Deinde, ùt ibidem dicitur, *Xam Ti* est cæli Spiritus, & hic cæli Spiritus, ùt dicitur in quæstione tertia capitis secundi, est unicus Dominus; imò *Xam Ti* est cæli ac terræ Spiritus, utì habetur in eadem quæstione tertia capitis secundi; ergo Deus potest appellari *Xam Ti*.

4. Quemadmodum agendo de motivis credibilitatis fidei, dicitur: etsi aliqua seorsim sumpta non convincant intellectum, nec sint totalis efficacitatis; tamen omnia simul sumpta itá eum convincunt, ut quis censeatur peccare, si illis non crediderit. Ita hìc cum proportione dico: etsi aliqua eorum, quæ de cæli Domino seu *Xam Ti*, in duobus præcedentibus capitibus attuli, seorsim sumpta non convincant, nec sint totalis efficacitatis; tamen omnia simul sumpta videntur posse intellectum convincere, aut saltèm dare motiva omninò sufficientia, ut intellectus prudenter possit illis assensum præbere. Deinde quemadmodum volens Christus persuadere Apostolis se resurrexisse, dicebat: *palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet* Luc. 24. licèt istud argumentum seorsim sumptum efficaciter non probaret veram ejus Resurrectionem, cùm Spiritus possint assumere corpora apparentia; tamen hoc junctum cum aliis signis & testimoniis Resurrectionis, efficaciter probabat Christum verè resurrexisse. Ita etiam dico: licèt aliqua argumenta, & testimo-

ſtimonia in præcedentibus capitibus allata ſeorſim ſumpta non efficaciter probarent, tamen illa juncta cum aliis poſſunt efficaciter probare per illas voces *Xam Ti*, ſignificari à Sinis verum Deum; ergo Deus poteſt appellari *Xam Ti*.

2. *Ab uſu*. Jam longo uſu receptum eſt, ut hîc in China Deus vocetur *Tien Chu*, id eſt cæli Dominus; licèt in principio dubitatum fuerit, utrùm poſſet ſic vocari, eò quòd diceretur aliquod Idolum ſinicum hoc nomine appellari. Sed eodem uſu, & fortè longiori receptum eſt, ut etiam Deus vocetur *Xam Ti*; nam liber Patris Riccii Miſſionis Sinicæ Fundatoris, dictus *Tien Chu Xe y*, vel *Tien hio Xe y*, & liber Patris Pantoja illi coævi, dictus *Cte Ke*, qui circa principium alterius ſæculi, imperante *Van lie* impreſſi ſunt, Sinis notiſſimi, paſſim & promiſcuè ad ſignificandum Deum utuntur vocibus *Xam Ti* & *Tien Chu*; uti & multi alii libri Chriſtiani, tùm ejuſdem temporis, tùm poſterioris, non tantùm à Patribus Societatis JESU, ſed etiam à Patribus alterius Ordinis editi: ùt liber R. P. Antonii a S. Maria Ordinis S. Franciſci, dictus *Tien yu yn* impreſſus Anno 1664. cujus hæc verba: *Xam Ti id eſt cæli Dominus (Tien chu) unicus, & ſumma Majeſtate venerandus, qui in omnes res dominatur, eáſque regit* A. & liber R. P. Petri Pinuela ejuſdem Ordinis dictus *Tso hoei Ven ta*, reviſus à RR. PP. Tarin, & à S. Paſchali ejuſdem Ordinis, approbatus à R. P. Commiſſario Navarro, ſic in cap. 3. habet: Dum dicitur *Palatium Imperiale*, non tantùm dicitur illud magnificũ ædificium; ſed intra Palatium Imperiale ſumma exiſtat Majeſtas oportet; idcircò dum dicitur *Tien* ſeu *Cælum*, verè demonſtratur in cælo debere eſſe unicum ſummè venerandum, ac verum Dominum Gubernatorẽ Spirituum, hominum, ac omnium rerum, cui nos debemus gratias agere, cúmque colere. Ideò Doctor *Tsu Su* ait: ritus litandi Cælo ac Terræ eſt id, quo inſervitur *Xam Ti*, ſeu ſupremo Domino. Et liber Carminum: Princeps *Ven Vam* omni cum diligentia, ac reverentia palam inſerviebat *Xam Ti*; hinc apparet quod Sinarum ſapientium, virtute ac ſcientiâ inclytorum mens fuerit, ut indicarent colendum eſſe verum cæli ac terræ Dominum, non verò cælum materiale. Nunc ergo qui iſtorum antiquiſſimorum Sapientum, virtute ac ſcientiâ inclytorum menti adverſantur, cælúmque materiale colunt, horum ſanè error rectæ rationi directè repugnat. At Confucius, objicit hoſpes, quando dixit: *qui peccat in Cælum, non habet, quem deprecetur ut pœnam effugiat*, ubinam dixit eſſe *Tien Chu*, ſeu Deum, aut cæli Dominum? Reſp. hæc Confucii verba verè, & cla-

& clarissimè dicunt in cælo esse unicum Dominum ac Rectorem, qui nos respicit, & ad nos pertingit, ità ut non audeamus vel minimum eum offendere. Enimverò quî voluit indicare aut intelligere cælum istud cæruleum, ac materiale? aut per istam vocem *Tien* seu *Cœlum* intelligi *Rationem* & nihil aliud? (B). Ità prædictus Pater.

Idem Pater in procemio ejusdem libri, Religionem Christianam vocat *Cœli* doctrinam, *Tien Kiao*. Cùm igitur longo usu receptum sit, ut Deus significetur per voces *Xam Ti*, potest Deus appellari *Xam Ti*; maximè cùm ista Dei appellatio, post exortam aliquam in ejus principio dubitationem, jam fuerit discussa, examinata, ac tandem, ùt antè, in suo usu relicta.

3. *Ab Authoritate.* Qui possunt hac in re magnæ authoritatis judicium ferre, sunt ipsi Sinæ, si habeant has duas conditiones: 1. Si probè sciant, quid per vocem *Deus* intelligant Europæi. 2. Si litteris Sinicis sint eximiè eruditi. Jam verò ejusmodi Sinæ asserunt per istas voces *Xam Ti* significari Deum, & ipsi passim in libris Deum appellant *Xam Ti*; ergo. Probatur Minor. 1. Doctor & Imperatoris primus Minister, seu Colaus *Siu* Christianus in suo parvo celebri libro *Pie Vam* sic: *Xam Ti*, inquit, est hominum vivorum, & mortuorum Dominus (C). Idem in libello supplice, quem Imperatori *Van lie* pro re Christiana obtulit sic: horum (id est Patrum Missionariorum) mens est efficere, ut omnes virtutem sectentur ad respondendum excelsi Cœli homines amantis intentioni; pro suo primo principio habent palam inservire *Xam Ti*, scilicet cœli Domino (D). Alibi idem sæpius vocat Deum nunc *Ti*, nunc *Xam Ti*, v. g. ad calcem librorum *Tien Chu kiam sem yen him ki lio*, *Lh xe u yen*, &c. (E).

2. Doctor celebris *Fum* Christianus sic: quid est *Tien chu* seu Deus? Resp. est *Xam Ti*; non inanem, sed veram & realem rem intelligendo; Ecquis sanè est qui existimet rem inanem & vanam dici, dum sex nostri libri classici antiqui, quatuor Doctores Confucius, Memcius, *Tsu Su*, *Tsem Tsu*, omnésque cujusvis ævi viri virtute, scientiâ, sapientiâ clari passim dicunt: timere *Xam Ti*, cooperari *Xam Ti*, inservire *Xam Ti*, accedere ad *Xam Ti*, adhærere *Xam Ti*? (F).

3. Doctor *Tam* Christianus, primam sui cursûs lauream adeptus sic: Christiana Religio hæc duo præcipuè complectitur: 1. Colere unum Deum, seu *Tien Chu* super omnia. 2. Amare proximum sicut seipsum. Quoad primum, *colere unum Deum*, est illud, quod nostri Doctores vo-

cant, palam inservire *Xam Ti*, seu cæli Domino (G). Sic idem eodem nomine Deum vocat in epistola præliminari libri *Che fam vay ki*; in suis libris *Tien xe mim pien*, *Toy y*, &c. (H).

4. Doctor *Ly* Christianus sic: illa Religio (scilicet Christiana) unicè spectat servire *Tien Chu* seu Deo; & hoc est, quod nostri Doctores dicunt: nôsse *Cælum*, servire *Cælo*, servire *Xam Ti*. Non dicitur *Ti*, sed dicitur *Chu*; explicando nimirum illud *Chu* uti explicat Doctor *Chu hi* sic: ista vox *Ti*, id est cæli *Chu Tsay*, sive Dominus ac Rector. Quia enim Deus est Dominus, qui cælum, terram, omniáque produxit, ideò per illam vocem *Chu*, seu *Dominus*, magis singillatim exprimitur quid sit. Denique si velimus penitùs penetrare quid sit, est omnium hominum in toto orbe degentium noster unicus magnus Pater ac Mater (I); (nota has ultimas duas voces pro eo quod suprà dixi de litamine Cæli ac Terræ). Idem sæpius Deum appellat nunc *Xam Ti*, nunc *Ti* in suis epistolis præliminaribus librorum *Ki gin xe pien*, *Tien Chu xe y* &c. (K).

5. Doctor *Chin* Christianus in sua epistola præliminari libri *Sim hio tsu xo* sic: nostri Doctores assumendo quod est obscurum, vocant Cælum seu *Tien*; Europæi assumendo quod est clarum, vocant cæli Dominum seu *Tien Chu*; denique hi, & illi explicando quod dicit libri Carminum oda *Hoam y*: *tremendus in hac infima advenit*, & oda *Ta mim*: *ad te appellit*: *noli vacillare*; id omne ad *Xam Ti*, nempe cæli Dominum referunt (L). Eumdem vide in alia præliminari epistola libri *Cie Ke* &c.

6. Litteratus *Han* Licentiatus, ùt arbitror, vel Doctor ex Provincia *Xan si*, libris celeberrimus sic suum librum *To xu*, qui est explicatio brevis doctrinæ ab Imperatore singulis mensibus ad populum tradi jussæ, (hic liber *To xu* revisus ab octodecim Litteratis ex octo diversis Chinæ Provinciis, mirúmque in modum à Provinciali justitiæ Præside, & alio Doctore Regii Collegii, qui illum Imperatori legendum ostendit, in suis præliminaribus epistolis collaudatus) sic, inquam, suum librum incipit: dum dicitur *Cælum* esse noster magnus Parens, juxta hunc libri Carminum locum: *vastissimum & altissimum Cælum tu diceris hominum Parens*; id non intelligitur de cælo cæruleo & visibili; sed sursùm est unus Dominus ac Rector, qui cælum, terram, Spiritus, homines, & omnia producit; id est supremus ille Dominus *Xam Ti*, quem quinque libri Classici tempore Imperatorum *Yao* & *Xun* ac trium primorum Imperiorum *Hia*, *Xam*, *Cheu*, successivè semper ad posteros transmiserunt. Dum autem ad vocandum

eandem Cælum adhibetur illud cælum visibile, est sicut, dum ad vocandum Imperatorem adhibetur aula Imperialis; in hac enim summa Majestas residet. Enimverò quî possit illud Palatium materiale sustinere Personam Imperatoris? Prisci & moderni Imperatores virtute, ac sapientiâ conspicui omnes à Cælo creantur ad regendos, & docendos suos populos; hinc Imperator dum excelsissimo Cælo *Xam Ti* litat, licèt ipse summa Majestate potens, in verborum tamen formula, qua utitur, sic seipsum nominat: ego Imperii heres tuus, ô Cælum, Filius, & Vasallus N. N. &c. (M).

7. Licentiatus *Cham Kem* ex Provincia *Fo Kien* libris etiam celebris, in procœmio sui libri *Tien hio chim su* sic: ecquis nunc litteratus sive doctus, sive indoctus ausit falsitatis, aut pravitatis condemnare doctrinã inserviendi *Cælo* seu *Tien*, id est Christianã? sed hoc *Tien* seu Cælum non est istud cælũ visibile ac cæruleũ; in hoc enim habetur unus Dominus ac Rector, finicè *Chu Tsay*; sed multi non solent illud examinare. In magno autẽ Occidente id est Europa Sancti viri, à priscis temporibus huc usque semper eum vocaverunt *Tien Chu* seu cæli Dominum, nomen omni honore celebrandum. Porrò Doctor *Chu hoei* id est *Chu hi*, dum in suo commentario libri *Te Kim* explicans vocem *Ti*, seu *Xam Ti* sic ait: *Ti*, *id est cæli Dominus ac Rector*, verè cum illis concordat. Nostri quidem quinque libri Classici *V Kim*, & alij quatuor *Su Xu* etiam Classici non dicunt apertè *Tien Chu* seu cæli Dominum; sed tantùm dicunt *Tien* seu Cælum; quia nimirum utuntur compendiosâ loquendi methodo. Sicut dum vulgus vult dicere urbis aut oppidi Gubernatorem, per syncopen eum nominat urbem, aut oppidum &c. nomen *Xam Ti* est tantùm diversum à nomine *Tien chu* quoad vocem; utrumque enim idem significat (N). Posteà id probat ex multis librorum Classicorum textibus.

8. Licentiatus *Chu* Christianus in suo libro *Chim xi lio xue* sic: cælum & terra inter omnes res est etiam una, & maxima quidem: debet ergo illius, (nempe cæli, ac terræ) esse aliquis Effector, qui quatenus summam Majestatem, nulli alteri prorsùs comparabilem habet, dicitur *Xam Ti*, (*Xam*, id est supremus; *Ti*, id est Dominus ac Rector); quatenus omnes res apprehendit, dicitur rerum Effector; quatenus omnibus viventibus dominatur, eáque regit, dicitur *Tien Chu* seu cæli Dominus. Idem in eodem libro, & in altero suo libro *Ta ka nen* passim ad appellandum Deum utitur vocibus *Xam Ti* (O).

V 2 9. Ba-

9. Bacchalaureus *Ly* Christianus in suo libro *Xin su*, in cujus fronte octo Revisorum sinicâ scientiâ & litteris præstantium nomina apponuntur, sic habet: istud nomen *Xam Ti*, quod nostrorum Doctorum libri passim habent, procul dubio manifestè significat *Tien Chu*, id est cæli Dominum seu Deum. Posteà in eodem libro ipse sæpissimè utitur isto nomine *Xam Ti* ad appellandum Deum (P). Omitto plurimos alios, nè longior & tædio sim. Vide epistolas præliminares libri *Cie ke*, libri *Xim kiao su quei*, & librum *Pie vam tiao po ho* (Q).

Jam verò isti omnes Sinæ probè sciebant quid esset Deus; Professione enim erant Christiani, pij & intelligentes; & simul probè sciebant quid esset *Xam Ti*; nam litteris & litterarum Sinicarum gradibus, imò supremis insignes erant. Ast ipsi asserunt istas voces *Xam Ti* idem significare, ac voces *Tien Chu*, id est Deus, seu cæli Dominus; vel potius asserunt istas voces *Xam Ti* significare Deum, istóque nomine passim Deum appellant. Potéstne ergo adhuc superesse aliquis dubitandi locus? an non illis prorsus credendum est? an fortè potiùs credendum paucis Missionariis id in dubium vocantibus, quàm summis litterarum sinicarum Doctoribus ac Magistris id affirmantibus? egregius profectò foret ille Flander aut Teuto, qui Parisios appulsus, & imbutus aliquali gallicæ linguæ notitia vellet ipse arguere in vocum gallicarum significatione, peritissimos linguæ gallicæ parisinos Magistros, illosque condemnare; annoncertè ipsemet explodendus, & condemnandus?

Vide adhuc alias probationes æquè efficaces in sequenti quæstione de voce *Tien Cælum*. Sed quid pluribus opus?

Videntur sanè allata satis & plusquàm satis rei veritatem demonstrare. Superest tantùm ut videamus quid objiciatur.

Textus Librorum.

A. 1. R. P. Antonius à S. Maria &c. ùt suprà in contextu.

B. 2. R. P. Pinuela in suo libro *Tso hoei ven ta*, &c. ùt suprà in contextu.

C. 3. Colaus *Siu quam ki* in suo libello *Pie vam* art. *Va chu kou hoen hiue chao*. ùt suprà in contextu.

D. 4. Idem Colaus in libello supplice *Pien hio tseu su*, dato Imperatoris *Van lie* Imperii anno 44. lunari mense 7. ùt suprà in contextu.

E. 5.

E. 5. Duo libri *Tien Chu kiam sem yen him ki lio*, & *Lh xe u yen* habent quæ suprà dixi in contextu.

F. 6. Doctor. *Fum ym kim* in epistola præliminari libri *Tien Chu xe y*, ut suprà in contextu.

G. 7. Doctor. *Yam tim yun* in epistola præliminari libri *Cie ke*, ùt suprà in contextu.

H. 8. Libri *Che fam vay ki*, *Tien xe mim pien*, *Tay y* habent quæ suprà dixi in contextu.

I. 9. Doctor *Ly chi tsao* in epistola præliminari libelli *Xim xui ki yen* sic: illa Religio &c. ut suprà in contextu.

K. 10. Duo libri *Ki gin xe pien*, & *Tien Chu xe y* habent quæ suprà dixi in contextu.

L. 11. Doctor *Chin y* in Epistola præliminari libri *Sim bio tsu xo* sic: nostri Doctores &c. ùt suprà in contextu.

M. 12. Litteratus *Han Lin* in suo libello *To xu* sic: dum diciturCælum &c. ut suprà in contextu.

N. 13. Licentiatus *Cham Kem* &c. ùt suprà in contextu.

O. 14. Licentiatus *Chu Tsum Yuen*, in suo libro *Chim xi lio xue* art. *Yu cheu chi nuy chin Kiao guei ye* sic: cælum & terra &c. ùt suprà in contextu. Vide etiam alterum ejus librum *Ta ke ven*.

P. 15. Bacchalaureus *Ly Kieu Kum* in suo libro *Xin su* artic. 1. sic: istud nomen *Xam Ti* &c. Nota in his Authoribus Sinicis & aliis, prima vox est cognomen, reliquæ nomen.

Q. 16. Videantur tres libri *Cie ke*, *Xim kiao su quei*, *Pie vam tiao po ho*, in quarum præliminaribus epistolis Sinæ litterati utuntur etiam vocibus *Xam Ti* ad significandum Deum.

Paragraphus II.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. Inveniuntur in libris esse quinque *Ti*, scilicet albus *Ti*, cæruleus *Ti*, flavus *Ti*, rubeus *Ti*, niger *Ti* (A); ergo *Ti* non potest significare Deum.

Respondeo Distinguendo consequens: *Ti* sumptus pro *Xam Ti* non potest significare Deum, Nego. Sumptus pro aliquo Imperatore aut

alio homine non potest significare Deum, Concedo. Ibi dicuntur esse quinque *Ti*, non dicuntur esse quinque *Xam Ti*.

Dices: *Ti* sæpissimè accipitur pro *Xam Ti*, seu ista vox *Ti* confunditur cum bina voce *Xam Ti*, ùt dictum est supra; ergo.

Respondeo Disting. Ass. Ista vox *Ti* antonomasticè sumpta confunditur cum voce *Xam Ti*, Concedo. Communi modo sumpta, Nego. Sicut ista vox *Apostolus* antonomasticè sumpta confunditur cum bina voce *S. Paulus*; vox *Philosophus* cum voce *Aristoteles*; non tamen communi modo sumpta; ita etiam hìc vox *Ti*.

Itaque illi quinque *Ti* 1. vel videntur esse quinque prisci Imperatores, dicti *Ti*, de quibus actum est cap. 2. quæst. 4. num. 34. litt. DD. & num. 35. littera DD. nempe Imperatores *Tay Hao* seu *Fo Hi*, *Yen Ti* seu *Xin num*, *Xao Hao*, *Chuen Hio*, *Hoam Ti*, recensiti tum in Dictionario litterâ *Ti* (B); tum in decursu Capitis dicti *Yue Lim* libri Rituum; & in loco, in quo litabatur *Xam Ti* seu cæli Domino, illis etiam fiebat ceremonia *Cy*, in gratam scilicet illorum memoriam. Vide cap. 2. quæst. 5. num. 8. littera F. & liber Rituum Imperii *Cheu* dicit, quòd quater in anno, scilicet vere, æstate, autumno, hieme priscis Imperatoribus fieret ceremonia *Cy*, apponendo carnem crudam, vinum aromaticum, orizam (C). Quod attinet ad istos quinque colores, videtur alludi ad colores quinque primariorum principiorum universalium, nempe aquæ, ignis, terræ, ligni, metalli, quæ unusquisque illorum quinque Imperatorũ aliqua virtute particulari ac præcipua dicitur repræsentâsse, ùt dixi in cap. 2. quæst. 4. num. 34. littera DD; hinc vasa quibus ad quatuor mundi plagas illis fiebat ceremonia *cy*, suum quæque colorem proprium habebant (D).

2. Vel certè Sectarii Idololatræ ex hisce quinque Imperatoribus sumpserunt occasionem effingendi alios quinque cæli Imperatores dictos *Ti*; sed hoc nihil ad quæstionem; cum de his in libris classicis nihil prorsus agatur, ideóque isti quinque *Ti* non spectant ad veram Sinarum litteratorum doctrinam, de qua hìc agimus.

Quamvis enim aliqui Interpretes, ut *Chim Kam Chim*, & quidam alii post illum, voluerint illos quinque *Ti* referre ad *Xam Ti*, constituendo quinque *Ti* juxta singulas mundi plagas, & singulas anni tempestates, imò & quandoque eos vocârint *Xam Ti*; tamen illi refutati sunt à veris librorum antiquorum ac classicorum Interpretibus, ità ut ista omnia litamina ad diversas mundi plagas facta spectarent unum & eumdem *Xam Ti* ubique

& in

& in omnibus anni tempestatibus dominantem; ut videre est in libro ***Ven bien tum kao***, qui tomo 68. & sequentibus hanc rem fusè tractat (E).

Deinde illi ordinariè dicuntur ***Ti***, non ***Xam Ti***. Idem esto judicium de illis 32 ***Ti***, ibidem in dictionario relatis, & de innumeris aliis.

Objicies 2. Idolum vulgò dictum ***Yo Hoam*** non tantùm vocatut ***Ti***, sed etiam vocatur ***Xam Ti***; & hoc quidem nomen, ùt habetur in Annalibus universalibus, illi indidit quidam Imperator familiæ ***Sum*** (F); ergo Deus non potest appellari ***Xam Ti***.

Respondeo Disting. Anteced. vocatur ***Xam Ti*** à Sectariis & Idololatris, Concedo. à Litteratis seu à Sinis veram Chinæ profitentibus doctrinam, Nego. Ille Imperator qui hoc nomen isti Idolo indidit, erat sectator sectæ ***Tao Su*** à quodam sectario dicto ***Lin lim so*** dementatus, ùt ibidem dicitur in Annalibus; uti & ille alius Imqerator familiæ ***Xam***, qui priùs illi indiderat nomen ***Imperatoris Cæli***, seu ***Tien Ti***; & hos ambos ibidem arguit glossator; & quidam Interpres extremas calamitates, quas experti sunt isti duo Imperatores, ad hoc idololatriæ crimen refert (G). Sic etiam primus Imperator ejusdem familiæ ***Xam*** visitans fanum Idoli ***Lao Kiun*** istius sectæ, de qua hîc loquimur, fundatoris, honorarium illi cognomentum ***excelsissimi*** & ***reconditissimi Principis maximi Rectoris contulit*** (H); sed hæc omnia rejiciunt Sinæ qui litteras & veram Chinæ doctrinam sequuntur. Unde, & abijt in proverbium: ***frivola Imperii Tam verba***; adeóque non nocent veræ ***Xam Ti*** appellationi, quâ Sinæ litterati utuntur.

Objicies 3. Saltèm ***Xam Ti*** est nomen Idoli, ergo Deus non potest eo nomine appellari, sicut Deus non potest appellari Jupiter; quia Jupiter est nomen Idoli.

Respondeo Dist. Antec. ***Xam Ti*** est nomen proprium Idoli, Nego. est nomen appellativum Idoli, Transeat. Istius enim ***Yo Hoam*** Idoli, seu potius hominis sub finem Imperialis familiæ ***Han*** in vivis agentis nomen proprium erat ***Y***, cognomen ***Cham***, cognomento carentis ut pote viri plebei (I). Jupiter autem est nomen proprium, quod alteri non est commune. Jam verò quod verum Numen nomine Idoli appellativo possit appellari, patet ex primis Ecclesiæ temporibus, in quibus & Jupiter, & Saturnus, & Apollo, & alia Idola, eodem, quo verum Christianorum Numen, Dei nomine appellabantur.

1. Quòd illa Idola appellarentur nomine Dei, liquet; nam Ovid. 1. fast.

fast. sic ait: Dicta quoque est Latium terra latente Deo. Ibi Deus sumitur pro Saturno.

Horat. 1. *Epist.* 11.

In quamcunque Deus tibi fortunaverit horam.

Ibi Deus sumitur pro Jove.

Ovid. 6. *fast.*

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Ibi Deus sumitur pro Apolline. Et sic de aliis.

2. Quòd circa eadem tempora (nempe in quibus vigebant hi versus, & hæc deorum nomina) verum Christianorum Numen etiam appellaretur Deus, seu græcè Θεὸς, liquet etiam tùm ex Evangeliis S. Joannis & S. Lucæ græcè, & S. Marci Latinè scriptis: tum ex vulgata versione Latina totius novi testamenti, quæ probabiliter jam extabat ipsis Apostolorum temporibus (non enim hanc S. Hieronymus fecit, sed tantùm in quibusdam locis emendavit); tùm ex psalterio longè etiam ante tempora Hieronymi in græcam linguam probabiliter à S. Luciano sub Imperatore Maximiano Martyrium passo, & statim ab alio in Latinam verso; ubi verum Christianorum Numen passim Deus & Θεὸς appellatur v. gr. Marci 1. Appropinquavit regnum Dei. - - - - - Scio qui sis, Sanctus Dei. Marci 3. tu es Filius Dei. Psal. 10. non est Deus in conspectu ejus. Psal. 21. erue à framea, Deus, animam meam. Vide etiam in dictis græcis Evangeliis sæpissimè vocem Θεὸς sumptam pro vero Christianorum Numine, quamvis tunc omnia græcorum Idola etiam vocarentur Θεοὶ.

3. Quod Deus sit nomen appellativum & commune, liquet tum ex dictis jam, tum ex etymologia ipsius vocis communis, quæ juxta Authores sic refertur: Deus hebraicè אל *el*, id est fortis, & græcè juxta Damasc. Θεὸς derivatur vel ἀπὸ τῦ αἴθειν id est urere, vel ἀπὸ τῦ Θεῖν id est currere, vel ἀπὸ τῦ θεᾶσθαι id est videre, nempe Deus ignis consumens, perennans, omnia videns, verba utique appellativa; vel, ut ait. Suar. 1. p. lib. 2. cap. 32. quia providentiâ suâ omnia prospiciat, omnia percurrat ac moveat, & omnem iniquitatem urat & absumat.

4 Quòd *Xam Ti* sit etiam nomen appellativum & commune, liquet tum ex dictis cap. 2. quæst. 2. & alibi; tum ex etymologia ipsius vocis communis; nam ista vox *Xam* id est supremus, & vox *Ti* id est Rex, Princeps, Dominus, Rector; uti habetur in Dictionario sinico (K). Et Interpres *Tsaj* agendo de tribus Imperatoribus *Fo Hi*, *Xin num*, *Hoam Ti*: ista

ista vox *Ti*, inquit, est nomen, quo appellatur is, qui in Imperio dominatur, illúdque regit; non est nomen proprium istorum trium Imperatorum, nec cognomentum post mortem inditum, sed nomen honorarium (L). Itáque ut uno verbo concludam; sicut apud Latinos ista vox *Deus* est nomen appellativum, & non proprium: ita apud Sinas ista bina vox *Xam Ti* est nomen appellativum, & non proprium; & sicut apud Latinos in primitiva Ecclesia latina verum Christianorum Numen poterat appellari *Deus*, *Dominus*, *Altissimus*, &c. Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam. Psal. 17. quamvis Idololatræ sua Idola eo nomine appellarent; ità etiam & multò magis apud Sinas in primitiva hac Ecclesia Sinica, Christianorum verum Numen potest vocari *Xam Ti*, quamvis quidam Sectarii idololatræ suum Idolum, aut sua Idola eo nomine appellent; cùm præcipua pars Sinarum etiam infidelium, nempe litteratorum, intelligant per binam vocem *Xam Ti* cæli Dominum ac Rectorem, non illud Idolum; cúmque explicent modò per vocem *Cælum*, modò per vocem *Ratio*; adeóque patet non esse nomen proprium. Imò sicut olim Ovidius lib. 1. Trist. adulando, Augustum Cæsarem appellabat *Deum*; ità & Poëta Sinicus carpendo Imperatorem tunc in vivis agentem ob nimiam gravitatem & rigorem, eum appellat *Xam Ti* (M). Ex his ergo omnibus infertur omnimodam paritatem esse inter vocem *Deus*, & binam vocem *Xam Ti*. De voce *Tien Cælum*, nempe quòd sit etiam nomen appellativum, idem intellige; nam apud Sinas vox *Tien*, & vox *Xam Ti*, ordinariè idem significant, uti diximus. Deinde ipsa vocis *Tien* etymologia id etiam confirmat: juxta enim vetus dictionarium *Xue Ven*, litterâ 天 *Tien* derivatur seu formatur ex his duabus 一 *Ye* & 大 *Ta*. littera 一 *Ye* significat unum, aut unicum; littera 大 *Ta* significat magnum; nempe 天 *Tien Cælum* est quid Unicum Magnum, seu Unitas Magna, vel Unica Magnitudo.

Objicies 4. Olim nonnulli Philosophi accipiebant Jovem, non pro homine aut Rege antiquo ad cælum evecto, sed pro ipso cælo, vel pro aëre seu æthere; & tamen tunc Christiani nunquam ausi sunt uti isto nomine ad appellandum Deum; ergo similiter nunc in China cùm *Xam Ti* accipiatur à Philosophis & Litteratis pro Cælo, aut subinde pro

23

Aura cælesti, non possunt etiam Christiani uti isto nomine ***Xam Ti*** ad significandum verum Deum.

Respondeo Neg. Consequentiam. Quamvis enim daremus quòd olim *Jupiter* quandoque à Philosophis & eruditis viris acciperetur pro cælo, vel pro aëre seu æthere; tamen illi in illa acceptione per nomen *Jovis* nihil aliud sibi effingebant ac repræsentabant quàm aliquod Ens materiale, sive cælum corporeum vel aërem æthereúmque materialem; illi enim Philosophi, ait Suares p. 1. lib. 1. cap. 3. nihil nisi corporeũ intelligere valebant; non verò sibi proponebant aut cogitabant unum verum ac supremum Spiritum Dominatorem, Omnipotentem, Provisorem, Effectorem invisibilem, abstractum ab omni re sensibili, qualem vidimus suprà agnosci ***Xam Ti*** à Sinis litteratis. Deinde Jupiter passim à populo ùt homo & Rex antiquus ad divinitatem evectus aut translatus reputabatur, & ùt talis adorabatur; nullus autem in China illum ***Xam Ti***, qui in libris classicis describitur, putat aut sibi fingit fuisse unquam hominem, sed ab omnibus ùt Spiritus & ex nemine genitus cognoscitur & colitur. Præterea omnes illi antiqui Pagani, etiam Philosophi Jovem in aliqua erecta statua seu Idolo, in quo aliquid vel divinum vel singulare ac mysteriosum putabant residere, adorabant; aut si Philosophi nonnulli & pauci id non putârint nec crediderint, saltèm ipsimet adorabant istud Idolum, in quo falsam aliquam Divinitatem totum vulgus ponebat, adeóque ad minimum erant exteriùs Idololatræ. Insuper Jovi fanum cum statua idololatrica erigebatur. Jam verò supremo Domino ***Xam Ti***, de quo hîc agimus, à nullo Sina tam plebeio quàm litterato Idolum erigitur, sed Imperator solam tabellam ***Xam Ti*** nomine inscriptam exponit, & nihil omninò divinum aut mysteriosum in illa tabella residere agnoscitur aut creditur; nullum fanum cum statua ei exstruitur, sed terræ agger erigitur, in quo ei non ùt homini ad Divinitatem evecto, sed ùt Spiritui supremo sub dio sacrificatur; & si quandoque sub tecto ei sacrificatum fuit; tamen coram solò ejus nomine tabellæ inscripto, non coram statua id fiebat; aut si aliquod ædificium erigatur, hoc tantùm ad servandam dictam tabellam vel potius nomen ***Xam Ti***, & ad splendorem ac commoditatem litantium inservit. Deinde quamvis hoc ædificium propter ipsius ***Xam Ti*** cultum fieret, non tamen ideò veram ejus significationem vitiaret. Itaque nulla est similitudo supremi Domini ***Xam Ti*** cum antiquo Jove; pro qua re recolantur tantùm ea quæ in præcedentibus capitibus diximus.

Obji-

Objicies 5. Sinæ Litterati sumunt istam binam vocem *Xam Ti* pro re inani, vaga, vana; pro nomine adscititio: ergo &c.

Resp. Neg. Ass. Sed illam sumunt pro re, quam ipsimet subinde aut nolunt, aut nequeunt (ut ipsimet fatentur) sat clarè explicare; unde ut eam explicent, ferè recurrere solent ad nomen *Cæli Rationis*, *Cæli legis* &c. Sed istud *Cælum*, istam *Rationem*, istam *Cæli legem* ipsimet afferunt esse aliquid reale, physicum, verum, non autem rem inanem, vanam, vagam; quin imò totam suam doctrinam in reali veritate fundant; ergo non sumunt *Xam Ti* pro re inani, vana, & vaga; nec istud nomen *Xam Ti* est ascititium hoc modo, quasi esset vanum, inane, & umbraticum. Sed est ascititium sic: est electum ad appellandum honorificè primum aliquod & supremum Ens, quod est Deus.

Itaque ex his omnibus liquet Deum nomine *Xam Ti* posse appellari, imò videtur Sinis istud nomen *Xam Ti* longè elegantiùs dictum, quàm nomen *Tien Chu*, quo solent eum appellare Christiani Sinenses; nam istud nomen *Tien Chu* in classicis Chinæ libris non habetur.

Textus Librorum.

A. 1. Dictionarium *Ta Tsu Guey* in litterâ *Chi* sic: *Chi* est locus, in quo fit ceremonia *cy* Cælo, Terræ, & quinque *Ti* seu Imperatoribus. Imperator *Vu Ti* ex familia *Han* ipsemet in quinque locis *Chi* fecit ceremoniam *cy*; ante ipsum tamen Regulus Regni *Cin*, id est Provinciæ *Xen Si*, in terræ tractu *fu* erexit locum *Chi* ad faciendam ceremoniam *cy* albo *Ti*; posteà ejus successor *Siuen Kum*, in terræ tractu *Mie* erexit alium locum *Chi* ad faciendam ceremoniam *cy* cæruleo *Ti*; deinde alius ejus successor *Lim Kum* in terræ tractu *V Yam* erexit duplicem locum *Chi*, superiorem ad faciendam ceremoniam *cy* flavo *Ti*, & inferiorem ad eam faciendam rubeo *Ti*. Denique *Kao Tsou* primus familiæ *Han* Imperator in boreali terræ tractu erexit alium locum *Chi* ad faciendam ceremoniam *cy* nigro *Ti*; atque hæc sunt quinque loca *Chi*.

B. 2. Dictionarium *Chim Tsu tum* in litterâ *Ti*, sic: ista vox *Ti* etiam significat quinque Imperatores *Tay hao*, *Ten Ti*, *Xao hao*, *Chuen hio*, *Hoam Ti*.

C. 3. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom. 3. *Chun quon* artic. *Tsum pe* sic: dum fit ceremonia *cy* priscis Imperatoribus, caro cruda apponitur, vinum aromaticum in terram effunditur, oriza præsentatur; & sic illis fit ceremonia *cy* in quatuor singulis anni temporibus.

D. 4. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom. 3. *Chun quon* artic. *Tsum pe* sic: hic Præfectus curet fieri sex pretiosa vasa ritibus cæli, terræ, & quatuor orbis partium destinata; scilicet pretiosum vas *Pie* cærulei coloris pro Cæli; *Tsum* flavi, pro terræ; *quei* violacei, pro ortûs; *Cham* rubri, pro meridiei; *hu* albi, pro occasûs; *hoam* nigri, pro septentrionis ritu. Tum ibi Interpres *Chun gin sie* sic: orientalis plagæ Imperator seu *Ti*, est *Tay hao* (alio nomine *Fo hi*); vasis *quei* figura in cuspidem terminatur, ad repræsentandũ nubiũ exortũ, ex quibus rerũ productiones profluunt; ejus color est violaceus ad repræsentandas plantas. Australis plagæ Imperator est *Yen Ti*, (alio nomine *Xin num*); pars dimidia vasis *quei* vocatur *Cham*, ad repræsentandum mutuum rerum conspectum, ubertim æstate maturescentium, quas symbolum ænigmaticum *Ly*, id est claritas significat; ejus color rubeos repræsentat ignem. Occidentalis plagæ Imperator est *Xao hao*; vas *hu* sculpitur instar Tygridis, ideóque repræsentat Tygridem, quæ est res fera simul & gravis; ejus color albus repræsentat metallum. Septentrionalis plagæ Imperator est *Chuen hio*; pars dimidia vasis *Pie* vocatur *Hoam*, repræsentátque res in profundo terræ recessu absconditas; ejus color niger vel subniger repræsentat aquam.

E. 5. Dictonarium *Chim Tsu tum* in litterâ *Ti* sic: ista vox *Ti* etiam significat quinque cæli Imperatores *Ti*; nempe cæruleum *Ti*, qui intelligens & gravis; rubeum *Ti*, qui ardens & iratus; album *Ti*, qui advocans & expellens; flauum *Ti*, qui cardinis motor; nigrum *Ti*, qui rerum memorabilium conservator cognominatus est. Quædam autem interpretatio sic ait: illi (*Ti*) ob effecta quinque primariorum Principiorum universalium quæ producunt ac conservant in mundo res, dividuntur quidem in quinque; sed ipsi revera sunt unicus, (seu unicus *Xam Ti*).

E. 6. Lib. *Ven hien tum Kao* tom. 68. sic Doctor *Yam*: juxta hæc ergo Doctorum *Chim* & *Chu* verba, Cælum & cæli Dominus *Ti* est unicus. Cælum & cæli Dominus in libris exprimitur modò per unicam vocem, v. gr. litare *Tien* Cælo, litare *Ti* cæli Domino; modò per duas, v. gr. pervenire ad *Hoam Tien* magnum Cælum, reverenter litare *Xam Ti* supremo Domino; modò per quatuor, v. gr. *Guei Hoam Xam Ti* magnus unicus, (vel ille) supremus Dominus; *Hao Tien Xam Ti* immensi cæli (vel immensum Cælum) supremus Dominus; *Hoam Tien*

Xam

Xam Ti magni cæli (vel magnum Cælum) supremus Dominus; & alia ejusmodi habentur. Si explicetur prout est aëris Dominus, tunc juxta varios temporis partiúmque mundi respectus habet varia nomina, v. gr. cæruleus *Ti*, rubeus *Ti*, flavus *Ti*, albus *Ti*, niger *Ti*; sed ista omnia reipsa sunt unicum Cælum. Ante Doctorem *Chim Kam Chim* nulli priorum Interpretum libri locuti sunt unquam de istis sex cælis; post illum verò prodijt (à sectarijs & adulterinis Interpretibus, uti ibidem dicit hic citatus liber) illa sex cælorum divisio; & insuper unicuique inditum est nomen alicuius constellationis, seu figuræ cælestis, v. gr. ---- sed illæ stellarum figuræ cùm non sint Cælum, non potest igitur Cælum per figuras quæri; si enim volueris Cælum per figuras quærere, numquid eris similis illi, qui sciret hominem habere corporis, externæque speciei figuram; nesciret verò habere Animum venerandæ Majestatis principem, seu habere Majestatem Animi principis?

F. 7. Liber Annal. Universalium tom. 25. agendo de Imperatore *Hoei Tsum* ex familia *Sum* sic: Nono mense Imperator profectus in Palatium *To cim ho yam*, honorarium largitus est *To Hoam* seu pretioso Principi, (Idolo Sinensi) cognomentum, magnámque per totum Imperium delictorum veniam Reis indulsit: cognomentum autem hoc fuit: excellissimus cælum aperiens, pactum apprehendens, tempus regens, veritatem complectens, viam penetrans, reconditissimi Cæli pretiosus Princeps *Xam Ti*. Insuper præcepit ut in omnibus istorum Sectariorum locis fana reficerentur aut erigerentur, & statuæ elaborarentur.

G. Tum glossator *Vam cham hoei* citans Interpretem *Kieu Kiun Xan*, ibidem sic: Familiæ *Tam*, inquit Doctor *Kieu Kiun Xan*, Imperator *Hiuen Tsum* in annis sui Imperii *Tien Pao*, istum *To Hoam* insignivit excelsa cæli Rectoris dignitate; & ideò posteà tremendam illam campi *Tu Tam* adversitatem (nempe feram primarii sui Ministri *Ngan Lo Xan* rebellionem) experus est. Deinde familiæ *Sum* Imperator *Hoei Tsum* in annis sui Imperii *Chim Ho*, honorarium illi indidit cognomentum; & ideò posteà tremendam illam campi *Hoam Lum* adversitatem (nempe captus à Tartaris Occidentalibus) expertus est. Eheu res timore ac pavore digna.

H. Idem glossator in tomo 18. Annal. Universalium cap *Imperator Hiuen Tsum* sic habet: Imperator *Kao Tsum* in primo anno sui Imperii dicto

Kien Fum, venerabundus Idoli *Lao Kiun* fanum adiit, & illi honorarium excelsissimi, ac reconditissimi Principii magni Domini ac Rectoris cognomentum dedit.

I. 8. Liber *Ta ke ven* Authore *Chu Tsam Yuen* sic dicit: Deus ergo erit idem, ac iste *To Hoam* quem colit secta *Tao*?

Resp. minimè. Iste enim *To Hoam* fuit homo, qui vixit sub finem Imperii familiæ *Han*, cognomine *Cham*, nomine *Y*, sectæ *Tao* Sectator; quia autem Imperator *Hoei Tsum* familiæ *Sum*, illam sectam *Tao* sequebatur, precibus ac suasu cujusdam Sectarii dicti *Lin lim so*, contulit isti *Cham Y* honorificum cognomentum reconditissimi Cæli pretiosi Principis magni Domini ac Rectoris.

I. 9. Liber Manusc. *Sim my pien* art. *To hoam* sic: quod attinet ad istum *Cham y*, quidam olim vir plebeius extitit, nec ulla virtute aut doctrinâ apud posteros commendabilis; sed tantùm pravis suæ sectæ *Tao* artibus, rudem plebem irretiit ac decepit.

K. 10. Dictionarium *To Tsu guey* in litterâ *Ti* sic: ista vox *Ti* significat Regem, Principem, Rectorem. *Ti*, inquit, Doctor *Lin* libri *Chun Cieu* Interpres, est is qui Imperium regit.

L. 11. Interpres *Tsay hiu chay* in suo comm. *Su xu mum yn*, ad procemium libri scientiæ Adultorum: ista vox *Ti*, inquit, &c. ùt suprà in contextu.

M. 12. Lib. Carm. tom. *Siao ya* odâ *Yuen Lieu* sic: ille *Xam Ti* est terribilissimus ac perspicacissimus; non potest ad eum haberi accessus. Tum ibi Interpres *Chu hi*: ista bina vox *Xam Ti* indicat Imperatorem.

QUÆSTIO II.

An Deus apud Sinas possit appellari *Tien* seu Cælum?

Paragraphus I.

Generalis assertio de voce *Tien*, id est, Cælum.

Bræ-

PRæ ſuppoſitâ iſtius vocis *Tien Cælum* apud antiquos & recentes Sinas ſignificatione, quam ſuprà fusè retuli;

Reſpondeo & dico: ſicut apud Latinos Deus poteſt appellari Cælum; itâ videtur apud Sinas poſſe appellari *Tien*.

Prob. 1. Apud Latinos dicitur: Pater, peccavi in Cælum, & coram te. Luc. 18. pervenerunt peccata ejus uſque ad Cælum. Apoc. 18. vocantur quatuor peccata in Cælum clamantia, quia vox & clamor eorum, ùt dicitur in ſcriptura, pervenit ad Deum. Ibi vox *Cælum* pro Deo ſumitur, & paſſim alibi. Apud Sinas dicitur: ſervire, litare, obedire *Tien* ſive Cælo; revereri, timere, orare *Tien* ſive Cælum; &c. ibi *Tien* ſive *Cælum*, ùt ſuprà vidimus, etiam pro Deo ſumitur. Unde

Prob. 2. ex omnibus quæ attuli in toto capite 1. & cap. 2. quæſt. 1. & 2. &c. ea recole aut relege, & ſatis clarè videbis *Tien* ſeu *Cælum* pro Deo accipi.

Prob. 3. A longo uſu: ex quo enim Miſſio Sinenſis fundata eſt à 100. & amplius annis, iſta vox *Tien Cælum* pro Deo ſemper recepta fuit, ùt patet ex omnibus libris Chriſtianis; nec unquam de iſta voce *Tien Cælum* inter Miſſionarios orta eſt controverſia, ſed pauciſſimis tantùm abhinc annis unus, aut alter hanc controverſiam excitavit, (qua de cauſa, aut occaſione, mox dicam); licèt de *Xam Ti* orta fuiſſet quæſtio. Imò hunc ipſum uſum probat ſepulchralis lapis Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Gregorij Lopez primi Nankinenſium Epiſcopi, defuncti in urbe Nankinenſi anno 1691. In hujus lapidis inſcriptione præfatus Dominus vocatur *Tien hio chu Kiao*, id eſt Epiſcopus doctrinæ *Tien* Cæli; vocatur *Tien hio ſu to*, id eſt ſacerdos doctrinæ ſeu Religionis *Tien* Cæli, nempe Dei. Dicitur *To Tien hio xu* vacâſſe libris doctrinæ ſeu Religionis *Tien Cæli*, nempe Dei; non enim agit ibi de Matheſi, aut cælo materiali. Ergo ibi iſta vox *Cælum* toties repetita accipitur pro Deo, ſeu cæli Domino; ſi enim acciperetur pro cælo materiali, aut ejus virtute materiali inſcriptio eſſet falſa adeóque auferenda; vel potius ipſe lapis ſepulchralis effodiendus & auferendus non ſine literatorum Sinenſium Chriſtianorum contradictione.

Prob. 4. Ab authoritate eorumdem Sinarum, quos in quæſtione præcedenti retuli; hi enim paſſim in libris *Tien Cælum* pro Deo accipiunt; imò ſæpiſſime malunt uti iſtâ voce *Tien* quàm vocibus *Tien Chu* ſeu cæli Domino ad Deum appellandum; quia vox *Tien* eſt elegantior. Præterquàm quòd gentiles Sinæ non ſatis capiunt, quid nos per iſtas voces *Tien*

Chu

Chu intelligamus, nisi illis explicemus; quia istæ duæ voces sic junctæ non habentur in eorum libris classicis, illásque spectant ut non satis elegantes; sicuti ipsemet Imperator *Kam hi* semel interrogavit cur non alio elegantiori nomine Deum appellaremus? per vocem autem *Cælum* sumptam pro cæli Domino longe faciliùs assequuntur quid nos velimus dicere, nempe summam & incomprehensibilem alicujus primi Entis & supremi Numinis excellentiam.

Probatur 5. Ab Authoritate Mahometanorum in China degentium. Certum est quod Mahometani pro objecto sui cultûs non habeant cælum materiale seu visibile, nec quamdam cæli virtutem materialem eidem cælo insitam, sed supremum aliquem vivum ac intelligentissimum cæli, omniúmque rerum creatarum Dominum. Atqui illi in China hunc explicant ac significant per vocem *Tien* & *Xam Ti*; ergo hæ voces sic sumptæ non significant apud illos cælum materiale. Minor probatur ex eorum libris dogmaticis sinice impressis, quorum tres tantùm affero:

Primus dicitur *Chim Kiao chin chuen*, id est rectæ Religionis vera expositio. In hoc libro reperitur scriptum *Tien* Cælũ simpliciter pro Deo novies; *Xam Ti* supremus Dominus pro Deo decies; *Tien Kim* Cæli Biblia quinquies; *Tien Ly* Cæli ratio semel; *Tien mim* Cæli mandatum septies.

Secundus dicitur *Cim chin Kiao Kao*, id est puræ ac veræ Religionis examen. In hoc libro reperitur scriptum *Tien* Cælum simpliciter pro Deo bis & vigesies; *Xam Ti* supremus Dominus pro Deo semel; *Tien Kim* Cæli Biblia ter; *Kim Tien* colere Cælum septies; *Su Tien* servire Cælo bis; *Pay Tien* revereri Cælum ter.

Tertius dicitur *Su pien yao tao pien mum cien xue*, id est quatuor capitulorum doctrinæ valde necessariæ ad rudiorum captum explicatio. In hoc reperitur scriptum *Tien* Cælũ simpliciter pro Deo semel; *Tien chi* Cæli decretum semel; *Tien mim* Cœli mandatum duodecies; *Tien Ly* Cæli ratio semel; *Tien Kim* Cæli scriptura seu Biblia ter.

Hinc igitur vides Mahometanos in China per vocem *Tien* & *Xam Ti* significare supremum ac vivum rerum omnium Dominum; Mahometanos, inquam, quorum multos & sinicarum litterarum gradibus & Magistratibus insignes, Litteratorúmque Præsides videre est.

Prob. 6. Ab Authoritate Judæorum; multi enim sunt & Pekini & in Provincia *Ho nan*. De his P. Joannes Paulus Gozani Societatis JESU; in Metropoli præfatæ Provinciæ *Ho nan* dictâ *Kay fum* degens, 30. Junij anni

anni 1705. sequentia sic testatur: testor Judæorum Archisynagogum sinicè *Cham Kiao* (in ea quippe urbe Synagogam habent Judæi) hebræo nomine Phinees, cognomine sinico *Kao*, hodie coram me in meo cubiculo scripsisse nomina hebraica *Adam*, *Abraham*, *Hodoi* (nempe *Schaddai*) *Elohim*, & *Adonai* quod ultimum ipse pronuntiat *Ngetonoi*. Secundò cum dixisse hæc tria Dei nomina *Hodoi*, *Elohim*, & *Adonai* à se & à suis Judæis sinicè explicari per vocem *Tien* Cælum, & *Tien Te* cæli Dominum; (*Tien Te* & *Tien Chu* sinicè idem significant, nisi quod *Tien Te* magis adhibeatur in vulgari sermone). Tertiò per vocem *Tien* & *Tien Te* à se & à suis Judæis non intelligi cælum materiale, sed Creatorem cæli & terræ, qui Adamum primum hominem creavit, qui Abrahæ per Angelos circumcisionem præscripsit, qui dedit Legem Moysi in monte Sinai, &c. ità præfatus Pater.

Hæc confirmant tria magna monumenta lapidea intra dictam Synagogam erecta sub diversis Imperatoribus, quæ continent compendium & elogium Legis Mosaicæ.

In primo monumento erecto sub Imperatore *Hum Chi* circa annum Christi 1487. legitur *Tien* Cælum pro Deo sexies; *Kim Tien* colere Cælum quater.

In secundo erecto sub Imperatore *Chim Te* circa annum Christi 1511. legitur *Tien* Cælum pro Deo semel; *Tien mim* Cæli mandatum bis.

In tertio erecto sub hoc Imperatore *Kam hi* anno Christi 1663. legitur *Xam Ti* supremus Dominus pro Deo semel; *Tien* Cælum simpliciter pro Deo septies; *Kim Tien* colere Cælum bis.

Deinde ijdem Judæi Pekini dederunt Patribus Societatis JESU librum de sua Lege sinicè scriptum, quo domi ad instructionem utuntur, & cui titulus est *Mim Kiao Siu*, id est claræ Religionis brevis instructio. In eo libro legitur *Xam Ti* pro Deo semel; *Tien* simpliciter pro Deo octies.

Ex his ergo patet à Judæis, quorum nonnulli & Bacchalaurei, & Licentiati, & Doctores, litterisque sinicis præstantes sunt, adhiberi in China vocem *Tien* & *Xam Ti* ad significandum Deum.

Probatur 7. Ab Authoritate Sinarum Infidelium. Non tantùm Judæi & Mahometani nunc adhibent istas voces *Tien* & *Xam Ti* ad significandum supremum Numen, sed etiam ipsi Sinæ suæ sectæ litterariæ miri Zelatores idem præstant, quorum unum dumtaxat librum à paucis annis in urbe *Sum Kiam* Provinciæ Nankinensis contra nostram Religionem

editum affero. Ejus titulus est *Pie Si Tam Sie Kiao Lun*, id est pravæ Religionis Europæorum refutatio. Sic ille ait: esse unum supremum Dominum, qui in nostris libris classicis *Su Xu* & *U Kim* vocetur *Tien* & *Xam Ti*, estne homo qui istud ignoret? sed dicere illum incarnatum, hoc nimis rude & stupidum est. Ille est altissimus; cùm cælum, terram, homines ipse producat, in cælis tonet, educat ventos ab extremis mundi, enimverò quomodo potuerit fieri homo, & indigna pati?

Idem etiam probat quoddam diploma in favorem Religionis Christianæ quondam datum Patri Alphonso Vaghoni Societatis JESU Missionario a Gubernatore urbis *Kiam cheu* Provinciæ *Xan si* anno 1633 quando nondum exorta erat controversia de voce *Tien*, uti supra dixi. Iste Gubernator in suo diplomate utitur vocibus *Tien* & *Xam Ti* ad significandum nostræ Religionis Deum.

Recole insuper omnia quæ in præcedenti capite dixi de Authoribus modernis; & præcipuè vide cap. 2. quæst. 3. in textibus num. 6. litterâ E. denique

Probatur 8. & ultimò. Deus potest appellari *Xam Ti*, uti jam in quæstione præcedenti probavimus & vidimus; ergo etiam potest appellari *Tien* seu Cælum; quia vocem *Tien* & *Xam Ti* sæpissime pro uno & eodem solent Sinæ accipere.

Nota; dum dico: Deus potest appellari *Tien* Cælum, intelligo in modo loquendi; id est dum dicitur ista vox *Tien* Cælum, per illam potest apud Sinas intelligi & significari Deus, sicut apud Europæos.

Atque hæc videntur sufficere ad demonstrandum usum vocis *Tien* & *Xam Ti* pro significando vero & supremo cæli Domino, seu Deo in Chinâ hisce temporibus adhuc vigere, & Sinas aliósque Chinæ Incolas per illas voces verè eum significare. Quidni ergo & Christiani in China non possint uti subinde ijsdem vocibus ad eum exprimendum & significandum, præsertim cognitâ illarum tantâ utilitate, aptitudine, imò & necessitate?

Objicies 1. Omnes libri & commentarij illorum Sinarum recentiorum sunt pleni Atheismo; omnia enim referunt ad cælum materiale, aut ad ingenitam ejus virtutem materialem tanquam ad causam primam; ipsique librorum classicorum commentarij ab hoc Imperatore *Kam hi* in lucem editi eòdem etiam tendunt; v. gr. in ejus commentario *Ge kiam xu kim* seu Annalium Imperialium tomo 2. cap. *Yao Tien* dicit in colendo Cælo nihil majoris momenti esse, quàm Kalendarium conficere, & cæli tempo-

rum

rum rationem habere. Ergo ista vox *Tien* Cælum, cùm pro re materiali communiter a litteratis Sinis nunc accipiatur, non potest adhiberi ad significandum Deum.

Respondeo Neg. Antecéd. Isti enim libri & commentarij, uti jam sæpe vidimus in capite secundo, agnoscunt pro primo rerum Principio aliquod Ens Spirituale seu Spiritum, quem modò per Causam unicam, modo per Rationem, modò per Excellentiam, modò per primum Terminum, modò per rem invisibilem & incomprehensibilem explicant, adeóque non ad cælum materiale, aut ejusdem virtutem materialem tanquã ad causam primam omnia referunt; sive agnoscunt unum supremum Numen, quod omnia producit, regit & prospicit, quódque virtutem remunerat, ac vitia castigat. Atque isti commentarij ab hoc Imperatore *Kam hi* in lucem editi, uti alij, eò tendunt; nec ullus afferri potest textus aut locus in quo Atheismum doceat; imò frequenter varijs in locis designat claris verbis dari unum verum & supremum rerum omnium Dominum, maxime in toto decursu istius commentarij *Ge kiam xu kim*; útque etiam patet ex diversis istorum commentariorum locis jam sæpiùs à me citatis, & adhuc citandis.

Quod attinet ad textum in objectione citatum, hæc sunt ejus verba: cultus Cæli & regimen populi in Viro sapiente non tantùm ex interiori cordis affectu procedit; sed ejus animus, quo Cælum reveretur, singulariter curat res Ephemeridũ & Instrumenta pro motibus cælestibus facienda; ejúsque animus, quo populis prospicit, singulariter curat dandam illis temporum distributionem, seu Kalendarium. Unde nil aliud ibi dicitur, quàm quòd cultus Cæli & regimen populi non in solo interiori animi affectu consistat, sed etiam foras promanare debeat ad curandas res Kalendarij & motuum cælestium, atque ad dandam populis temporum distributionem.

Objicies 2. Sinæ gentiles quando dicunt *Tien* Cælum, nihil aliud intelligunt quàm vel cælum istud materiale ac cæruleum, vel quamdam ejus virtutem materialem.

Resp. Negando Assumptum. Sed intelligunt *Xam Ti*, Rationem, & similia quæ jam dixi non esse materialia.

Objicies 3. Istæ voces *Xam Ti*, *Ratio*, & similes juxta illorum sensum sunt vanæ, & de subjecto non supponente.

Respondeo Negando Assump. Sed istæ voces supponunt pro Subjecto invisibili, spirituali, incomprehensibili, ubique existenti & omnia agenti. Vide cap. 2. quæst. 3. & alibi: postquam enim isti Sinæ recentiores omni mentis conatu in varias partes se verterunt ad explicandas illas voces *Ratio*, *Xam Ti*, *Cælum* & similes, tandem eò semper deveniunt, ut velint per illas significari aliquod primum Principium occultum, quod in recondita ac mysteriosa caligine assiduè agit, omnia invisibili modo producit, omnia justissimè regit: annon vere hoc Deus? an hoc fortè de subjecto non supponente? cælum enim materiale non est reconditum, occultum, invisibile; non est opus tantis ambagibus ad illud explicandum. Unde patet Cælum pro vero cæli Spiritu veróque cæli Domino ab illis sumi, adeóque Deum posse appellari *Tien* Cælum, seu vocem *Cælum* posse pro Deo accipi ac intelligi.

Paragraphus II.

Particularis assertio de duabus vocibus *Kim Tien*, id est revereri Cælum.

HArum duarum vocum controversarum origo hæc fuit: Imperator *Kam hi* anno sui Imperii decimo quarto, id est Christi 1675. singulari benevolentia visitans nostrum Pekinense Societatis JESU Collegium, ac Patrum cubicula; cùm esset in cubiculo Patris Ludovici Buglio, ipse arrepto penicillo has duas voces exaravit *Kim Tien*, id est revereri Cælum, eásque dedit more Sinico in tabella publicè exponendas. Pekinenses Patres statim eas apponi jusserunt in Ecclesia Pekinensi ad patefaciendum Imperatoris de nostra Religione animum atque existimationem. Deinde alij Patres Missionarij in alijs Provincijs degentes, easdem Pekino acceptas simili Tabellæ inscriptas appendi curârunt, alij in templi vestibulo seu potius anteriori hospitum atrio, alii intra ipsum templum. Lapsu temporis, advenientes novi Missionarii, Tabellam conspicati, ùt fieri amat, nunc mirari, nunc despicère, nunc improbare eam in aliis etiam Patrum Residentiis apponi, quæ data fuisset tantùm uni Patri Ferdinando Verbiest, uti ajebant; nunc istarum duarum vocum sensum arguere, culpare, reprobare; ac tandem eò deventum est, ut diceretur ab

ab Idololatria excusari non posse, adeóque tollenda Imperatoria Tabella vel ipsâ solius periculi suspicione, nè abominatio desolationis in loco Sacro collocaretur. Ità parva scintilla magnum excitavit incendium. Quo hæc omnia motivo, quo examine, quâ consultatione, qua morâ non est meum disquirere: nunc tantùm videamus utrùm ista Tabella seu inscriptio *Kim Tien* sit idololatrica, nec ne?

Respondeo & Dico ista Tabella non est magìs Idololatrica, quàm ipsum Cælum est Idolum; sed Cælum non est Idolum; ergo nec ista Tabula est Idololatrica. Prob. minor. Idolum juxta Corn. à Lapidein 1. cor 8. hebraicè dicitur אליל *elil*, id est vanitas, res vana, inanis; vel juxta alios, id est Deiculus, forticulus; sed Cælũ pro cæli Rectore ac Domino sumptum non est vanitas, res vana & inanis, ùt jam sæpè vidimus; nec Cælum est forticulum aut Deiculus; Sinæ enim nihil Cælo majus, excellentius, honorabilius, fortius agnoscunt; ergo Cælum non est Idolum. Deinde idem Cornelius ibidem vocem græcam εἴδωλον quæ ex se significat formulam, explicans dicit quòd scriptura & Scriptores Ecclesiastici nomen Idoli arctârint ad imaginem Dei, qui habetur Deus, & reverà non est. Sed Cælum, dic quæso, cujus est imago? non est imago cæli materialis; alioqui idem esset imago, & simul res per imaginem repræsentata, quod repugnat; imago enim realiter distinguitur à re quam repræsentat; ergo Cælum non est imago cæli materialis. Si autem dicas Cælum esse imaginem Cæli imaterialis seu rei immaterialis; ergo tunc erit imago cæli Domini, Rectoris, Effectoris invisibilis, Rationis omnia efficientis & gubernantis: non enim datur aliud Cælum immateriale aut alia res immaterialis; sed cæli Dominus, Rector, Effector &c. est reverà Deus; ergo Cælum sic sumptum non est Idolum. Jam verò cùm causa arguendæ & improbandæ prædictæ Tabellæ seu inscriptionis *Kim Tien*, fuerit ista vox *Tien Cælum*, & ista vox *Cælum* nullo modo Idolum significet; ergo prædicta Tabella libera est ab illa nota, nec est periculum ut abominatio desolationis ponatur in loco Sancto.

Deinde ista & similes Tabellæ seu inscriptiones Sinicæ sunt tantùm quædam verba encomiastica, quæ Imperator & Mandarini alijs largiri solent in occasionibus particularibus ad testandam suam erga illos benevolentiam & existimationem; illæque posteà ad publicum conspectum, ùt passim videre est in tota China, appenduntur tum in domibus privatis, tum in fanis, non ut aliquis cultus aut honor eis deferatur, sed ùt pateat

 dona,

donatoris benevolentia & existimatio; adeóque sunt tantùm quædam dona honoraria. Sed quid vetat donum honorarium sive domi ad ornatum, sive in templo ad famam, (si nihil ad cultum pertineat) appendi? an etiam fortasse aliquis prohibebit in templo appendi capta Turcarum vexilla, vel alia dona tholis affigi? an quis arguit olim profanum S. Ignatii ensem in sacra montis Serrati Æde fuisse suspensum? quin imò ego, ùt memini, vidi Namurci in Æde B. Virgini sacra antiquum parvum Idolum *Nameu*, unde creditur Namurci nomen emanâsse, relinqui ad memoriam intra lapideæ columnæ concavitatē. An fortè quis clamabit *abominatio desolationis in loco Sancto*? Sed hæc per auxesim dicta sint. Nam præterquam quòd prædicta tabella seu inscriptio *Kim Tien* sit tantùm donum honorarium, ùt omnes nôrunt, qui Sinas nôrunt; & palam appendatur, non ut cultûs signum existat, sed tantùm ut doni existimatio appareat; etiam continet, uti vidimus, sensum sanissimum & nostræ Religioni valde conformem.

Et quidem quod attinet ad locum templi, non tantùm non indecens pro apponenda ista tabella, sed potius videtur quasi aptior quàm quivis alius; quia iste locus templi clariùs quàm alius, & aliquo modo ex se indicat inscriptionem ibi appensam loqui de Deo Christianorum sat in China noto, ac præsertim ob inexistentem Christi Salvatoris imaginem; adeóque ex quacunque parte illam inscriptionem accipias, nullum apparet Idololatriæ nec vestigium nec periculum.

Denique ut magìs adhuc veritas pateat, afferamus ipsiusmet Donatoris publica & authentica testimonia, quibus superiùs allata de vocibus *Tien* & *Xam Ti* efficaciter & comprobantur & confirmantur.

Paragraphus III.

Publica & authentica Imperatoris Tartaro-Sinici *Kam hi* Testimonia, quibus vocis *Tien* ac *Xam Ti*, & quorumdam Rituum circa Defunctos controversorum legitimus sensus declaratur.

Cum

CUm Patres Societatis JESU Pekini degentes viderent tanto ardore in China & in Europa inter Europæos controverti de vero ac legitimo quorumdam Rituum ac vocum Sinicarum sensu, tandem communi consilio decreverunt supplicem libellum, qui has controversias contineret, conficere, illúmque Imperatori, utpote & Legislatori & summo legum Rituúmque Sinicorum Interpreti offerre, ut quis esset verus ac legitimus eorum sensus veráque ratio, declarare dignaretur. Itaque die 30. Novembris 1700. libellum supplicem in hunc modum publicè obtulerunt:

Libellus supplex, quem Præses tribunalis Matheseos Philippus Grimaldi, Thomas Pereira, Antonius Thomas, Franciscus Gerbillon & cæteri Europæi venerabundi offerunt Imperatori, aliquid ab eo edoceri suppliciter postulantes.

Nos exteri vestræ Majestatis subditi accepimus viros Europæos qui litteras profitentur, audivisse dari in hac China ritus colendi Confucium, litandi Cælo, ac faciendi ceremoniam *Su* sive *cy* Majoribus defunctis; horum, inquiunt, procul dubio datur ratio ac causa; hanc singillatim addiscere exoptamus &c.

Nos Vestræ Majestatis subditi juxta id, quod angustissima nostra mens capere potest, arbitramur Confucio cultum exhiberi, non ad petenda ab eo bona, ingenium, dignitates, sed dumtaxat ob præclara, quæ ùt hominum Magister reliquit, vitæ documenta. Deinde ceremoniam *cy* quæ defunctis Majoribus fit, proficisci ex intentione testandi suum erga Parentes amorem; nec juxta Sinarum, qui Virorum litteris excultorum doctrinam profitentur, ritus, illam explicari aut intelligi de postulatione alicujus auxilii, sed solùm eam fieri ad explendam filialis observantiæ, quâ posteri Parentes defunctos recolunt, mentem; & quamvis erigant defunctorum Parentum tabellam, nontamen per hoc eos indicare defunctorum Parentum animas in ista lignea tabella residere; sed tantùm exterius aliquod, quo posteri suis progenitoribus gratias agant, diuturnáque memoriâ illos recolant perinde ac si præsentes adessent, signum exhibere. Præterea quod attinet ad litaminis, quod Cælo fit in suburbano terræ aggere, ritus, arbitramur illud non fieri cælo cæruleo ac materiali; sed offerri primo cæli, terræ, ac omnium rerum Principio, Domino ac Rectori; illudque esse, quod Confucius sic ait: litandi Cælo ac Terræ ritus, est id, quo servitur cæli Domino ac Rectori seu *Xam Ti*, & hunc quidem

quidem modò cæli Dominum *Xam Ti*, modò Cælum *Tien* vocari, non secus ac vestram Majestatem, quæ non summus Dominus, sed modò sub *Gradibus* (id est sub Imperialis aulæ *gradibus* ministrorum excubias agentium consuetum verbum, quo Imperatorem vocant), modò *Imperialis Aula* vocatur; quamvis nomina sint diversa, una tamen & eadem res significatur; húncque esse verum sensum istarum duarum vocum *Kim Tien* (id est revereri Cælum vel Cælum colito) quas vestra Majestas hisce annis præteritis dignata est propria manu exarare, nobísque largiri in pública tabula apponendas, existimamus. Nos igitur exteri vestræ Majestatis subditi, juxta imbecillem nostrum captum, hoc prædicto modo illis respondemus; sed cùm ista pendeant ab his Chinæ moribus, non audemus particulari nostro judicio niti ac fidere; idcircò omni cum reverentia Vestram Majestatem rogamus, ut nos edocere non dedignetur. Itaque nos exteri Vestræ Majestatis subditi summa cum veneratione ac demissione illius mandatum expectamus.

Imperatoris *Kam hi* Anno 39. die 20. decimi mensis Lunaris, libellus in manus Imperatoris delatus, & ab ipso eadē die exceptū illius responsum his verbis: *ea quæ scripsistis, optimè scripta sunt, magnæque Viæ, (seu rectæ & communi omnium hominum Doctrinæ) penitus cohærent. Cælum colere, Principibus ac Parentibus inservire, Magistros ac Superiores revereri, ista est orbi universo communis consuetudo & sensus. Omnia, quæ in hoc scripto continentur, verissima sunt; nec est, quod mutari aut emendari debeat.*

Ex hac ergo clara Imperatoris declaratione & per totum quidem Imperium divulgata, patet utrùm possit adhuc Europæis relinqui controversiæ aut scrupuli locus, in sequendo rituum ac vocum Sinicarum sensu ab ipsomet summo eorū Interprete, & aliis primæ notæ viris Sinis declarato; huic enim Imperatoris declarationi accesserunt Primatum ac primariorum Pekini Doctorum testimonia; nempe Fratris natu majoris ipsiusmet Imperatoris, impensè studijs & libris legendis dediti; Principis *So San*, qui decem; Principis *Mim*, qui quindecim; Magnatis *Y san gha*, qui quatuodecim annis fuerunt primi totius Imperij Ministri seu Colai, Sinica eruditione præstantes; Doctoris & Colai *Cham Ym*, qui Imperatoris & filiorum ejus per multos annos extitit Magister; Doctoris *Han* Præsidis Collegij Doctorum Regiorum sive *Han lin yuen*; ceteros omitto. Hi omnes non tantùm ea, quæ in præfato libello suplice approbaverat Imperator, approbaverunt; sed etiam fusiori sermone & distinctiori-

ctioribus verbis tum significationem vocis *Tien* & *Xam Ti* usurpari pro Deo, tum Defunctorum cultum Sinensem nihil nisi politicam observantiam continere testati sunt. Illorum testimonia, quæ Pekini in Archivo Collegij Societatis JESU cum præfata Imperatoris declaratione asservantur, hîc singillatim recensere supervacaneum duco; quia cùm jam sæpius typis excusa fuerint, facile est cuilibet ea videre.

Sed veniamus ad alia adhuc clariora Imperatoris testimonia circa vocis *Tien* significationem, adeóque & *Xam Ti*, quia *Tien* & *Xam Ti* solent ordinariè sumi à Sinis pro uno & eodem: quæ testimonia & Romæ habentur sigillis munita, & in Pekinensi ipsius Imperatoris Archivo asseruantur.

Anno 1706. die 22. Julij. misit duos Aulicos *Hescken*, (alio nomine *Hen Ka ma*) & *Chao cham* ad Illustrissimum D. Patriarcham Antiochenum tunc Pekini versantem, (nunc Eminentissimum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalem) jussitque per eos hæc illi dici: Vestræ Christianæ Legis homines dicunt *Kim Tien Chu* colere seu colito cæli Dominum, & Sinæ dicunt *Kim Tien* colere Cælum; diversæ quidem sunt voces; at sensus unus idemque est.

Insuper per eosdem hæc jussit dici dirigendo sermonem ad Dominum Appiani Interpretem Illustrissimi Domini Patriarchæ: Tu verò *Pi Tien Siam*, (Dominus Appiani sic in China vocabatur), tibi hoc nomen assumpsisti, quod sonat idem ac *Cæli similitudo*. Quid causæ est cur non voluisti nominari *Pi Tien Chu siam*, id est cæli Domini similitudo? (indicando quod ipsemet Dominus Appiani per vocem *Tien* in suo nomine intelligeret cæli Dominum, non cælum materiale; quandoquidem non vellet dici cæli materialis similitudo, sed cæli Domini seu Dei); sua est nimirum cuilibet regno consuetudo imponendi rebus nomina; nec dici potest propter nomina & voces diversam esse rationem & doctrinam. Deinde cùm Illustrissimus Dominus Patriarcha per suum Interpretem respondisset, Europæos in China non uti vocibus *Tien Chu* nisi bene explicatis: & nos etiam, inquiunt, non utimur voce *Tien*, nisi pariter bene explicatâ jam à multis sæculis. Noster autem modus loquendi est longè latior quàm vester; quia vos eum tantùm vocatis Dominum cæli; Nos autem Dominum cæli, terræ, animalium, plantarum, omnium denique viventium & non viventium.

Posteà die 2. Augusti ejusdem anni 1706. in colloquio quod habuit Imperator cum Illustrissimo D. Episcopo Cononensi in Tartaria, quò

Z cum

eum advocaverat, rursus idem testatus est coram suis Aulicis, multisque præsentibus Missionarijs tum sæcularibus tum Religiosis Societatis JESU sic: nonne tibi jam dixi, (alloquendo D. Episcopum Cononensem) *Tien* significare ipsum Dominum cæli, & esse longe pulchrius hoc Dei nomen, quam *Tien Chu*, aut *Tien ti uan ue chi chu*, prout vos in China Deum appellatis? nam primũ (nempe *Tien Chu*) non significat nisi Dominum cæli; secundum (nempe *Tien ti uan ue chi Chu*) Dominum cæli, terræ, & decem millium rerum. Sed vox *Tien* significat Dominum cæli, terræ, & universorum. Dic mihi, cur me compellant populi *Van sui*? (id est decem millia annorum); hoc fieri nequit secundùm vestram Religionem, quia ego non habeo decem mille annos. Hoc fit, respondit Dominus Cononensis, ad denotandum desiderium, quo optant ut Vestræ Majestati vita quàm longissimè extendatur. Cui Imperator: rectè dicis; hinc ergo disce in nostra China verba & ritus non esse intelligenda, ùt merè sonant aut secundùm speciem quam foris ostendunt.

Deinde sub finem ejusdem colloquij rursus sic: Jam pridem dixi *Tien* & *Tien Chu* (id est Cælum & cæli Dominum,) idem significare.

Imperator non contentus vivâ voce hanc vocis *Tien* significationem palàm & authenticè declarâsse; insuper eadem die 2. Augusti jussit scripto per dictos Aulicos *Hescken* & *Chao cham* juridicè intimari eidem Domino Cononensi. In hoc scripto sic ait alloquendo Dominum Cononensem: Ego Imperator ut viam tibi aperirem, dixi tibi *Kim Tien* colere Cælum, id ipsum esse quod in vestra Lege dicitis *Kim Tien Chu* colere cæli Dominum.

Præterea hoc scriptum jussit etiam juridicè intimari ac tradi Illustrissimo Domino Patriarchæ Antiocheno; eique die 11. Augusti prafatus Aulicus *Hescken* tradidit.

Quid, quæso, potest aut magis clarè declarari, aut magis authenticè affirmari, aut magis juridicè intimari? Potestne adhuc superesse aliquis dubitandi locus de significatione istius vocis *Tien*? habentnè Judices fortiores, efficaciores, evidentiores ac magis authenticas probationes, dum in civilibus & criminalibus causis ferunt sententiam? an fortasse aliquis malevolus aut Missionis Sinicæ obstinatus impugnator dicet hæc testimonia ab Imperatore extorta ac data ad placendum Patribus Societatis JESU? Enimverò Imperator volet coram tota sua Curia dare responsa absona, absurda, falsa, scriptóque ea intimare, imò & in suo interiori

Ar-

Archivo asservare, ut non solùm nunc existentibus suis Sinis, sed & futuris appareat ignorans, adulator, ridiculus. Egregia sanè objectio. De alijs ejusdem Imperatoris responsis ac testimonijs idem fer judicium.

Nihil igitur videtur posse his addi ad clariùs probandum ac demonstrandum id quod assumpsimus, nempe istarum vocum *Tien* & *Xam Ti* significationem apud Sinas pro Deo sumi.

Deinde cum Testimonium Imperatoris, & aliorum de libello supplice suprà relato datum complectatur etiam ritus ac ceremonias, quas ad colendos Progenitores defunctos ac Magistrum suum Confucium adhibent Sinæ, apertéque declaret illas adhiberi ac fieri eo modo, ex quo manifestè infertur nihil nisi meram observantiam civilem continere, nihilque superstitiosum in eis latere; certè viderer sequentem, quem proposui Tractatum de ceremonijs Sinarum erga Defunctos, posse omittere, & hîc calamum sistere; quia tamen pronum est homini cupere scire, quid ipsimet libri Sinici de ijs dicant, quid præscribant, quænam loca ambigua aut obscura contineant, qualnam difficultates pariant, ideò illum hîc subnecto.





TRACTTATUS II.
De Ceremoniis Sinarum erga Defunctos.

PROOEMIUM.

IMmenſus foret hic tractatus, ſi vellem omnia referre ac diſcutere, quæ libri Sinici præſcribunt aut Sinæ faciunt ad colendos ſuos Parentes defunctos, ac Benefactores; ſi quis velit videre ex multis pauca, videat hiſtoricam Notitiam Rituum ac Ceremoniarum Sinicarum in colendis Parentibus, ac Benefactoribus defunctis; unde nè cogar hîc varia repetere, quæ illic dixi, ac tædio eſſe, ad illam remitto Lectorem. Hîc ergo tantùm ſeligam præcipua quæ majorem controverſiam pariunt eáque reduco ad tria Capita; 1. aget de lignea Tabella quam Sinæ Defunctis erigunt. 2. de parentali Ædificio quod Sinæ Defunctis exſtruunt. 3. de parentali Ceremonia *cy* quam Sinæ Defunctis faciunt. Controvertitur autem an in illis aliqua ſuperſtitio reperiatur? itaque

CAPUT I.

De lignea Tabella, quam Sinæ Defunctis erigunt.

QUÆSTIO I.

An lignea Tabella, quam Sinæ Defunctis erigunt, sit superstitiosa ex fine suo intrinseco aut extrinseco, seu ex fine operationis aut operantis?

Paragraphus I.

Quædam generalia principia præsupponuntur.

PRæsuppono 1. cùm superstitio juxta S. Th. 2. 2. q. 92. art. 1. sit vitium Religioni oppositum secundùm excessum, priùs statuendum esse quid sit Religio, & cultus religiosus, ut indè deducatur quid sit superstitio, & cultus superstitiosus, ejus nempe oppositum. Religio communiter definitur virtus infusa quâ DEO ùt primo rerum omnium Principio debitus cultus exhibetur. Hinc ejus objectum materiale est debitus DEI cultus, nempe actiones DEO propter summam ejus excellentiam convenientes; formale objectum proximum est honestas in illis relucens; formale remotum, summa DEI excellentia; objectum *cui* ipse DEUS. Religiosus ergo cultus est actus à voluntate imperatus, v. g. adoratio, oratio &c. DEO conveniens propter summam ejus excellentiam. Hinc collige cultum creaturæ v. g. alicui Sancto exhibitum, non esse propriè actum Religionis, sed alterius speciei, nempe Duliæ; non enim immediatè, & formaliter attingit summam DEI excellentiam, sed excellentiam creatam, seu sanctitatem per gratiam, quæ formaliter & immediatè reddit dignam honore & cultu personam, cui inest; hæc tamen creata Sancti excellentia, cùm nihil sit aliud, quàm quædam participatio divinæ naturæ ex se ad DEUM tendens, ideò cultus, qui Sancto datur propter hanc sanctitatem, seu excellentiam supernaturalem, totus mediatè in DEUM refertur ac refunditur; éstque perfectior, ac specie distinctus à cultu & honore Civili, qui alicui datur propter dignitatem, vel potestatem humanam. Suar. lib. 1. de Virtute Relig. cap. 8. & lib. 3. c. 5. & in 3. p. D. Th. tom. 1. q. 25. Disp. 52. sect. 2. & 3. Cultus ergò qui

nec

nec immediatè propter excellentiam increatam, nec mediatè propter excellentiam creatam supernaturalem ad DEUM refertur, sed tantùm propter excellentiam, seu dignitatem creaturæ naturalem datur, est tantùm Civilis.

Præsuppono 2. ex hac Religionis definitione, Superstitionem, utpote ejus oppositum, definiri vitium, quo DEO, ùt primo rerum omnium Principio indebitus cultus exhibetur. Hinc ejus objectum materiale est indebitus DEI cultus, nempe actiones DEO propter summam ejus excellentiam disconvenientes vel ratione modi indebiti, cùm DEUS colitur modo indebito; vel ratione rei cultæ, cùm Creatura colitur cultu, qui est DEO debitus. Formale objectum, est disconvenientia cum summa DEI excellentia in istis actionibus relucens. Superstitiosus ergò cultus, est actus á voluntate imperatus DEO disconveniens propter summam ejus excellentiam.

Hinç collige cultum Creaturæ exhibitum, ut sit superstitiosus, debere esse talem, qualis DEO disconveniat propter summam ejus excellentiam v.g. petendo à Creatura auxilium, instructionem, directionem, quæ à solo DEO haberi potest; aut eam colendo, tanquam DEUM; similes enim cultûs actus soli DEO conveniunt propter summam ejus excellentiam vehementissiméque illi disconveniunt seu adversantur, dum Creaturæ exhibentur; alioqui si ille cultus Creaturæ datus nullum ad DEUM habeat respectum, propter quem disconveniat summæ ejus excellentiæ, non erit superstitiosus.

Præsuppono 3. Bonitatem aut malitiam moralem actûs humani, seu actûs liberè exerciti specificari ab objecto. Vel enim objectũ materiale est in se honestum aut turpe, seu conveniens aut disconveniens naturæ rationali quà tali; & tunc objectum formale est illius honestas aut turpitudo intellectui repræsentata, & ab objecto ità repræsentato specificatur illius actûs bonitas, aut malitia moralis; vel objectum materiale est indifferens ad honestatem & turpitudinem, seu ad bonitatem & malitiam; v. g. datio pecuniæ indifferens ad bonitatem eleemosynæ, & ad malitiam usuræ; Imaginis expositio indifferens ad bonitatem simplicis repræsentationis & ad malitiam Idoli; & tunc objectum formale est motivum essentiale, aut finis principalis, qui hoc objectum materiale determinat ad hanc, vel illam bonitatem aut malitiam in specie; atque etiam ab objecto ità repræsentato specificatur istius actûs humani bonitas, aut malitia moralis.

Deinde nota, dum in hoc Tractatu discutio prædictas Controversias

Sinicas, me loqui de re licita in rigore Scholastico, non autem de communi praxi; multa enim ex iis, quæ hîc refero, & retuli in historica Notitia Rituum ac Ceremoniarum Sinicarum, Sinenses Christiani in praxim non deducunt nec etiam ipsi Ethnici; imò nonnulla exoleverunt. Tantùm ergò discutio Ritus in Sinarum libris, qui passim ab iis teruntur, præscriptos; inquiróque utrùm ij ex se sint liciti an illiciti? honesti an turpes? civiles an superstitiosi? adeòque an data occasione vel necessitate possint Christianis permitti necne! occasio enim, vel necessitas permittendi aliquid extraordinarium Christianis Neophytis inter Infideles sæpissimè recurrit. Itaque

Paragraphus II.

Resolutio Quæstionis.

CUm hæc Tabella lignea sit objectum indifferens ad bonitatem, & malitiam, debet ad hanc vel illam determinari ab objecto formali, seu à motivo & fine principali, vel alia simili circumstantia, quæ ingrediatur rationem objecti formalis. Finis principalis assignatur. duplex; alius intrinsecus seu operationis, estque ille quem ex se spectat Tabella; sicuti finis operationis, quem domus ex se spectat, est habitatio. Alius extrinsecus seu operantis, estque ille quem spectat is, qui istâ Tabellâ utitur; sicuti finis extrinsecus domûs est ille, quem spectat is, qui istam domum incolit. His positis

Dico 1. Non videtur illa Tabella lignea Sinicè *Mo chu*, esse superstitiosa ex fine suo intrinseco. Probatur: finis illius Tabellæ intrinsecus seu actionis, ut vocant, est ille, quem Tabella spectat ex sua primæva institutione; atqui hic non videtur esse superstitiosus; ex sua enim primæva institutione spectat, ut sit repræsentatio rei veræ, seu imago aut similitudo rei veræ, nempe hominis defuncti.

Sed similitudo rei veræ non est superstitiosa, seu idololatrica, quia Idolum ab Imagine in hoc distinguitur, quod Idolum sit similitudo rei falsæ, & Imago sit similitudo rei veræ; Bellarm. Lib. 2. de Imagini. Cap. 5. ergo non est superstitiosa ex sua primæva institutione. Probatur verò, quòd sit similitudo, seu repræsentatio rei veræ: Olim assumebatur aliquis puellus, vel nepos, vel alius consanguineus Defuncti (A) qui ùt actor personatus hujus Defuncti Spiritum, seu ipsum Defunctum refer-

referret: & Filius parentans eum colebat ceu Patrem defunctum (B); sed sicut tunc ille puellus actor, erat Defuncti imago, ità etiam Tabella lignea; nam hæc, & ille idem significabant, seu eumdem repræsentabant (C) diverso modo; Puellus vivo, Tabella mortuo modo. Puellus tantùm transeunter tempore Ceremoniæ *cy*, Tabella permanenter in parentali ædificio posita; faciendo enim Ceremoniam cy & Puellus & Tabella lignea simul adhibebantur (D). Sed sicut tunc Puellus actor non erat aliquid superstitiosum; utpote viva imago rei veræ; ita nec Tabella lignea. Jam verò cùm non adhibeatur amplius ille Puellus actor (E), sed sola Tabella; non est ergo etiam superstitiosa; non enim mutavit suam primævam institutionem, ùt patet ex recentibus antiquorum librorum Interpretibus; tantùmque id habet amplius, quòd nunc etiam pro illo Puello actore simul ponatur; ille autem Puellus actor ponebatur, ùt signum aliquod visibile, in quo figi ac hærere posset Parentantis animus; ità & lignea Tabella (F). Adeòque nihil ex sua institutione superstitiosum habet.

Hinc insuper infertur, quòd nec illa Tabella paulò altior, quæ statim à morte erigitur apud sandapilam, sit superstitiosa. Quia sequitur eamdem legem, ac hæc prædicta Tabella paulò brevior ac humilior, quæ tantùm post sepultum cadaver erigitur, & domi aut in parentali ædificio collocatur (G). Nec ista serica animæ Fascia, ùt vocant, quæ apud sandapilam Defuncti apponitur ab aliquibus Gentilibus, erit superstitiosa, quia significat idem ac hæc Tabella altior jam explicata (H). Imò ex sua exteriori figura repræsentat hominem (I), atque ità est solummodò quædam Defuncti imago, seu repræsentatio; sed sola defuncti imago, seu repræsentatio ibi sistendo, non est superstitiosa, ergo &c.

Dico 2. nec videtur illa Tabella lignea esse superstitiosa ex suo fine extrinseco, seu fine operantis. Probatur: finis quem spectat utens illa Tabellâ, seu erigens illam Tabellam, est præcipuè triplex: 1. ut super illa Tabella scribat parentis aut alterius Defuncti nomen, cognomen, magistratum, honorarium cognomentum, & sic ipse ac Nepotes diuturno tempore, illius Defuncti possint recordari (K). 2. ut habeat aliquod objectum, seu signum visibile, in quo figat animum, dum vult Parentum defunctorum recordari, illisque filialem obseruantiam, ac cultum parentalem præstare (L). 3. ut illi visibili signo reverentiam tum internam, tum externam exhibeat eo modo, quo communi Imagini exhiberi solet; ea

quæ dicuntur de religioso Imaginum cultu, proportionatè accommodando civili hujus parentalis Signi cultui; nimirùm quamvis tota ratio & motivum reverendi sit dignitas prototypi, v. g. Patris; reverentia tamen tum in ipsum Signum parentale, tum in ipsum prototypum tanquam suum terminum fertur, sed diverso cultûs genere; inferiori, & respectivo, prout tendit in Signum parentale seu Tabellam ligneam; superiori & absoluto, prout tendit in personam Patris. Jam verò, cùm iste Signi parentalis, seu ligneæ Tabellæ cultus nec sit actus religiosus; non enim inmediatè in DEUM tendit propter summam ejus excellentiam; nec sit actus Duliæ, quia mediatè in DEUM non refunditur propter communicatam aliquam excellentiam supernaturalem; nec sit actus superstitionis, quia in sola, & tali defuncti hominis reverentia sistitur qualis DEO non adversatur, aut disconvenit propter summam ejus excellentiam, ùt infrà patebit; restat igitur ut sit tantùm actus civilis observantiæ. Itaque ex hoc triplici operantis fine Tabella lignea nullam contrahit superstitionem. Quod attinet ad originem hujus Tabellæ, eam esse antiquissimam patet ex libro Rituum, ubi ipsemet Confucius, qui viuebat ante Christum 500. & ampliùs annis, asserit priscos Imperatores jam illâ usos fuisse (M); atque ita verisimile est eam esse coævam parentalibus Domibus, de quibus infrà.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 7. *Cem tsu nen* sic Confucius: post sepulturam peractam, oportet adhiberi Spiritum personatum; hunc Spiritum personatum debet agere nepos; si valde fuerit parvulus, jubeatur inter brachia gestari. Si nullus fuerit nepos, tunc potest assumi aliquis alius consanguineus; si quis autem in infantili, aut puerili ætate obierit; dum ei fit Ceremonia *cy*, non adhibetur Spiritus personatus, quia hominis adulti perfectam formam assecutus non fuit. Tum ibi Interpres *chin hao*: pro homine adulto, qui perfectum exterioris formæ decus viuens assecutus est, oportet adhiberi Spiritum personatum, ut hanc perfectam Defuncti formam repræsentet; pro Parvulo autem defuncto non adhibetur Spiritus personatus ad faciendam ei ceremoniam *cy*, quia cùm ob suam infantilem aut puerilem ætatem, perfectum exterioris formæ viri decus non assecutus fuerit, non habet quo repræsentetur; idcircò non adhibetur Spiritus personatus.

A. 2.

A. 2. Lib. Rit. tom. 1. Cap. *Kio Li xam.* Parentans, inquit antiquus ritus, non filium, sed nepotem inter brachia assumit; nempe ut sit Spiritus personatus.

B. 3. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 25. *Cy tum*: Parentalis ceremoniæ *cy* ratio exigit, ut defuncti Imperatoris pronepos, personatum ejus Spiritum agat. Ibidem Interpres *Chin hao* paulò antè sic: ille, qui personatum defuncti Imperatoris Spiritum agit, ex se est Imperatoris successoris subditus. Sed quia dum istam personam agit, repræsentat defunctum Imperatorem, ideò tanquam Imperatoris successoris pater colitur. Dum parentale palatium nondum ingressus est, tunc Imperator successor eum adhuc spectat ceu subditum (utpote nepotem); ubi verò ingressus est parentale palatium, tunc totam defuncti Imperatoris Majestatem prorsus repræsentat. Unde Imperator successor faciendo cermoniam *cy* eum, ùt defunctum Imperatorem ac Patrem veneratur, omnésque Subditi ac Filii partes adimplet.

B. 4. Lib. Rit. tom. 1. Cap. 1. *Kio li Xam*, sic interpres *Chin hao*: olim in parentalibus ceremoniis *cy* omninò adhibebant personam, Spiritûs seu Defuncti vices gerentem; ista autem persona erat Spiritûs seu Defuncti imago, ac repræsentatio. Idcircò ceremoniæ *cy* præses, illi inserviebat, sicut Filius Patri.

B. 5. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem*: olim personatus Spiritus (nempe sub Imperio *Hia*) ubi nihil agebat, stabat; ubi aliquid agebat (v. g. bibebat, edebat &c.), tunc sedebat; iste Spiritus personatus seu Puer erat Defuncti imago ac repræsentatio. Præfectus *Cho* dictus, erat mandati delator, seu internuntius. Tum interpres *chin hao*: quum primùm Spiritus personatus ad stoream humi stratam accesserat vini scyphum præ manibus tenens; statim præfectus *cho* admonebat Parentantem, ut reverentiam illi exhiberet ad tranquillandum sedentis animum. Paulò pòst sic: quia ille Spiritus personatus repræsentabat eum, cui fiebat ceremonia *cy*, ideò dicebatur Spiritûs seu Defuncti imago; quia autem iste præfectus *Cho* primò deferebat Parentantis verba ad Spiritum, & posteà Spiritûs (nempè personati) apprecatoria verba ad Parentantem, ideò dicebatur mandati delator, sive internuncius.

C. 6. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 11. *Xiao te sem* sic: ista vox *Xi* seu Spiritus personatus, significat *exponere* aut *instruere*. tum Interpres *Chin hao*: cum

cùm *Xi* seu Spiritus personatus sit Spiritûs vel Defuncti imago, debet significare idem quod significat Tabella lignea; dum igitur liber Rituum hîc vocem illam *Xi* explicat per vocem ***exponere*** aut ***instruere***, est error.

D. 7. Lib. Rit. tom. 9. Cap. 30. *Fam Ki*: in ceremonia *cy*, inquit Confucius, personatus Spiritus; in parentali domo, Tabella lignea habetur ad ostendendum populis, quòd habeant cui cultum & obsequium præstent. Unde cultus & obsequium quod præstatur in componenda parentali Majorum defunctorum domo & in seruanda ceremoniæ *cy* reverentia, fit, ut populi edoceantur filialem diuturnæ memoriæ erga Parentes defunctos observantiam. Sed quamvis hoc fræno ac lege coerceantur, etiam sic tamen defunctos Parentes adhuc oblivioni tradunt.

Dein interpres *Chin hao*: loco Parentum, inquit Doctor *Fam*, qui mortui erant, adhibebatur personatus Actor, qui illos viventes repræsentaret; loco Spiritûs, qui desierat seu perierat, adhibebatur lignea Tabella quæ illum subsistentem adumbraret juxta id, quod libri antiqui & classi i Sapientum dicunt: ***ad ostendendum populis, quòd habeant cui cultum & obsequium præstent.***

E 8. Lib. Rit. tom. Cap. 7. *Cem tsu uen* sic interpres *Chin hao*: In Ceremonia *cy* ordinaria, postquam Parentans omnes inseruiendi personato Spiritui ritus peregerat; tunc egrediebatur, & stabat extra portam; móxque Præfectus ceremoniarum seu lector, versa ad ortum facie, annunciando totum alimentationis opus esse absolutum, foras deducebat Personatum Spiritum. Jam verò cùm non adhibeatur amplius Spiritus personatus, hic ritus exolevit.

F. 9. Lib. Rit. tom. 2. Cap. 4. *Tan Kum hia*: ad faciendam ceremoniam *yu* sive tranquilitatis ipso sepulturæ die, constituitur Spiritus personatus, fultrixque mensula cum duplici storea exponitur. Et paullò antè sic: sepulto cadauere, dum Parentans præsentat munera ad sepulturam, statim Ceremoniarum Præfectus *Cho* domum regressus reverenter excipit Puellum personatum, cui tranquilitatis ceremonia facienda est. Dein Interpres *chin hao* sic: sepulturâ peractâ excipiendo Spiritum (nempe personatum) domum redibat, scilicet Præfectus *Cho*; & meridie in domûs aula, in qua feretrum priùs jacuerat, ei fiebat ceremonia *yu* ad illum tranquillandum (nempe á Filio parentante), si Defunctus

functus fuisset vir, vir agebat personatum Spiritum; si fœmina, fœmina. Personatus autem ille Spiritus, si velimus explicare quid esset, est idem ac Tabella lignea *Chu*; cùm enim non cerneretur ampliùs parentis facies ac corpus, animus nihil habebat, in quo hæreret, & suum scopum figeret; idcircò constituebatur Spiritus personatus, & jubebatur Defuncti vestes induere, ut Filii obsequentis animus haberet aliquid, in quo hæreret, & suum scopum figeret.

G. 10. Lib. Rit. tom. 2. Cap. 4. *Tan kum hia*: hæc Tabella altior servat eamdem legem, ac illa Tabella brevior quæ post sepulturam erigitur. Tum interpres *Chin hao*: pro viro litterato, inquit interpretatio Rituum, fit Tabella alta tribus cubitis: hæc statim à morte erigitur ad fulciendum seu repræsentandum Spiritum, vel Defunctum; quamvis autem non sit illa Tabella, quæ mox à sepultura erigitur, eamdem tamen ac illa legem servat, eamdèmque rationem continet.

H. 11. Lib. Rit. domestic. tom. 4. de exponenda animæ Fascia sic: nunc ista animæ Fascia ex longo serici albi volumine conficitur instar cinguli in nodum collecti, quod vulgò vocant ejusdem cordis nexum. A parte superiori promicat caput; à duobus lateribus erumpunt aures; à parte inferiori reliqua dependent ad constituendos duos pedes; cùm ergo habeat aliquam cum hominis figura similitudinem, videtur posse adhiberi, ut per illam fulciatur seu repræsentetur Defunctus vel Spiritus.

Deinde paulò infra: ubi primùm quis mortuus est, statim fit Tabella paulò altior ad fulciendum seu repræsentandum Spiritum, vel Defunctum; quamvis non sit illa alia Tabella brevior, quæ post sepulturam constituitur, eamdem tamen ac illa legem seruat, eamdémque rationem continet.

Doctor *Uon kum* in suo libro de Ritibus existimat istam sericam animæ Fasciam adhiberi loco hujus altioris Tabellæ jam dictæ; Doctor autem *Chu hi* asserit eam accommodari temporum circumstantiis, nec nimis antiquitati inhærendum.

I. 12. vide hîc supra num. 11. litterâ H.

K. 13. Lib. Rit. domestic. tom 5. sic: Cadavere in sepulchrum illato, mox famuli mensam collocent ante Spiritûs, seu mortualem thronum, Sinicè *Lim Tso*. Lector seu Ceremoniarum Præfectus & scriba lavent manus; ille ex arcula educat ligneam Tabellam, illámque super mensam reclinet;

26

net; hic in excauata interiori bifidæ Tabellæ facie scribat hæc verba: Imperante familia N. defuncti Præfecti N. cognomine N. vulgari nomine N. honorario nomine N. primogeniti (vel 2. 3. geniti) Filii Spiritûs vel defuncti Signum. Deinde super exteriorem bifidæ Tabellæ faciem hæc scribat: Præclari Patris Præfecti N. à morte cognominati N. domûs seu familiæ domini Spiritûs, seu defuncti Signum. Posteà in sinistro latere ad calcem hæc subscribat: obsequiosus Filius N. ad parentandum offerebat vel apponebat. Vide etiam hîc infrà num. 14. litterâ L.

Nota: apud plebeios passim hæc Tabella non est bifida, sed simplex, cum sola æra, cognomine, & nomine &c.

L. 14. Lib. *Pe hu tum*, seu communis Præfectorum litteratorum sensus apud libr. *Ven bien tum kao* sic: ratio cur habeatur Signum parentale, seu Tabella, est quia Spiritus nullâ re nititur (nempè sensibili, seu est expers rei, quæ possit sensu percipi); hinc Filius obsequiosus animum suum isti Signo affigit. Tabella ex ligno constituitur; quia cùm lignum habeat initium & finem vitæ, aliquam habet cum homine similitudinem. In illa scribitur Defuncti cognomen, nomen, cognomentum &c. quia volumus, ut postmodum ille dignosci possit.

L. 15. Lib. Rit. tom: 4. Cap. 3. *Cem tsu uen* sic: Cùm ergò, inquit discipulus *Cem tsu*, prisci Imperatores in bellum proficiscentes non transferrent secum ligneam Tabellam, in quo, quæso, animum suum figebant? in jussu, reponit Confucius. Quid, precor, hoc significat, subjicit *Cem tsu?* Imperator, inquit Confucius, aut Regulus in bellum profecturus, assumpto serici volumine & pellitâ honoris tesserâ, in parentali palatio de sua profectione defunctos Avos admonebat; dein collocatis hoc volumine & tesserâ in aureo curuli, iter aggrediebatur. In singulis refectionibus, epulas ante illa apponebat. Domum reversus, statim Avos defunctos de suo reditu admonebat, & epulas apponebat. Denique collectum sericum volumen ac tesseram, binarum inter scalarum gradus defodiebat, & tunc abibat. Adeò magni faciebat Avorum jussum.

M. 16. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 7. *Cem tsu uen* sic: Olim, subjungit discipulus *Cem tsu*, Reges in bellum proficiscentes, secumnè transferebant parentalis domûs Tabellam ligneam? cui Confucius: Imperator visitans Regulorum Regna, in aureo curuli secum transferebat

bat antiquioris Avi Tabellam; quia nimirum ea in re avitam normam venerabatur.

QUÆSTIO II.
An lignea Defunctorum Tabella sit superstitiosa ex fine *cui?*

Paragraphus I.
Resolutio quæstionis.

HIc voco finem *cui* Defuncti Spiritum, cui erigitur illa Tabella. Quæritur an Sinæ illam Tabellam erigant, ut Defuncti Spiritus seu anima in illa resideat?

R. & dico: non videntur Sinæ litterati, de quibus est quæstio, erigere illam Tabellam ligneam, ut Defuncti Spiritus seu anima in illa resideat, adeóque illa est tantùm signum defunctorum Parentum memorativum, non Spiritûs receptivum. Probatur: vel defuncti Spiritus in illa *semper* resideret, vel tantùm *aliquando*. *Primum* non potest dici; quia dum quis moritur, vitalis animæ aura in Cælum redire, corporis figura, seu materialis compositio in terram reverti dicitur (A). Imperator *Yao* & *Xun* morientes dicuntur in Cælum subiisse; imò quotiescumque Imperator moritur, dicitur aut in Cælum aut longè ascendere (B); ergò tunc non residet in Tabella altiore, quæ statim à morte erigitur ad fulciendum Spiritum, id est ad repræsentandum; adeóque nec in alia breviore quæ post sepulturam erigitur; quia utraque sequitur eamdem legem, sicut jam dictum est. Deinde dicitur defuncti Principis *Ven uam* Spiritus esse in Cælo, & semper adstare cæli Domino (C); uti & de pluribus aliis dicitur (D); cùm ergò Spiritus sit in Cælo, non residet in Tabella; naturaliter enim repugnat esse in duobus locis.

Nec dicas per vocem *Cælum* intelligi totum aëris spatium, in quo spatio etiam existit Tabella, adeóque & Spiritus; hoc enim dici non potest; quia dum Imperator moritur, dicitur ejus Spiritus ascendisse & abiisse valdé longe, unde non reditur (E). Ergò si longè, nec illinc redeatur, non est in Tabella. Hinc sequitur, quòd nec etiam *secundum* dici possit; quia si Spiritus aliquando in Tabella resideret, maximè resideret, dum

illi fit Ceremonia *cy*; sed dum illi fit Ceremonia *cy*, non residet in Tabella, Probatur: Parentans faciendo istam Ceremoniam, quærit, ubi existat Spiritus, nec scit ubi existat; & coram Tabella in diversis locis ei facit dictam Ceremoniam; quia nescit, ubinam sit (F). & finis hujus Ceremoniæ sic faciendæ intentus ab Institutore, est, quia nescitur Spiritûs locus (G). Ergo dum fit Ceremonia *cy*, Spiritus non residet in Tabella; quia si resideret, sciretur ejus locus nec tantis ceremoniis quæreretur. Deinde postquam antiqui illi Sinæ Ceremoniam *cy* fecerant defuncti Principis *Uen uam* Spiritui existenti in Cælo, statim currebant ad ligneam ejus Tabellam exstantem in parentali ædificio (H). Ergo si Spiritus erat in Cælo, non erat in lignea Tabellâ, diverso nempè loco; nisi dicas eum statim cucurrisse ab uno loco ad alium; quod certè absurdum est. Sed de hoc rursus infrà.

His adde testimonium Imperatoris *Kam hi* & aliorum Primatum ac Doctorum Sinensium in fine primi Tractatûs suprà relatum, asserentium Sinas non credere animas Defunctorum residere in Tabellis. Unde patet Tabellam istam ligneam non esse Spiritûs Defuncti locum, sed solummodò signum repræsentativum.

Nota: non mirum videri debet Sinas non scivisse quo in loco essent Animæ post mortem; cùm tanta fuerit apud ipsosmet Christianos etiam longo post Christum tempore, hac de re contentio; ùt patet ex his verbis Bullæ Benedicti *XII*, quæ incipit Benedictus DEUS: *quod cùm esset magna concertatio de hac re* (scilicet de loco & statu Animæ Justorum post mortem) *& Joannes XXII. ad decisionem controversiarum hujusmodi se pararet &c. Morte preventus perficere non potuit. Et præcipuus*, ait P. Thomas à JESU tom. 1. Lib. 6. Cap. 6. *Græcorum aliorumque Schismaticorum error, ut ex Concilio Florentino, & D. Thoma opusc. 3. Cap. 9. constat, ille fuit, ut assererent nec Beatorum Animas ante extremi judicii diem Beatitudine frui, nec Impiorum inferni igne puniri.* Sic etiam Lessius de summo bono Lib. 3. Cap. 1. *Quidam*, inquit, *ex Veteribus putârunt beatitudinem Animarum differi usque ad tempus Resurrectionis, & in terra eas detineri in abditis quibusdam receptaculis ac promptuariis, donec resumptis corporibus simul Coronam accipiant, ut in Cælum transferantur.* Postea verò præfatus Benedictus *XII.* Anno Christi 1336. hanc rem tandem definivit in citata Bulla, scilicet Animas Justorum esse in Cœlo, ac videre Deum post mortem ante corporum Resurrectionem; & deinde Concilium Florentinum ac Tridentinum condemnans Græcorum errorē, idem definivit.

Quid

Quid igitur mirum, si tunc Sinæ tam anxiè perquirerent, quonam in loco forent isti Defunctorum Parentum suorum Spiritus sive Animæ, ut adhuc aliquod externum suæ Filialis observantiæ argumentum possent dare?

Paragraphus II.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. sæpissimè dicitur illa Tabella tum altior, tum humilior erigi ad fulciendum Spiritum (I.) ergò Spiritus eâ fulcitur, & in ea residet.

Resp. 1. Neg. Antec. Quamvis enim ista vox Sinica *y*, supra quam fundatur objectio, subinde significet *fulcire*, & *inniti*; tamen significat etiam *repræsentare*, *referre speciem*, *per similitudinem aliquid indicare*, uti Dictionarium Sinicum expressè habet his verbis: *ista vox y significat fulcire aut inniti; significat etiam repræsentare, aut speciem referre; insuper significat per similitudinem aliquid indicare* (K). Cùm ergo vox *y* ista omnia significet, potest hîc sumi pro *repræsentare*, & non pro *fulcire*; imò & fortè debet juxta mentem Sinarum, & finem intentum Rituum Parentalium; adeóque Libri Sinici per istam vocem *y*, aut similem, in hac materia nihil aliud videntur realiter significare quàm aliquam repræsentationem.

Resp: 2. Dist. Ant. Ad fulciendum Spiritum realiter existentem Nego; intentionaliter existentem, id est, ad eum in mente repræsentandum Concedo. Iste ergo modus loquendi videtur posse sumi dupliciter:

1. pro Parentantis objecto sensibili, Spiritûs insensibilis repræsentativo, quasi illum Spiritum fulciret, sustentaret, aut sensibilem redderet seu repræsentaret, ità ut Parentantis animus habeat aliquem scopum sensibilem, in quem tendat, in quo hæreat, & cui suos cultus respectivè exhibeat (L). Unde ille Spiritus personatus, de quo suprà, dicebatur etiam constitui ad fulciendum Spiritum, id est ad repræsentandum modo jam dicto; ideóque induebatur Defuncti vestes, & ut magis repræsentaret Defuncti speciem, ordinariè assumebatur ejus Nepos, qui *quasi*, inquiunt, illum fulciret sive illum repræsentaret, nempe Nepos Avum sæpius habens aliquam naturalem cum illo similitudinem; adeóque non realiter existentem repræsentans (M). Nec ullo modo est credibile eos putâsse Defuncti Spiritum in illo Puello actore residere; dicunt enim, quòd ille Puer

Puer juberetur indui vestes Defuncti, non tantùm ad fulciendum seu repræsentandum Spiritum vel Defunctum; sed etiam ad figendam mentem, non secus ac si illic Spiritus seu Defunctus adfuisset; & ad tenendam illam sinceritatem ac veritatem, perinde ac si illic adfuisset (N). cùm dicant *perinde ac si adfuisset*, non ergo illic aderat, adeóque ab illo Puero realiter non fulciebatur, sed tantùm repræsentabatur. Præterea ille Puer actor adhibebatur ad repræsentandam perfectam viri adulti speciem ac formam quam Defunctus in vita habebat, ideóque faciendo Ceremoniam cy Defuncto parvulo, qui in vita non assecutus fuerat perfectam viri formam, non adhibebatur Puer actor (O). Cùm igitur faciendo Ceremoniam cy Defuncto parvulo, tunc Spiritus non fulciretur Puero actore, (nullus enim adhibebatur) clarum est ab Antiquis non assumptum fuisse illum Puerum actorem ad fulciendum realiter Spiritum, sed solùm ad referendam perfectam viventis speciem; adeóque nec nunc ligneam Tabellam istius Pueri personati, ut suprà dixi, vicariam, ad id adhiberi. Deinde ad quid tantis vicibus inter Parentandum quærere Spiritum, si putâssent innixum fuisse isti Puero actori? (P).

2. Potest sumi pro repræsentatione mensulæ fultricis, seu humilis & parvæ mensæ, cui sedendo & comedendo innitebantur Sinæ, olim humi super storeas sedentes (Q). Cum enim in Defunctorum Ceremoniis cy adhiberent Puerum actorem, illique stoream ac mensulam fultricem, cui innitebatur, cum cibo ac potu apponerent, perinde ac si foret Pater adhuc vivus (R); cúmque nunc nec Puer actor, nec mensula fultrix ampliùs adhibeatur, sed solùm Tabella lignea utriusque vicaria; ideo modus iste loquendi translatus esse videtur ad hanc Tabellam. De epulis, quæ quotidie manè & vespere ante Defuncti sandapilam apponuntur, sic dicitur: quia Spiritus figurâ & formâ sensibili carent, ideó illæ epulæ apponuntur ad eos fulciendos seu repræsentandos (S). Scilicet ad exhibendum aliquod objectum sensibile, in quo illi repræsententur, tanquam si forent adhuc in hac vita mortali mensæ accumbentes. Unde vides per istas voces *Y Xin fulcire Spiritum*, uti Europæi vertunt, Authores Sinicos nihil aliud realiter significare aut indicare, quàm aliquam sensibilem rei insensibilis imaginem, ac repræsentationem; non verò reale & physicum fulcimen.

Objicies 2. Quando larvata quædam turba veniebat ad effugandos

gandos Spiritus morbiferos, ùt habet Liber Rituum, Confucius aulicâ veste indutus in orientalibus domesticæ scalæ gradibus stans se prodebat, servando aut tranquillando Parentalis conclauis Spiritus, seu Defunctos; & juxta interpretem *Chin hao*, verebatur enim, ne Parentalis conclavis Defuncti seu Spiritus terrerentur; ideóque aulica veste indutus stabat ad eos seruandos aut tranquillandos, efficiendo ut hi sibi innitérentur ac tranquillarentur (T); ergò Defunctorum Spiritus residebant realiter in Parentali conclaui, nempe in Tabella illic posita.

Resp. 1. Doctor *Chu hi* asserit istius larvatæ turbæ circumcursationem redoluisse actionem histrionicam; Confucium autem aulicâ veste indutum tunc se videndum præbuisse, ut ostenderet ubique se veram servare reverentiam (T). Deinde quotidiana Imperatoris *Kam hi* explicatio ad eumdem textum sic etiam habet: quamvis iste Ritus esset antiquus; valdè tamen similis erat actioni histrionicæ. Confucius autem domi degens, dum occurrebat illi sui loci turbæ agenti istam expellendorum morbiferorum Spirituum Ceremoniam, ipse ad reverendum Principis jussum seu legem (nempè priscum Ritum in antiquo Rituali Imperii *Cheu* præscriptum), induebat vestem aulicam, & stabat ad orientales gradus scalæ, ut servaret domestici Heri statam urbanitatem, dum illi larvati homines in suam domum veniebant (X). Adeóque nihil ibi ad realem Spirituum in lignea Tabella existentiam.

Resp. 2. Liber Sententiarum, qui continet etiam istum Libri Rituum textum, non habet hæc ultima verba, *Seruando* aut *tranquillando Parentalis conclauis Spiritus* (Z); Liber autem Sententiarum longè pluris fit à Sinis, quàm iste Liber Rituum, quem variis falsis ritibus ac mendis immixtum ipsimet affirmant (W). Deinde quid per istam Ceremoniam antiquissimi illi homines intelligerent, quis potest scire?

Resp. 3. quoad illam interpretationem: *verebatur enim, nè Parentalis conclavis Spiritus, seu Defuncti terrerentur*, ipsemet Interpres *Chin hao* ait illam esse veterem, nempe imperfectam aut exoletam explicationem, eámque non ut suam affert. Idem dic de Interprete *Cham kiu chim*, qui ista etiam habet. Ceterum fortasse dici posset Confucium illo modo agendi voluisse defunctis Parentibus observantiam deferre, sicut vivis detulisset; si enim in vivis tunc egissent, nè fortè ab illa tumultuosa & larvata turba territi, aliquem morbum aut anxietatem contraxissent; ipse suam aulicam vestem tanquam autoritatem habens, assumpsisset ad confirmandum aut tran-

tranquillandum Parentum animum. Denique potest valde dubitari de hujus facti veritate, ùt in China audivi.

Objicies 3. Dictionarium dicit illam Tabellam erigi, ut Spiritus in ea colligatur aut resideat (Y).

Resp. 1. Negando haberi ista duo verba *in ea*.

Resp. 2. Dist Ass. Dicit illud juxta mentem Sinarum literatorum Nego. Juxta mentem Sectariorum idololatrarum, qui tres animas fingunt, unam scilicet quæ metempsychosim subit, alteram quæ sepulchrum custodit, tertiam quæ domi in Tabella aut ad Tabellam remanet, Transeat. Non esse autem eam Sinarum literatorum mentem, inde infero, quia in nullis libris classicis istam explicationem reperire est.

Dixi *Transeat*: quia iste locus non significat, ut Spiritus colligatur, aut resideat in Tabella; sed ut colligatur aut resideat in mente Parentantis; uti habetur clarè in libro infra citato (AA).

Objicies 4. Ceremoniæ *cy* die, inquit Liber Rituum, quum primùm Filius parentans ingressus est parentale conclave, statim Parens tanquam effigie expressus se prodit in Spiritûs Signo, seu in Tabella lignea (BB); ergò faciendo Ceremoniam *cy*, ibi existit Spiritus.

Resp. Dist. Ant. Se prodit per imaginationem Parentantis Concedo. se prodit per realem sui existentiam Nego. Idcircò Interpres ibidem sic ait: *se prodit in Spiritûs Signo*, id est, tanquam videret Filius suum Parentem in Spiritûs Signo existentem (CC). Id ergo tantùm fit per imaginationem Filii sibi Patrem velut præsentem repræsentantis, ùt patet ex textu antecedenti, & consequenti. Sed de hoc rursus infrà in Cap. 3. quæst. 4.

Objicies 5. Illa Tabella inscribitur *Xin goei*; atqui illa vox *goei* significat *sedem* aut *Thronum*, nempe Spiritûs seu Animæ Defuncti *Xin*; ergo aliquando in ea residet Anima.

Resp. Neg. Minorem. Ista enim vox *goey* non significat sedem, sed signum seu objectum erectum. sic clare Dictionarium Sinicum: ista vox *goey*, inquit, significat directionem, dispositionem, regimen; & quidquid erigi, aut stare debet, dicitur *goey* (DD). Similiter una storea supra alteram disposita olim vocabatur *goey*, seu objectum dispositum vel locus designatus (EE). Unde loca quæ unicuique in aliquo congressu designantur, vocantur *goey*, nempe loca designata (FF).

(FF). Et passim in istis Parentalibus ritibus, dum dicitur accipiat suum locum, redeat ad suum locum, ponatur in suo loco, &c. Istud nomen *locus* exprimitur semper per vocem *goei*. Denique vox *goey* significat etiam Personam. Non ergo significat sedem; sedes enim Sinice dicitur *y*, seu *y tsu*.

Hinc 1. collige: dum dicitur Spiritûs signum seu objectum repræsentativum, non intelligitur Spiritûs ibi existentis, sed Spiritûs ibi repræsentati Signum. Interpres *Fam* agens de Spiritûs Signo seu objecto repræsentativo, Sinicè *goey*, ut jam dixi, quod à Regulo erigitur, sic ait: Spiritus caret loco; cùm autem careat loco, etiam caret Signo. Quod igitur dicitur Spiritûs Signum, est tantùm illud quod homines ei attribuunt; idcircò dicitur illud constitui, seu erigi; ubi erectum est, tunc id habetur (GG). Unde patet illud Spiritûs Signum sumi intentionaliter pro Spiritu ibi repræsentato, non pro Spiritu ibi existente.

2. Collige: sive ergo in Tabella lignea post Defuncti nomen & cognomen, scribatur *Xin guei*, id est, Spiritûs vel Defuncti Signum; sive scribatur tantùm *guei*, id est, Signum seu objectum erectum, utrumque ad idem redit; nec illa vox *Xin*, quæ significat Spiritum aut Defunctum (HH), aliave similis adjuncta voci *guei* immutat Tabellæ essentiam, vel aliam illi indit significationem, ita ut propter illam vocem supradictam reddatur Tabella vitiosa, ac superstitiosa; satius est tamen Christianis (ut, quantum possunt, nullã omninò sectariis Idololatris dent occasionem cogitandi animam illic residere) illam vocem *Xin* aut similem omittere, sed tantùm scribere vocem *guey*, vel potiùs vocem *chu*. Illa enim vox *guey*, agendo de Defunctis, vix reperitur in libris antiquis & classicis; sed fere semper reperitur vox *chu*, quæ, ut dixi, significat sensibilem animi scopum, seu signum visibile, in quo animus figitur (II).

Objicies 6. Ista lignea Tabella quandoque vocatur *Xin tso*; atqui vox *Xin* significat Spiritum, ut dictum est; & vox *tso* significat thronum; ergo illa Tabella significat Spiritûs thronum, adeóque indicat Spiritum illic residere.

Respondeo Neg. Majorem. Nunquam enim illa Tabella vocatur *Xin tso*; sed locus, in quo Tabella collocatur aut apponitur, vocatur *tso* seu thronus; & hoc claré habetur in libro *Ta mim hoei tien* his verbis: Imperator accipiens ligneam Spiritûs seu Defuncti Tabellam *chu*, eam deponit in throno *tso*; & idem liber alibi describens dispositionem quatuor Parentalium thronorum pro quatuor generatio-

nibus Imperatorum, sic ait: in quolibet throno, Sinicè *tso*, exponitur tantùm vestitus, & corona (nempe Imperialis); non verò apponitur lignea Tabella (KK).

Id etiam clarè dicit liber *Kia li* tom. 6. his verbis in Ceremonia 67: Ceremoniarum Præfectus extrahat è throno, Sinicè *tso*, ligneam Spiritûs seu Defuncti Tabellam. Ex paulò pòst ibidem in Ceremonia *Fu*, sic: eatur in Parentalem vel Ceremonialem aulam, Sinicè *Tsu tam*; extrahatur Spiritûs seu Defuncti Tabella, ac deponatur in throno *Tso*. Unde enormis est hallucinatio accipere illam Defunctorum Tabellam pro ejus loco, sive pro loco, in quo ipsa ponitur.

Nota 1. Etsi Sinæ existimarent animam in lignea Tabella residere; non ideò tamen præcisè, abstrahendo ab illius cultu, de quo posteà, dicendi essent superstitiosi, sed errantes in Fide; error in Fide sive infidelitas opponitur virtuti Theologicæ, non morali; id est opponitur Fidei, non Religioni; sicut Calvinista existimans Christi Corpus non residere realiter in sacra Hostia, non dicitur superstitiosus, sed hæreticus; ita Sina existimans Defuncti Animam residere realiter in lignea Tabella, non est dicendus superstitiosus, sed Ethnicus; atque ita ex illo tantùm capite nulla oritur superstitio, nec ista Tabella sub isto respectu infidelitatis potest dici superstitiosa; sed tantùm sub respectu cultûs indebiti vel debiti, quo illa afficitur, contrahit superstitionis, vel non superstitionis notam. De hoc autem cultu agetur in Cap. 4. inquisivimus tamen hîc, utrùm ex ista parte esset superstitiosa; quia illa sic repræsentata, facilè potest esse objectum cultûs superstitiosi.

Jam verò utrùm Ethnicus, qui errore quidem crederet animam Patris v. g. in lignea Tabella residere, sed nullum alium ei cultum exhiberet, quàm illum, quem Christianus Patris sui Ethnici animæ, credens eam in Inferis residere, exhibet propter meram Patris dignitatem & excellentiam, nullam in ea potestatem agnoscendo, nisi humanam; nihil ab ea petendo, postulando, sperando; sed merè ei inserviendo, sicut ei inserviebat in hac vita mortali; utrùm, inquam, ejusmodi Ethnicus commiteret superstitionem? speculativè loquendo, videtur nec vel sic commissurus superstitionem. Quia ut aliquis actus sit superstitiosus, debet disconvenire DEO propter summam ejus excellentiam, vel ratione modi indebiti, quo DEUS ipse colitur, vel ratione rei cultæ eo cultu, qui sit DEO debitus; sed ille Ethnicus nec colit DEUM modo indebito,

bito, cùm suum cultum nullo modo ad DEUM referat; nec colit Creaturam eo cultu, qui DEO debeatur; tantùm enim animam Patris colit, sicut Patrem colebat in hac vita; cultus autem, quo Pater colitur in hac vitâ, non est ille, qui Deo debetur, vel qui disconveniat Deo propter summam ejus excellentiam; ergo iste Ethnicus sic colens patrem defunctum, non committit superstitionem. Lignea Tabella prout substaret tali conceptui, esset quidem imago, seu repræsentatio rei quoad locum falsæ, sed non rei quoad naturam falsæ, quam tantùm humanam agnoscit ille Ethnicus, adeóque nec esset falsi Numinis imago, seu Idolum. Locus enim extrinsecus non immutat naturam rei, in quam tendit ille cultus. Sed hæc pauca indicâsse sufficiat; nam ipsi Sinæ Gentiles, qui Literatorum virorum doctrinam profitentur, ut vidimus, non admittunt Defuncti animam in lignea Tabella residere, atque ita ex omni parte non videtur illa aliquid superstitionis continere.

Nota 2. me hîc locutum fuisse in hypothesi, in qua supponuntur Sinæ credere Animas post mortem adhuc subsistere; an verò credant animas post mortem adhuc subsistere, nec statim perire, id videbimùs in Cap. 3. quia si credant Animas cum corpore perire, nec amplius subsistere, tunc frustra quæritur, an in lignea Tabella resideant? an illi innitantur? quod enim non est neque subsistit, non potest in ea residere nec illi inniti. Sed de hoc vide adhuc in Cap. 4. quæst. 4.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem* sic: Animæ äer, seu vitalis Animæ aura in cœlum, & corporis figura seu materialis compositio in terram revertitur.

B. 2. Lib. Annal. Imper. tom. 1. Cap. *Xun tien* sic: Imperator *Yao* 28 annis post commissam Principi *Xun* totius Imperii administrationem, tandem obiit, sinicè *Tsu lo*, annos scilicet natus jjj. Tum Interpres *Tsay xin* sic: quia dum quis moritur, vitalis animæ aura redit in Cœlum, ideò dicitur *Tsu*; & quia corporis compositio seu substantia in terram revertitur, ideò dicitur *Lo*, id est *cadere*. In eodem Capite de Imperatore *Xun* moriente sic refertur: moriens subiit longè. Tum Interpres *Tsay xin*, quotiescumque, inquit, aliquis Imperator moritur, dicitur *subiit*, id est, in Cælum subiit.

C. 3. Lib. Carm. tom. *Ta ya*, odâ *Ven uam* sic Interpres *Chu hi*: hæc oda

 dicit,

dicit, quòd postquam Princeps *Ven uam* obiit, ejus Spiritus existat sursum, & clarissimè in Cælo resplendeat. Et paulò post: cùm Principis *Ven uam* Spiritus in Cœlo existat, idcircò sive ascendat, sive descendat, est semper à dextris & à sinistris cæli Domini, seu *Xam ti*.

D. 4. Lib. Carm. tom. *Ta ya*, odâ *Hia Vu*: tres Principes (nempe *Tay vam*, *Ky uam*, *Ven uam*), existunt in Cœlo.

D. 5. Lib. Annal. Imper. tom. 5. Cap. *Chao kao* sic: complures istius Imperii *yn* Imperatores, olim sapientiâ inclyti, in Cælo existunt.

E. 6. Lib. Rit. tom. 1. Cap. 2. *Kio li hia* sic: in denuntianda Imperatoris morte, adhibetur hæc verborum formula: Imperii Rector ascendit *Kia*. Quid autem ista vox *Kia* significet, sic ibi ait Interpres *Chin hao*: putat Interpres *Liu* legendum esse *Ke*, non *Kia*; id est, appellere, pertingere, penetrare; uti in libro mutat. ac product. Symbolo *Tsui* dicitur: Imperator (nempe vivens) appellit, seu venit ad Parentale ædificium. Et in libro Carm. tom. *Xam Tsum*, odâ *kie tsu* dicitur Spiritus defuncti Imperatoris *Chim tam* appellere; & omnes Reguli (nempe viventes) dicuntur etiam appellere, pervenire, parentare; atque ita dicit subtilissimum defuncti Imperatoris Spiritum ascendendo appellere usque ad Cælum. Ego autem puto legendum esse *hia*, id est, *procul, remotè longè*; vultque dicere, quòd locus ille, ad quem ascendit, sit valdè altus & remotus; sicut id, quod libri Imperii *Han* vocant *magnum iter*; nempe iter quod successivè initur; vocatur autem magnum iter, quia qui illud semel adiit, non ampliùs redit.

F. 7. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem* sic: dum præsentatur cocta pecudis caro, Lector seu Ceremoniarum Præfectus, præsentantis verba defert ad ligneam Tabellam *Chu*; dúmque fit Ceremonia *cy* ad conquirendum Spiritum, idem Lector seu Ceremoniarum Præfectus etiam facit Ceremoniam *cy* vel intra vel extra portam Parentalis Aulæ; nescitur enim ubinam sit Spiritus, illicne an hic? an procul ab hominibus recesserit? & certè faciendo sic Ceremoniam *cy* intra aut extra portam Parentalis aulæ, numquid quasi dicitur, quòd ille in loco remoto conquiratur? Illa Ceremonia *cy* intra vel extra portam, significat *procul*, seu *conquirere Spiritum procul*.

Dein ibi Interpres *Chin hao* sic: dum præsentatur pecudis caro cocta, Lector seu Ceremoniarum præfectus præsentantis verba defert ad Spiritûs seu hominis Defuncti Signum dicendo v. g. *hoc statum anni obsequium Avo Præfecto N. cognomento* N. *exhibet*, nem-

pe pronepos. Deinde dum fit Ceremonia *cy* ad conquirendum Spiritum, idem Ceremoniarum Præfectus eam etiam facit ad portam Parentalis aulæ; quod fit duplici modo: 1. ipsâ die, quâ præsentata pecudis cocta caro, in media aula exponitur, ille etiam conquirit Spiritum intra portam, ac ei facit Ceremoniam *cy*, ut dicitur in libro Carm. tom. *Siao ya*, odâ *Tsu tsu*. 2. die sequenti continuat Ceremoniam, eámque facit extra portam. Dum enim dicitur: *illic ne an hic?* significat, Spiritus existitne in conclavi? an in hac aula? Dum dicitur: *an procul ab hominibus recessit?* significat, an procul ab hominibus discessit, & in Parentali ædificio non existit?

F. In dicto autem Libro Carminum tom. *Siao*, odâ *Tsu tsu*, sic Interpres *Chu chi* ait: Filius obsequiosus (nempe dum facit Ceremoniam *cy*) nescit Spiritûs locum; idcircò jubet Lectorem, seu Ceremoniarum Præfectum, ut amplo modo eum conquirat intra portam in loco, ubi hospites excipiuntur.

F. 8. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 10. *Li Ki* sic: statim atque pecus adhuc viva, in exteriorem Parentalis ædificii aulam seu atrium adducta est; tunc assumpto serici voluminis munere, ibi fit denunciatio Spiritui. Postquam mactata est pecus; tunc assumpto ejus sanguine ac pilis, fit denunciatio Spiritui in interiori conclavi. Ubi cocta est pecudis caro; tunc in media aula fit denunciatio Spiritui; ter autem in tribus locis ac Signis fit denunciatio Spiritui, quia eum quærimus, inquiunt, & nondum invenire potuimus.

G. 9. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 7. *Cem tsu nen* sic: dum Filius qui non est primogenitus, supplet vices primogeniti, non facit Ceremoniam *cy* satietatis. Tum Interpres *Chin hao*: Ceremonia satietatis duplex est: alia occulta, alia manifesta; occulta est, dum, priusquam excipiatur Spiritus personatus, Lector apposito vino & epulis, defert Parentantis verba ad Spiritum, rogans ut gratum habeat obsequium. Et quia tunc in secreto cubiculo & obscuro loco existit; ideò dicitur occulta. Manifesta autem est, dum, postquam exceptus & domum introductus est Spiritus personatus, ei mensa cum epulis apponitur; & quia hæc mensa in loco claro apud boreo occiduam fenestram apponitur, ideò dicitur manifesta. Cùm enim nesciatur ubi sit Spiritus, hîcne an illic? hujus ritus finis ab Institutore intentus, spectat ut Spiritus istam Ceremoniam seu obsequium quasi excipiat gratúmque habeat ac satietur.

H. 10. Lib. Carm. tom. *Cheu tsum*, odâ *Cin miao*, Interpres *Chu chi* agens de Principe *Cheu Kum* faciente Ceremoniam *cy* patri suo *Ven uam* defuncto, cum Regulis ac Proceribus, sic ait: Postquam venerabundi illius Spiritui in Cælo existenti cultum præbuêre, tum celerrimè properant ad ligneam illius Tabellam in Parentali Palatio erectam.

I. 11. Lib. Rit. tom. 1. Cap. 2. *Kio Li hia*, sic Interpres *Chin hao*: ubi primùm quis obiit, mox sculpitur lignum, & ex eo construitur Tabella paulò altior, Sinicè *Chum*, ad fulciendum seu repræsentandum Spiritum. Sed post Ceremoniam *cy*, quæ ipso sepulturæ die fit, illa defoditur; & tunc fit alia brevior seu humilior *Chu*, ad fulciendum seu repræsentandum Spiritum.

I. 12. Lib. Rit. Domestic. tom. 5. Verborum formulam, quâ possit uti filius Parentans in erigenda illa Tabella lignea breviori, Sinicè *Chu*, sic præscribit: hoc Imperatoris anno N. mense N. die N. orbus Filius N. palàm audet hæc dicere Præfecto N. à morte cognominato N. Domûs seu Familiæ Domino: Cùm cadavere in locum sepulturæ illato, & Spiritu (nempe alludendo ad illum Spiritum antiquum personatum, qui tunc domum reducebatur, eique fiebat Ceremonia *yu*. Vide præc. quæst. num. 9. litterâ F.) in domûs aulam reverso, sit confectum Spiritûs seu Defuncti Signum; humiliter exopto, ut Mens veneranda, vetere relicto (nempe Signo Sinicè *Chum*), se novo accommodet; istud est repræsentatio, istud est fulcimen.

K. 13. Dictionarium *Chim tsu tum* in littera *y* sic: ista vox *y* &c. ut suprà in contextu.

L. 14. Lib. dictus, specialis in 5. libros classicos discursus Auhore *Hu Xin*, sic ait: modus faciendi Tabellam ligneam *Chu* hic est: in medio quatuor laterum scalpitur lignum, correspondens quatuor mundi partibus; pro Imperatore fit altum cubito uno & duobus digitis; pro Regulis, cubito uno. In ejus dorso sculpitur cognomen à morte datum. Hæc autem Tabella lignea est imago seu repræsentatio Spiritûs, aut potiùs Defuncti.

Sepulturâ enim peractâ, quia Filius parentans non habet ampliùs, in quo animum figat, nec quo fulciatur ac nitatur; ideò ad faciendam Ceremoniam *yu*, ipso die sepulturæ peractæ, erigit ligneam Tabellam, ut suam ei observantiam ac cultum præstet.

M. 15.

M. 15. Lib. *Y li*, seu urbanitatum & Rituum. tom. 15. *Te sem quey che li*, sic vetus interpres *chim*: Spiritus personatus honorario nomine vocatur *Pater*, & proprio nomine *Xi*, seu imago Defuncti; significando per hæc duo simul iuncta, quòd *quasi* fulciat ac repræsentet suos Parentes. Quia Pater & Filius, addit paulò infrà Interpres *Kia*, sunt ejusdem speciei seu stirpis,

M. 16. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 25. *Cy tum* sic: faciendo Ceremoniam *cy*, in Parentali aula storea super stoream sternitur; & pro viro ac uxore simul, una eademque mensula ad fulciendum Spiritum (scilicet personatum) seu ad repræsentandum Defunctum apponitur. Lector seu Præfectus Ceremoniarum suo servitio Spiritum personatum admonet in conclavi; posteà die sequenti, extra portam Parentalis aulæ, rursus ei facit Ceremoniam *cy*; atque hæc est recta cum Spiritu intelligente agendi ratio.

Vide etiam hîc infrà numerum sequentem 17. litterâ N.

N. 17. Lib. Immut. Medii art. 19. Interpres *Cham Kiu chim* tom. 2. sic: quod attinet ad vestes à præteritis Imperatoribus relictas, tunc exponuntur ad eas personato Spiritui tradendas; non tantùm ut Spiritus habeat quo nitatur seu repræsentetur, sed etiam ad figendam Parentantis mentem ac cogitationem, perinde ac si illîc Spiritus adesset; & ad tenendam (addit quotidiana quatuor librorum explicatio in eumdem textum) illam sinceritatē ac veritatem non secus ac sic illic Spiritus adesset.

O. 18. vide quæst. præc. num. 1. litterâ A.

P. 19. vide hîc suprà num. 7. litterâ F. ac num. 8. eâdem litterâ F.

Q. 20. Lib. Rit. tom. 1. Cap. *Kio Li Xam*, sic Interpres *Chin hao*: Mensula fultrix, est illa, cui viri honorati innituntur ad comedendum, & quiescendum.

R. 21. Lib. Rit. tom. 2. Cap. 4. *Tan Kum hia*, Interpres *Chin hao* explicans illam humilem mensam & stoream ad sedendum, sic ait: mensula fultrix est id, cui innititur Spiritus; storea ad sedendum est illa duplex, in qua sedet Spiritus (scilicet personatus).

R. 22. Lib. antiquus *Y li* tom. 17. seu ultimo sic: herus (sive filius parentans) suæ vestis limbo abstergit mensulam fultricem, eámque Spiritui personato, Sinicè *Xi*, ante stoream tradit.

S. 23. Lib. Rit. Domest. tom. 4. circa finem: quia Spiritus, inquit Interpres *chin*, figurâ ac specie sensibili carent; ideò vespere, ac mane epulæ ad illos fulciendos seu repræsentandos apponuntur. T. 24

T. 24. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem* sic: quando larvata illa turba veniebat &c. Ut suprà in contextu. Tum ibi Interpres *Chin hao*: quia Confucius, inquit vetus interpretatio, verebatur, nè Parentalis conclavis Spiritus, seu Defuncti terrerentur, ideò aulicâ veste indutus stabat in orientalibus domesticæ scalæ gradibus ad eos servandos, efficiendo ut hi sibi inniterentur ac tranquillarentur. Ritus enim præscribit ut primarius Præfectus, dum facit Ceremoniam *cy*, induat aulicas vestes; idcircò Ceremoniæ *cy* vestibus ad fulciendos Spiritus utebatur.

V. 25. Lib. Sentent. art. 10. Interpres *Chu hi* sic: quamvis istius larvatæ turbæ circumcursatio esset antiquus Ritus; multùm tamen redolebat rem histrionicam. Confucius autem veste aulicâ indutus ad illam accedebat, ut ostenderet se veram ubique servare reverentiam.

X. 26. Lib. quotidiana 4. librorum explicatio tom. 7. ad eumdem art. 10. Libri Sentent. sic: quamvis iste Ritus &c. Ut suprà in contextu.

Z. 27. Lib. Sent. art. 10. sic: Quando veniebat larvata illa turba ad effugandos è domibus morbiferos Spiritus, Confucius aulicâ veste indutus in orientalibns domesticæ scalæ gradibus stans se prodebat.

W. 28 Lib. Rit. tom. 1. Sic Interpres *Chin hao* in suo proœmio: Cùm libri Sapientûm sub 4. primis Imperiis (scilicet *Tu* seu *Xam*, *hia*, *Xam*, *Cheu*) quæ Ritibus modò aliqua addiderunt, modò dempserunt, conscripti, longo temporis lapsu exciderint ac perierint, ideò illorum Ritus non possunt nunc rectè sciri. Remanserunt liber urbanitatum ac Rituum, in 17. Capita diuisus, & liber Rituum Authore *Tay* in 49. Capita, ex quo præteriti Doctores Caput *Immutabile Medium*, & Caput *scientiam Adultorum*, ut essent omnibus sæculis rectæ doctrinæ fons ac principium, excerpserunt; quamvìs autem in reliquis 47. Capitibus, varia sint bona & mala, seu pura & mixta; illa tamen à se invicem distinguere non est facile.

D. 29. Dictionarium *Ta tsu guey* in littera *Chu* sic: ista vox *Chu* etiam significat ligneam Spiritûs seu Defuncti Tabellam, quæ in funebri ædificio erigitur, ut Mens seu Spiritus resideat aut colligatur.

AA. 30. Lib. *Kum Miao ly yo kao*, in proœmio sic: postquam erectum est Parentale ædificium, in eo apponitur Tabella, ut Spiritus colligatur aut resideat. Dein in tom. 1. sic: Quamvis ego existimem istam faciendæ Tabellæ normam (de qua antè locutus fuerat) fuisse adhibitam,

tam, ut Spiritus colligeretur, aut resideret in corde, (id est, Parentantis); non videtur tamen sufferri posse, ut ista lignea Tabella hominem referens, discindatur ac dividatur.

BB. 31. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 24. *Cy y* sic: Ceremoniæ *cy* die, quum primùm Filius Parentans &c. ut suprà in contextu.

CC. 32. Ad hunc locum libri Rituum Interpres *Chin hao* sic: *se prodit in Spiritus Signo*, id est, tamquam videret Filius suum Parentem in Spiritûs Signo existentem.

DD. 33. Dictionarium *Ta tsu guey* in littera *guei* sic: ista vox *guey* significat directionem, dispositionem, regimen, & quidqnid erigi aut stare debet, dicitur *guey*. Alia dictionaria Sinica dicunt idem, aut similia.

EE. 34. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom. 3. *Chun quon* art. *Su Ki yen* sic: quia rudior storea infrà sternitur, & desuper altera subtilior additur, ideò dicitur *guey* seu objectum erectum, vel locus designatus.

FF. 35. Dictionarium *Chim tsu tum* in littera *guey* sic: distribuere dextra & sinistra loca in medio aulæ, id vocatur *guey*.

GG. 36. Lib. Rit. tom. 8. Cap. *Cy y*, sic: Regulus dum erigit regni Spiritûs Signum, Sinicè *guey*; ad dexteram constituit terræ & frugum Spiritûs suggestum; ad lævam parentale Majorum ædificium. Tum ibi Interpres *Chin hao*: Spiritus caret loco, inquit Doctor *Tam*, (nempe circumscriptivo); cùm ergo careat loco, etiam caret Signo &c. ut suprà in contextu.

HH. 37. Lib. *To to sum ki*, seu historia Imperialis Familiæ *Sum*, Authore *To to*, tom. 124. Epitaphium, in quo Defuncti vita & virtutes breviter referuntur, vocat *Xin chi*, id est, Defuncti Epitaphium; non potest enim dici *Spiritûs* Epitaphium; adeóque ibi vox *Xin* clarè significat Defunctum.

II. 38. Vide in Quæstione præced. num. 9. litterâ F. & in hac Quæst. num. 14. litterâ L. & alibi.

KK. 39. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 87. agens de Imperatorum Parentationibus, sic ait: Imperator accipiens &c. Ut suprà in contextu.

Idem Liber tom. 86. sic ait: In quolibet throno &c. Ut suprà in contextu.

CAPUT II.
De Parentali ædificio, quod Sinæ Defunctis exstruunt.

Duplex est Parentale ædificium, de quo controvertitur: Alterum, quod suis Parentibus defunctis; alterum, quod suo prisco Magistro Confucio exstruunt Sinæ; hoc, Parentalem palæstram, illud Parentalem domum seu aulam vocabo; horum nominum ratio ex dicendis patebit.

Quæritur ergo de utroque, an sit superstitiosum, seu objectum superstitionis? Cùm illud utrumque ædificium sit objectum materiale indifferens ad bonitatem & malitiam moralem, seu ad bonitatem civilis observantiæ, vel ad malitiam superstitionis; debet determinari ad hanc vel illam in specie ab objecto formali, nempe à motivo, aut fine principali. Triplex finis, aut motivum principale potest assignari. 1. motivum primævæ institutionis, quod habuerunt primi Institutores istius utriusque ædificii. 2. Motivum subsequens, quod sibi proposuerunt tum primi, tum subsequentes illius Constructores. 3. Motivum usûs ad quem illud adhibuerunt, & nunc adhibent Sinæ. Si hoc triplex motivum fuerit honestum, & ex civili tantùm observantia deductum; istud utrumque ædificium dicendum est bonum, & civilis observantiæ objectum, adeoque ex se licitum; si turpe, & ex sola tantùm superstitione profluens; utrumque dicendum erit malum, & superstitionis objectum, adeoque illicitum. Si partim honestum, partim turpe; rejiciendum quod turpe, amplectendum quod honestum est; primario tamen, principali ac essentiali prævalere debente. itaque

QUÆSTIO I.

An Parentalis Domus, quam suis Parentibus Defunctis exstruunt Sinæ, sit superstitiosa?

Para-

Paragraphus I.
An ſit ſuperſtitioſa ex motivo, ſeu fine ſuæ primævæ Inſtitutionis?

RESP. & dico: non videtur illa Parentalis domus eſſe ſuperſtitioſa ex motivo ſuæ primævæ inſtitutionis. Probatur: hoc motivum debet inquiri à motivo, quo prima, aut primæ illæ Parentales domus in China erectæ ſunt; nulla autem in Annalibus Sinicis reperitur prior illâ, quæ mortuo Imperatori *Hoam Ti* exſtructa eſt; duobus ſcilicet, & ampliùs annorum millibus ante Chriſtum natum. De hac nihil aliud refertur, quàm quòd primus totius imperii Miniſter eâ exſtructâ, aſſumptis defuncti Imperatoris veſtibus, coronâ, menſula fultrice ac ſcipione, Viventem recolens, illi fecerit Ceremoniam *cy* ſeu Parentalia;& ſtatis anni temporibus,omnes Regulos ac Magiſtratus ad ſalutandum,ut in vita,defunctum Imperatorem adduxerit(A); Jam verò nullum aliud ibi apparet motivum, quàm pia defuncti Imperatoris memoria, & priſtina erga ſuum Principem vel Parentem reverentia; nullum cujuſvis poſtulationis, aut ſpei ſignum; nullum verbum, quo rogetur, ut apud cæli Dominum ſeu *Xam Ti* agat interceſſorem. Ille ergò cultus, ſeu motivum extruendi illius ædificii, erat tantùm obſervantia Civilis, & honor Parentalis, ab omni ſuperſtitione inmunis. Dicitur autem, non Imperatoris *Hoam Ti* filius ſucceſſor *hiuen hiao*, ſed primus totius Imperii Miniſter *Tſo che* hæc facere; quia olim triennalis luctûs tempore, defuncti Imperatoris Filius heres ab omni regminis cura abſtinebat, primúſque Imperii Miniſter ejus nomine omnes res adminiſtrabat; faciebat Parentales Ceremonias; omnes proceres, ac Magiſtratus dirigebat(B).

Deinde Imperantibus *Hoam Ti*, *Chim tam*, *Tay Kia*, cùm jam habebantur iſtæ domus Parentales (C), nondum tunc legitur introducta fuiſſe in Chinam aliqua Secta idololatrica; ergo illæ domus nihil habebant commune cum Idolorum fanis, utpote quæ ſupponuntur nulla tunc fuiſſe; nec etiam cum templis DEI, ſeu cæli Domini; quia iſta vox Sinica *Miao*, ſeu domus Parentalis, dicitur ut quid oppoſitum voci *Kiao*, ſeu loco ſuburbano, in quo ſub dio litabatur cæli Domino, ſeu *Xam Ti*; uti etiam ſub dio fiebant Ceremoniæ *cy* aliis montium, fluminum, aliarúmque rerum Spiritibus. Priſci enim Imperatores, ut oſtenderent cæ-

li Dominum seu *Xam Ti*, & alios Spiritus non esse corporeos, adeóque non egere domibus ad habitandum, illis oblationes faciebant sub dio in erecto glebæ aggere. Ut autem ostenderent Parentes suos defunctos fuisse homines seu corporeos, ideóque eguisse domibus ad habitandum, illis Ceremonias ç faciebant in domo Parentali (D). Hinc illa vox sinica *Miao*, seu domus Parentalis, significat alicujus speciem (E); Domúsque Parentalis est id, quo hominis defuncti species repræsentatur (F). Hoc nimirum nomine, & modo volebant ostendere illas domos Parentales nihil habere commune cum locis, in quibus litabatur supremo cæli Domino (G), nec cum iis, in quibus fiebant oblationes aliis Spiritibus. Imò quamvis sub tecto subinde litarent supremo cæli Domino; nimirum ut ostenderent, sicut unaquæque domus habet suum particularem domûs Dominum, ita totum orbem habere suum vniversalem orbis Dominum (H); tamen nec vel tunc iste locus sub tecto vocabatur *Miao*, sed vel *Mim tam*, id est, distinctionis aula (I); vel *Ho Kum*, id est, unionis Palatium (K), aliovè simili nomine.

Lapideum monimentum antiquorum Christianorum Sinensium, in Provincia *Xen si* repertum, de quo jam in Tractatu primo, vocat etiam *Ho Kum* Dei templa. Jam verò si illæ domus Parentales à sua institutione, nec cum locis ad DEO, aliisque tutelaribus Spiritibus serviendum dicatis, nec cum fanis quidquam commune habent, sunt ergo dumtaxat Civiles quædam erga Defunctos honoris & amoris demonstrationes, uti olim in Ægypto pyramides Regibus, in Italia statuæ Consulibus sine Apotheosi erectæ.

Nec dicas fana Idolorum nunc vocari *Miao* eodem nomine, quo vocantur Parentales illæ domus, adeóque has esse Idololatricas; alioquin eodem jure dicerem Templum veri DEI etiam esse Idololatricum, cùm fana Idolorum etiam vocentur Templum; ut patet ex Scriptura, quæ passim & Templum veri DEI, & fana Idolorum vocat Templum: Intravit JESUS in Templum DEI. *Matth.* 21. Apertum est Templum DEI. *Apoc.* 11. Intulerunt eam (nempè Arcam DEI) in Templum Dagon. 1. *Regum.* 5. Posuerunt arma ejus (nempè Saulis occisi) in Templo Astharoth. 1. *Regum.* 31. Ingressi sunt Templum Baal. 4. *Regum.* 10. Unde patet nominis identitatem nihil hîc facere. Imò videntur ista Idolorum Sinicorum fana nomen suum *Miao* desumpsisse a domibus Parentalibus, non Parentales domus à fanis, utpote his longè

longè priores. Et hæc videtur fuiſſe ratio: quia iſta Idola, quæ nunc adorant Sinæ, olim fuerunt homines; ideò ad appellanda eorum Fana, judicarunt poſſe Parentalium domuum nomen adſciſcere.

Inſuper hoc ulteriùs probatur ex vi iſtius nominis *Miao*. Parentalis domûs pars anterior dicitur *Miao*, poſterior *Cin* (L). *Miao* eſt locus regendi & gubernandi; *Cin* eſt locus comedendi & dormiendi (M); hinc ille locus *Miao* Defunćto erigitur ad repræſentandum, quòd ille olim in vita haberet aulam, in qua regimen exercebat; locus *Cin* ad repræſentandum, quòd olim in vita haberet habitaculum, in quo comedebat & dormiebat (N). Soli enim Viri in magna poteſtate conſtituti poſſunt juxta Ritus, habere Parentales domos dićtas *Miao*; plebeii autem tantùm poſſunt domi ſuis Parentibus defunćtis cultum exhibere (O). Ideò Doćtor *Chu hi* præcipuus Author Libri Rituum domeſticorum, cupiens ut Viri dignitate carentes, qui aliquem è ſuis Parentibus, Magiſtratu, aliove litterarum gradu illuſtrem habuiſſent, etiam poſſent illi, illiúsque Poſteris Parentalem domum erigere pro tota ejusdem cognominis Familia communem, inſtituit ab aliquot ſæculis aliud nomen, ad hanc domum appellandam; vocavitque *Tſu tam* ſeu Ceremonialem aulam, mutando nomen *Ym tam* ſive adumbrationis aulam, quod nomen quidam alius Doćtor jam priùs inſtituerat (P); Imò nunc omnes illæ Parentales domus, niſi ſint Regum, Principum, aut primariâ Regni dignitate illuſtrium Magiſtratuum, paſſim non vocantur *Miao*, ſed *Tſu tam*; ſic nempè quaſi verentur Sinæ, nè illud altioris ordinis & dignitatis nomen *Miao*, malè ſibi vindicent. Sed nec iſta nominis immutatio aliquid immutat in Parentalium domuum natura, aut in inſtitutione; quin imò penè magis illas removet ab Idololatriæ ſuſpicione, cùm jam Idolorum fana paſſim vocentur *Miao*, non *Tſu tam*; & inſuper eâdem voce *Tſu*, quâ vocantur Parentales Defunćtorum domus, etiam appellentur illæ, quæ viventibus adhuc Mandarinis ob ſua in Populum merita eriguntur; vocantur enim *Sem Tſu*, ſeu Ceremoniales Vivorum domus, quæ certè apud Sinas nec Fana, nec Templa aut Cappellæ cenſentur. Ex nulla igitur parte domus Parentales videntur eſſe ſuperſtitioſæ ob ſuæ inſtitutionis motivum.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Annal. Univerſalium tom. 1. ſic: poſt oćtavi menſis lu-

 naris

naris plenilunium, peractis fusilibus vasis cupreis vel æreis, Imperator *Hoam Ti* obiit. Thronum tenuit annis 100. Vixit 111. Sepultus in monte *Kiao* (sito in territorio urbis *Yen ngan*, Provinciæ *Xen si*). Deinde primus ejus Minister *Tso che*, exstructâ Parentali domo, assumptis defuncti Imperatoris vestibus, coronâ, mensulâ fultrice ac scipione, viventem recolens, illi fecit Ceremoniam *cy*; & statis anni temporibus omnes Regulos, Proceres, ac Magistratus, ad eum, ut in vita, salutandum adducebat. Posteà Defuncti filius *Hiuen hiao*, Imperator creatus est, dictus *Xao hao*, ex Familia seu cognomine *Kin tien*.

B. 2. Lib. Annal. Imper. Cap. *Y hiun* sic: primus Imperii Minister *Y yn*, defuncto Imperatore, (nempè *Chim tam*), præsentatis muneribus, fecit denuntiationem. Deinde Interpres *Tsay Xin* sic: olim dum Imperator obierat, primus totius Imperii Minister, nomine Parentantis filii, faciebat istius mortis denuntiationem in Parentali domo, ejusdémque nomine, omnes Magistratus regebat.

B. 3. Lib. Sentent. art. 14. Interpres *Cham Kiu chim* tom. 9. sic: olim Defuncto Imperatore, Princeps heres, juxta Ritus præscriptos, tuguriolum ex ligneis fuleris & arundinibus contextum, extra secundam Palatii portam ad orientalem partem erigebat; ubi sepositâ omni regiminis curâ, funebrem luctum servabat; omnes Magistratus, retento suo officio, parebant primo totius Imperii Ministro; idque totos tres annos durabat.

B. 4. Lib. 1. Memcii Cap. 5. *Tem uen kum xam*, sic idem Interpres *Cham Kiu Chim* tom. 17. Ipso Imperatoris morientis die, inquit Confucius referens antiquum Ritum, quia tunc omnes Magistratus regebantur à primo Aulæ Ministro, filius heres ad funerale tuguriolum, in quo Patris mortem lugebat, pergebat.

C. 5. Lib. Annal. Imperial. tom. 3. Cap. *Tay Kia*: Prædecessor tuus Imperator (*Chim tam*) singulari prorsus reverentiâ ac honore locum ad litandum terræ ac frugum Spiritui destinatum, & Parentales Majorum defunctorum domos prosequebatur.

D. 6. Lib. Immutab. Medii art. 19. Interpres *Tsay hiu chay* in suo libro dicto *Su xu mum yn* tom. 4. sic: Petes: Cæli litamen cur dicitur *Kiao*, seu suburbanus sub dio locus? Resp. Iste suburbanus sub dio locus *Kiao* dicitur prout opponitur Parentali domui *Miao*. Domus Parentalis

Miao

Miao est quid spectans ad hominum Defunctorum animas; homo enim dum vivit, in aliqua domo habitat (nempe puplicâ, si sit Magistratus); idcircò postquam obiit, ad præstandam in vitæ loco, seu in loco, in quo vixit, filialis observantiæ alimoniam, illa accipitur & efficitur domus Parentalis seu repræsentativa, Sinicè *Miao*. Quod autem attinet ad Cæli ac terræ Spiritum, ille non habet domum; idcircò illi terræ agger sub dio erigitur.

E. 7. Lib. Carm. tom. *Chen Tsum*, odâ *cim miao*, sic compendiosa Interpret. compilatio: ista vox *Miao*, seu Parentalis domus significat alicujus speciem, seu repræsentare ac referre alicujus speciem. Quia autem Defunctus spectari ampliùs non potest, ideò exstruitur domus ad repræsentandam illius speciem. Vide etiam hîc sequentem num. 8. litterâ F.

F. 8. Dictionarium *Ta tsu guey* in littera *Miao* sic: ista vox *Miao*, ut omnes antiqui, & recentes interpretantur, significat alicujus speciem, seu repræsentare ac referre alicujus speciem; est autem id, quo hominis defuncti species repræsentatur ac refertur.

G. 9. Lib. mutat. ac product. Symbolo *Huon*, sic Interpres *Chu chi*: Imperatores erigebant terræ aggerem ad litandum cæli Domino, & Parentales domos pro Parentibus defunctis.

G. 10. Lib. Immutab. Medii art. 19. sic: ille Ritus litandi Cælo ac terræ, Sinicè *Kiao Xe*, inquit Confucius, est id, quo servitur cæli Domino; & ille Parentalium Domuum, Sinicè *Miao*, Ritus, est id, quo servitur Majoribus defunctis.

H. 11. Lib. Carm. tom. *Chen Tsum*, odâ *Ngo ciam*, sic compendiosa Interpretum compilatio: quia fit terreus agger sub dio rotundus (nempe figura Cæli), in eóque litatur; ideò dicitur Cælum, seu litari Cælo; litando autem sub tecto, quia litatur ut cæli ac terræ Spiritui, ideò dicitur cæli Dominus, seu litari cæli Domino. Et paulò pòst:

I. Imperator *Vu nam*, inquit Lib. Rituum Cap. *To Ki*, devicto hoste *Chen*, litavit in Imperialis Palatii aula, dicta *Mim tam*. Sic & nova explicatio ait: Imperator *Xin Num* litabat in Imperialis Palatii aula *Mim tam* sub tecto; at erat in quatuor mundi partes aperta. Liber *Tum tien* sic: Imperator *Hoam Ti* summa cum reverentia litabat cæli Domino in Imperialis Palatii aula *Mim tam*, sive aula distinctionis.

I. 12. Lib. Rit. Cap. 14. *Mim tam*, sic: distinctionis aula, Sinicè *Mim*

Mim tam, est illa, in qua Regulorum superior & inferior, nobilior & ignobilior gradus ac ordo distinguebatur.

K. 13. Lib. Annal. Universal. tom. 1. sic: Imperator *Hoam Ti* post traditam ubique ædificiorum normam, ipse construxit unionis Palatium, Sinicè *Ho Kum*, in quo litabat Cæli Domino, omnes Proceres ac populos excipiebat, rectè vivendi ac regendi disciplinam tradebat.

L. 14. Vide hîc num. sequentem, litterâ M.

M. 15. Lib. *Kum miao ly yo kao* tom. 1. sic: Domus, inquit liber *Lh ya*, habens ab Oriente & Occidente cubicula lateralia, dicitur *Miao*; non habens hæc cubicula, tantùm domus dicitur *Cin*. Et paulò pòst sic: *Cin* est locus comedendi & quiescendi; *Miao* est locus regendi & gubernandi. Iterum paulò pòst sic: Doctor *Chim Kam chim* dicit partem anteriorem istius Parentalis domûs vocari *Miao*, posteriorem vocari *Cin*.

N. 16. Liber *Ven hien tum kao* tom. 61. sic: *Miao*, inquit Doctor *Chim* in suo Libro Rituum, est ad repræsentandum, quòd Defunctus olim in vita haberet aulam; *Cin*, est ad repræsentandum, quòd haberet *Cin*, id est, habitaculum pro mensa, & lecto. Idem liber tom. 92. sic: quod attinet ad priscorum Imperatorum normam, in anteriori parte extruebant *Miao*, ad repræsentandum, quòd Defunctus olim in vita haberet aulam; in posteriori extruebant *Cin*, ad repræsentandum, quòd haberet *cin*, seu habitaculum ad comedendum & dormiendum.

O. 17. Lib. Rit. tom. 2. Cap. 5. *Vam chi*, sic: Imperator habet septem Parentales domos; tres à dextris, tres à sinistris, & in harum medio alteram pro Imperialis Familiæ Conditore; Regulus quinque; duas à dextris, & duas à sinistris, ac in medio earum aliam pro Familiæ suæ Conditore. Toparcha, seu primarius Præfectus tres, scilicet unam à dextris, alteram à sinistris, & in medio tertiam pro suæ Familiæ Conditore. Vir aliquâ dignitate, aut altiori litterarum gradu donatus, unam. Vir autem plebeius nullam; sed domi suæ Parentibus defunctis cultum exhibet.

P. 18. Lib. Rit. Domestic. tom. 1. sic: Vir sapiens honorariam domum meditans construere, ad orientalem anterioris aulæ partem priùs extruit Ceremonialem aulam, Sinicè *Tsu tam*. Interpres *Lieu Kay Sun* sic; olim, inquit Doctor *Chim* ex pago *Y chuen*, viri plebeii domi suæ; viri altiori litterarum gradu, & Magistratu donati, in Parentali domo munera

nera præsentabant Parentibus defunctis. Cùm ergo viris plebeis non liceat habere domos dictas *Miao*, possunt erigere Adumbrationis aulam Sinicè *Ym tam* Nunc verò Doctor *Chu hi* eam vocat Ceremonialem aulam; quia nempè non judicat posse, juxta mentem Doctoris *Chim*, in statis faciendæ Ceremoniæ cy temporibus, servire illam Adumbrationis aulam: ideò loco Adumbrationis aulæ, posuit Ceremonialem aulam, seu *Tsu tam*.

Paragraphus II.

An Parentalis Progenitorum domus sit superstitiosa ex motivo, seu fine primævam suam institutionem consequente?

RESp. & dico: Parentalis Progenitorum domus non videtur esse superstitiosa ex motivo, seu fine primævam suâ institutionem consequente. Probatur: hoc motivum, seu finis, quem habuerunt aut habent Sinæ in exstruenda domo Parentali, potest assignari quintuplex:

Primum: Exstruitur domus Parentalis, ut Liberi ac Nepotes, dum volunt defunctos Parentes recolere, habeant aliquod objectum, quod illos repræsentet (A). Quia, sicut Parentes dum vivebant, habitabant in domo publica; (Nota: Magistratus Sinenses non in propria domo, sed in publica, exceptis paucis, habitant; nec exstruuntur illæ domus Parentales, nisi pro iis, qui in aliquo Magistratûs, aut dignitatis gradu constituti fuerint) ita post mortem illis exstruitur domus Parentalis, sejuncta à propriis ædibus, ut eos viventes repræsentet (B); unde quando volunt explicare quid sit istud ædificium Parentale, dicunt: est *defunctorum Parentum domus*, *est palatium*, *est aula*, *sunt ades cum collateralium cubiculorum serie* (C); adeóque à quibusdam Europæis malè *templum* vocatur.

Secundum: Exstruitur domus Parentalis, ut Consanguinei à non Consanguineis distinguantur; & ut inter Consanguineos, remotioris ac propinquioris consanguinitatis gradus dignoscantur (D). Hinc in illa domo ligneæ Tabellæ, suo quæque ordine cum nominibus Patris & Matris, Avi &

Aviæ usque ad quartum consanguinitatis gradum, imò & cum aliis in lineâ consanguinitatis transversa disponuntur (E).

Tertium, Ut Posteri sciant præteritam Parentum, aut Majorum defunctorum conditionem, dignitatem, nobilitatem, Magistratum. Unde Imperatori 7., Regulis 5., Toparchis seu primariis Præfectis 3., aliis inferioribus Præfectis unam tantùm licebat Parentalem domum exstruere (F). Deinde unicuique Tabellæ, ut dixi, inscribitur Defuncti præteritus Magistratus, dignitas, honorarium cognomentum.

Quartum, ut doceantur Populi recordari sui Principii; nec eos, ex quibus geniti sunt, oblivisci (G).

Quintum, ut habeatur locus fixus, in quo Posteri suam erga defunctos Parentes observantiam & obsequia præstare possint (H).

Jam verò nullum ex his omnibus motivis, quæ sibi proponunt Sinæ in exstruenda domo Parentali, ibi sistendo, (de ceteris enim rebus ordine inquiretur) quidpiam superstitionis, aut indebiti cultûs involvit; nec alia motiva in illorum libris classicis & Ritualibns reperiuntur; ergo illa domus non est superstitiosa ex motivo primævam suam institutionem consequente.

Nota: Liber Rituum asserit eum, qui præscriptis Parentalis domûs legibus adversatur, Filium inobsequentum & paternæ observantiæ prævaricatorem esse; Filio autem inobsequenti & paternæ observantiæ prævaricatori, debere Imperatorem transmissam à Patre dignitatem auferre (I).

Textus Librorum.

A. 1. Interpres *Chin* ex urbecula *Cham lo* sic: quod attinet ad Defunctos; iis ritibus, quibus in vita tractabantur, illos semper trâctarunt prisci Imperatores. Vir aliqua dignitate donatus, dum vivit, habitat in diversa domo: ideò postquàm obiit, illi erigitur Parentalis domus. Vir autem plebeius dum vivit, non habitat in diversa domo; ideò postquam obiit, tantùm ei fit Ceremonia in sua propria domo.

B. 2. Interpres *Tu yeu* sic: Olim prisci Imperatores alternantibus volventis anni tempestatibus exciti ad revocandam defunctorum Parentum memoriam, Parentales eis domos exstruxerunt, cásque vocârunt venerabiles *Miao*: vox *Miao* significat alicujus speciem; istæ ergo venerabiles *Miao*, sunt defunctorum Avorum venerabilis species.

C. 3.

C. 3. Lib. Rit. tom 2. Cap. 4. *Tan kum bia* ſic: Si defunctorum Majorum domus incendio periêrit, tribus diebus fiat funebris luctus ac ploratus; ideóque, ut refert liber *Ver* & *Autumnus*, cùm novum palatium (nempè defuncti Reguli *Siuen kum* Parentale ædificium) incendio periîſſet, etiam tribus diebus ploratum fuit.

C. 4. Lib. Rit tom. 2. Cap. 3. *Tan kum xam*, ſic Interpres *Chin hao* agens de Parentali domo: pars anterior, inquit Doctor *Chim*, vocatur *Miao*: poſterior vocatur *Cin*. Si domus habeat orientalem & occidentalem collateralium cubiculorum ſeriem, vocatur *Miao*; ſi non habeat, domus vocatur *Cin*.

C. 5. Lib. Carm. tom. *Lu ſum*, odâ *pie kum* ſic: ſecretiſſimum palatium mira quiete gaudet. Tum Interpres *Chu hi*: ſecretiſſimum Palatium, id eſt, Parentalis Domus *Miao*.
Vide etiam in præcedenti paragrapho, num. 7. litterâ F. & hîc infrà num. 9. litterâ G.

D. 6. Lib Rit. tom. 8. Cap. 23. *Cyſa* ſic: Imperator dum terras dividit, tunc regna erigit, & urbes regias cum ſuis ſubjacentibus urbibus conſtituit. Dum autem Parentalium domuum normas cum ſuis adjacentibus terræ aggeribus ac ſcrobibus, ad faciendas Ceremonias *cy*, præſcribit; tunc id facit habitâ tum propinquioris ac remotioris conſanguinitatis, tum plurium ac pauciorum Parentalium iſtarum domuum, quæ uniuſcujusque conditioni competunt, ratione.

E. 7. Lib. Rit. Domeſtic. tom. 1. ſic: in illa Ceremoniali aula, Sinicè *Tſu tam*, ſculpuntur quatuor lignea loculamenta ad apponenda præteritarum generationum Spirituum, ſeu Defunctorum ſigna. Tum gloſſator *Tam xin* ſic: Abavus, Proavus, Avus, Pater, quatuor generationes, ſuum quisque continet loculamentum, (nempe unà cum matre, Avia, Proavia, Abavia); in tabulæ concavo, ſeu loculamento apponitur oblonga theca, & in theca recluditur lignea Tabella. Ante ſculptæ tabulæ loculamenta appenditur diaphanum velum, & extenditur una longa menſa omnibus communis. Superior lignearum Tabellarum ordo incipit à parte occidentali. Prætereà alia ſuffitûs menſa etiam omnibus communis exponitur, ſupra quàm vas odorum, ſuffitûs capſula, ac ſimilia apponuntur. Tum ibi idem liber ſic pergit: collaterales autem Conſanguinei Poſteris carentes, ad latus eorum, ad quorum ſeriem pertinent, apponuntur.

F. 8. Vide præc. paragraphum num. 17. litterâ O.

G. 9. Liber Rit. tom. 8. Cap. 24. *Cy y* sic: Sapientes illi Imperatores necdum his contenti, insuper exstruxerunt varias Parentales domos ad distinguendos propinquioris ac remotioris consanguinitatis gradus; ad discernendos Propinquos à non Propinquis; ad docendos populos antiquitatem recolere, ac sui Principii recordari; nec eos, ex quibus progeniti essent, oblivisci.

H. 10. Lib. Rit tom. 1. Cap. 2. *Kio li hia*: Princeps meditans sibi Palatium construere, priùs Parentalem Majorum domum exstruendam curat. Tum Interpres *Chin hao*: Parentalis Majorum domus est id, quod servit ad reddendum defunctis Parentibus honorem; idcircò priùs exstruenda curatur.

I. 11. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 5. *Vam chi* sic: qui præscriptas Parentalis domûs leges transgreditur, hic inobsequens & paternæ observantiæ prævaricator Filius habendus est; Filio autem inobsequenti, & paternæ observantiæ prævaricatori debet Princeps suam dignitatem auferre.

Paragraphus III.

An Parentalis Progenitorum domus sit superstitiosa ex motivo seu fine sui usûs?

Resp. & dico: nec videtur illa domus Parentalis Progenitorum esse superstitiosa ex motivo sui usûs. Probatur: Ejus usus duplex est: alius activus, alius passivus. Activus, sunt illi ritus & actiones, quas homo exercet in ista domo Parentali, & de hoc agemus in Capite 3. Passivus, sunt ea, quæ tanquam materia & dispositiones prærequiruntur ad istum usum activum. Et hunc in triplicem divido. *Primus*, est lignea Tabella, quæ in illa exponitur. De hujus motivo jam dictum est suprà, atque ita de ea hîc nihil restat dicendum

Secundus, est tota supellex necessaria ad faciendã Ceremoniam *cy* Parentibus defunctis; nimirum sedes, mensæ lances, scutellæ, scyphi, vini poculum, vini amphora aut hydria, gestatoria epularum vehicula, pelvis, mantile,

tile, vascula potûs Sinici *Cha*, paxilli comestorii, ceteráque ad convivandum instrumenta requisita. Insuper suffitûs mensa, vas ad ponenda odoramenta, odoramentorum capsula, candelabra, herbarum *Mao* fasciculi arenâ mixti, tabula ad affigendam Ceremoniæ *cy* formulam.

Locorum distributio: mortuarius lectus. In unoquoque loco exponuntur duæ sedes iunctæ, (nempe pro Patre & Matre, pro Avo & Avia, aliisque Defunctis) ac una mensa. Olim Defuncti vestes etiam exponebantur (A).

Horum autem motivum non videtur aliud esse, quàm præparatio eorum, quæ sunt necessaria ad repræsentationem convivii ac festivitatis convivalis; sed hoc motivum non est superstitiosum; ergo &c. Quod attinet ad istos herbarum *Mao* fasciculos, an sint superstitiosi, necnè ex intentione utentis; & an sint nunc in usu, dicetur in Cap. 3. Quoad reliqua, de quibus posset aliqua dubitatio occurrere, dicetur infrà in Objectionibus.

Tertius, est collecta omnium rerum, quæ Defunctis præsentantur, multitudo; ut sunt vinum aut mustum, fructus, bellaria, legumina, acetum, farina aut paniculi, oriza, potus Sinicus *Cha*, pisces, caro salsa & siccata, pulmentarium, sal; & subinde pecus occisa, nempe capra, vel porcus depilatus & crudus; vel gallina, anser, anas deplumes & crudi (B).

Sed horum motivum non videtur aliud esse, quàm scenicus quidam convivii ac festivitatis convivalis apparatus, ut infrà magis patebit, quod non est superstitiosum; ergo domus Parentalis non est superstitiosa ex motivo sui usûs passivi.

Nec tota illa variarum rerum comestibillum & potabilium turba, quæ subinde primo aspectu Europæis statim ingerit tacitas alicujus superstitionis & idololatriæ suspiciones, aut umbratiles nescio cujus dæmoniaci cultûs species, quidquam aliud in se continet, quàm ceremoniale filialis honoris, amoris, ac desiderii erga Parentes defunctos testimonium, in convivali luxu theatraliter repræsentatum.

Objicies 1. ista pecus occisa est quid superstitiosum.

Resp. Dist. Ass. Si sumatur, ut species vana, exterior, & non vera repræsentat, Transeat. Si sumatur, ut res significata denotat, & ut primitivus institutionis finis indicat, Nego. Itaque ista pecus ad convivii repræsentationem destinata, quæ male à quibusdam victima appellatur,

tur, sic olim mactabatur: summo mane, ipso die Ceremoniæ *cy*, adducebatur ad anteriorem Parentalis ædificii aulam seu vestibulum, & de ea mactanda fiebat denuntiatio ad ligneam Tabellam (C); nimirum filius parentans, uti patre vivente faciebat, adhuc ab eo quasi petebat facultatem ad mactandam istam pecudem; uti etiam nunc præscribitur pro publico & ceremoniali civium convivio sic: sub auroram præscriptæ diei, Ministri mactent pecudes, (Sinicè *Sem* dictas; nempe eodem nomine quo vocantur illæ, quæ mactantur pro Progenitoribus defunctis, & Confucio) ac præparent epulas (D).

Deinde abscindebantur laterales auris pili ad eos apponendos ante Defuncti Tabellam ligneam. Per istos pilos fiebat denuntiatio Patri defuncto de pecudis perfectione, de integritate, de interiori bonitate ac decore. Per aurem, quæ est organum auditûs, optabat filius, ut quasi à Patre defuncto audiretur (E); desiderio nempe inefficaci, sibi proponens Patrem, ut in vita adhuc agentem. Deinde inferebatur & apponebatur mactatæ pecudis sanguis, tum ut annuntiaretur esse occisa, seu parata ad convivium; tum ut viso sanguine, pateret interior pecudis bonitas; & ex vitalium spirituum abundantia non fuisse morbida aut corrupta agnosceretur (F). Postea hæc pecus in duas partes dividebatur; dextra pars integra relinquebatur: reliqua cum intestinis & aliis in undecim fercula distribuebatur. Horum quædam, uti & illa dextra pars, cruda apponebantur; alia semicocta, alia cocta, alia assata præsentabantur seu apponebantur cum variis aliis cibi, & potûs fereulis (G). Insuper aquam limpidam, quam Vinum cæruleum vocabant, præsentabant (H).

Jam verò motivum, quod habebant ad præsentandam aquam, sanguinem, pilos, & carnem crudam, erat ad imitandum & recolendum antiquissimi temporis Ritum, quando Sinæ carentes usu ignis ad coquendum, vescebantur plantarum & arborum fructibus; crudásque volucrum ac pecudum carnes comedebant, eorum sanguinem potabant, pilósque carni inhærentes, utpote qui extrahi penitùs non poterant, unà deglutiebant. Unde sanguis, pili, & carnes crudæ, sunt appositio escarum, quibus homines antiquitus vescebantur; carnes verò coctæ, sunt appositio escarum, quibus homines nunc vescuntur. Deinde motivum, quod habebant ad præsentandam aut apponendam carnem semicoctam, tostam, assatam, mustum; ad sternendas storeas, ad induendas vestes colore tinctas, erat ad imitandum & recolendum mediæ antiquitatis Ritum, quando Sinæ habue-

buerunt Imperatores scientiâ & virtute inclytos, qui ignis usum, vestes texendi, domos exstruendi, vasa conficiendi artes invenerunt, ac Ritus instituerunt (I). Sed tunc hæc omnia motiva nihil superstitionis continebant; atqui nunc sunt adhuc eadem, cùm illa motiva referantur ab ipsis recentibus Interpretibus, quos nunc sequuntur Sinæ, & quorum libros passim terunt; ergo nec nunc sunt superstitiosa.

Deinde quamvis subinde integra, nec dissecta, v. g. in solemnibus Regum ac Principum Ceremoniis, ista pecus, aut potiùs istæ pecudes nunc apponantur (K); idem tamen videtur esse motivum, adeóque hoc nihil immutat in re. Imò hodieque mos viget in China, ut in solemnibus conviviis, præter mensam, cui accumbit hospes convivans, alia ante ipsum apponatur, in quâ omnis generis ciborum crudorum fercula, v. g. anates, anseres, nefrendes crudi, eviscerati, ficci, integri; petasones, pisces ficci seu salsi, plurimáque bellaria exponuntur Insuper anates & anseres recenter occisi, deplumes, ac integri, aliæque carnes crudæ, præter varias figuras, v. g. leonis, elephantis, cervi ex serico confectas, coram ipso apponuntur. Hæc omnia post convivium ad ejus domum deferuntur; ut videre est maximè singulis trienniis in convivio, quod datur post examen novorum Licentiatorum (L).

Vide hujus convivii modum hîc infrà num. 18. in textibus, litterâ L.

Hinc vides istam pecudem occisam integrámque, etiam cum iis, quæ nunc inter homines convivas fiunt, habere similitudinem; & quamvis primo aspectu videatur aliquam cultûs indecentiam præseferre: tamen in se & ex sua institutione ac fine bene perpensam, nihil aliud significare, quàm escarium ferculum, vel dapsile munus ad implendam ceremonialis convivii scenam ac pompam appositum, adeóque à parte rei nihil veræ superstitionis continere.

Objicies 2. in ista Parentali Ceremoniarum aula habetur ara, & suffitûs mensa; apponuntur candelabra, candelæ, suffitûs vas; ergo est Templum; adeóque ista aula est superstitiosa & idololatrica.

Resp. Negando haberi aram; sed dico haberi mensam, ut eam libri passim vocant (M); & talem quidem, ut ea, quæ vel ad excipiendos vivos hospites convivas, vel patri in vita serviebat ad edendum, possit adhiberi (N). Imò si adhibeatur illa, quæ ad excipiendos convivio hospites solet adhiberi, suis communium epularum ferculis instructa, sic filius Parentans penè videbitur suam prodere mentem servien-

di

di Parentibus defunctis, ſicut vivis ſerviebat (O). Unde nihil ibi cum ara & cum Templo commune eſt.

Quod attinet ad ſuffitûs menſam, odorum vas, candelas, &c. hæc apud Sinas non tantùm ad mortuos, ſed etiam ad vivos colendos adhibentur; ut dum quotannis Magiſtratus in fine anni Sinici, Imperiale ſui officii ſigillum in ciſtula publicè claudunt, & in principio extrahunt; item dum in ſolſtitio hiemali Imperatoris nomen, tabulæ affixum, proni venerantur; tunc candelæ, ſuffitus, odores adhibentur. Sic hiſce præteritis annis dum Imperator viſitabat provinciam Nankinenſem, paſſim in plateis ad eum excipiendum menſæ erectæ cum candelis, ſuffitu, floribus, &c. viſebantur. Imò dum ſupremus Inſpector duarum Provinciarum ad aliquem locum appellit, id etiam quandoque fit. Item dum Regulus mittit libellum ad Imperatorem, aut ejus ſcriptum accipit; & dum Mandarini ad eum mittunt pro novo anno, aut pro die natalitio libellum gratulatorium, apponitur menſa ſuffitûs; repetitæ fiunt genuflexiones, corporis proſtrationes, libellus proceſſionaliter in thenſa defertur, & aliæ multæ ceremoniæ (P).

Sed ut ex uno alia colligi poſſint, hîc lubet ponere ad longum Ritus pro Mandarinis, qui in ſolſtitio hiberno, in principio anni novi, in die natali Imperatoris debent ad eum mittere libellum gratulatorium aut apprecatorium, præſcriptos. Sic ergo liber *Ta mim hoei tien* tomo 75. præſcribit:

Quicumque Præfectus extra Curiam, degens (v. g. Pro-Rex), mittit libellum gratulatorium, ſeu apprecatorium, pridie curet comunem aulam, ac plateam ſericis voluminibus, faſciis, alióque apparatu exornari. Omnes Mandarini tum civilis tum militaris diſciplinæ, præmittant ſolitam rerum præſcriptarum abſtinentiam; (quidam Europei hanc malè vocant *jejunum*, ut infrà dicam) corpus lavent, pernoctent in ſuo proprio tribunali, (id eſt, ſeparati ab uxore). Die præfixo, ſummo mane in medio anterioris aulæ præparetur thenſa imperialis. In duobus ſuggeſtis extra portam, hinc & hinc exſtent cymbaliſtæ, aliique inſtrumentorum pulſatores. Ante thenſam imperialem ponatur libelli gratulatorii menſa, & ante hanc alia menſa ſuffitûs. Locus Latoris, ſive Mandarini, qui portaturus eſt in Curiam libellum, deſignetur ad orientale latus thenſæ. Omnes Mandarini ad primum tympani pulſum ſe veſtiant; ad ſecundum, primus Mandarinus, id eſt, mittens

tens libellum apprecatorium, se vestiat, & accedat ante mensam suffitûs, (dirigente semper aliquo ceremoniarum Magistro); sigillo nitidè terso muniat libellum cum suo sacculo, ponátque eum super mensam. Tum retro siparium secedat. Ad tertium tympani pulsum omnes Mandarini se disponant in suo ordine, & simul reverentiam exhibeant; edatur Musica, ac quater profundiorem corporis inclinationem faciant. Cessante Musicâ, primus Mandarinus per orientales scalæ gradus ascendat, & accedens ante mensam suffitûs genua flectat, omnibus aliis Mandarinis etiam in genua procidentibus. Unus Ministrorum flexis genibus tradat libellum gratulatorium primo Mandarino; & hic flexis etiam genibus eum tradat Mandarino Latori, qui pariter flexis genibus eum excipiat, ac deponat in thensa imperiali seu gestatorio ferculo; omnésque Mandarini se prosternant. Dein surgant. Primus Mandarinus redeat ad locum, & leviorem exhibeat reverentiam. Edatur Musica, omnésque Mandarini quater profundiorem corporis inclinationem præstent. Fiat ter tripudii saltus, & ter fausta ac festiva acclamatio. Rursus se prosternant Mandarini; surgant; edatur Musica; quater profundiorem corporis inclinationem faciant. Cessante Musicâ, cymbalistæ, tympanistæ, aliique instrumentorum pulsatores ac omnes Mandarini suis vestibus induti, præeuntes viam monstrent. Post thensam imperialem (in qua nempè deportatur libellus gratulatorius) parumper ad latus orientale sequatur Mandarinus libelli lator, id est, is qui illum debet ad Imperatorem deferre. Dum venitur ad Urbis suburbium sive extra Urbem, deponatur thensa ad meridiem vergens, (scilicet Sinicorum Regum, Principum, ac Magistratuum more) omnibusque instrumentorum pulsatoribus ac Mandarinis in suo ordine dispositis, primus Mandarinus accipiat libellum, (id est, ex thensa) & tradat Mandarino latori. Hic conscenso equo, illum excipiat, statímque viam arripiat, omnibus Mandarinis ordine recedentibus. Hactenus prædictus liber.

Hîc in ceremoniis merè politicis, non tantùm vides suffitum ac suffitûs mensam, & tales cultus, quales siquis ignarus Christianus Europæus videret, ratus fortè non posse fieri majores in supplicatione Sacrarum Reliquiarum, statim ob hanc causam illos superstitionis ac idololatriæ condemnaret; cùm tamen manifestè ad cultum & observantiam merè civilem pertineant.

Hic etiam per transennam revocare licet cultum illum, quem Sinæ erga ligneam tum defunctorum Parentum, tum Benefactorum suorū Tabellam similibus, ac penè iisdem ceremoniis adhibent, ut inde colligas eum pari modo esse dumtaxat civilem, non religiosum. Sed redeo ad suffitûs mensam & candelas.

Insuper Sinæ pro dono genethliaco inter alia ad gratulandum offerunt candelas, & ipso natalis die inter epulandum apponitur particularis mensa cum suffitu, lignis aromaticis, candelis, florum fasciculis. Nihil ergo illa suffitûs Mensa, Candelæ, Candelabra habent ad superstitionem spectans; cùm enim ea passim in China adhibeantur ad colendos vivos, multò magis possunt adhiberi ad colendos mortuos; imò dum adhibentur pro mortuis, est ad imitandum viventium Ritum ac morem; unde patet quàm malè nomenclatura *Templi* illi Parentali domui affigatur.

Objicies 3. ubi primùm confectum est Parentale ædificium, inquit liber Rituum, pecudis occisæ sanguine illinitur, uti & omnia celebriora ejus vasa (Q); sed hoc est superstitiosum; ergo &c.

Resp. Istam Ceremoniam non haberi in libro Rituum domesticorum; atque ita, uti sæpius interrogando audivi, illa nunc non fit; nec videtur unquam adhibita fuisse, nisi in Parentalibus Imperatorum aut Regulorum Domibus; nam ibi liber Rituum citatus, agit tantùm de Parentali Imperatoris Palatio; additque Interpres *Chin hao*, ideò illiniri, ut suus erga intelligentis Spiritûs seu Defuncti Domum honor ac veneratio demonstretur (R). Jam verò an alius sinister ac superstitiosus finis ac motivum illam domum sic illinendi fuerit, non potest sat sciri. In libro Memcii, nova campana ad usum Palatii Regii recèns fusa, jubetur etiam ovis sanguine illiniri (S); uti & nunc novæ Campanæ porcino, aut alio sanguine passim illinuntur, ut parvæ rimæ obturentur, atque fractionis periculo occurratur. Si hic ergo aut similis fuit finis ac motivum illinendi illud Parentale ædificium & ejus vasa, v. gr. ad cerussam superaddendam, ad concavitates obturandas, ad augendam firmitatem, &c. tunc certè nihil ibi superstitionis.

Dictionarium quidem *Ta tsu guei* agendo de ista voce *Hin*, quæ hîc adhibetur ad significandum illum illitum, inter alias multas significationes, (significat enim *oblinire*, *obturare*, *altercari*, *foramen*, *motum*, *peccatum*, *signum*) hanc primo loco ponit sic: pecudis occisæ sanguine aliquod vas illinire, vocatur *Hin*. Sanguis est quid ad obscurita-

ritatem, & quietem spectans; adhibere autem sanguinem ad illinendum, est id, quo insoliti casus aut mutationes reprimuntur, & ominosæ rimæ teguntur (T). Et liber Rituum tom. 3. Cap. *Yue lim*, præscribit, ut secundo hiemis mense, primus Annalium Præfectus illinat testudinem assatam, & herbarum *Xi* calamos. Ad hunc autem libri Rituum locũ sic Interpres *Chin hao*: olim, inquit Doctor *Fum*, postquam vasa erant confecta, sanguine illinebantur ad expellenda seu avertenda infortunia (V). Deinde alius liber sic: quando equi unà diu stabulantur: contrahunt morbos contagiosos; ideò equi occisi sangvine illinitur equile ad expellendum pravum aërem (X). Itaque si illi Prisci in illinendo Parentali ædificio, (nam Dictionarium & citati libri de illo ibi non agunt in particulari), habuerint intentionem effugandi aut avertendi malignorum Spirituum infestationes ac damna, non autem fractionis aut corruptionis mala, tunc ille illitus erat superstitiosus; cùm supponatur DEUS non promisisse, vel dedisse illi ad hunc effectum virtutem, uti olim dederat fumo incensi jecoris piscis, quem Raphael Angelus jussit Tobiam apprehendere. Sed quamvis ille illitus ex malo illinentis motivo ac intentione esset superstitiosus, non tamen sequitur, quòd Parentale ædificium ex eo ita esset factum superstitiosum, ut posteà non posset servire ad finem bonum, nec eo quis posset uti ad honestum cultum. Quemadmodum si quis gladium, quo alium læsit, oleo illinat, ut læsus longè absens recuperet sanitatem; licet ille illitus seu unctio sit superstitiosa, non tamen sequitur, quod iste gladius sit ita effectus superstitiosus, ut non possit homini esse usui ad bonum, & ordinarium ejus finem. Ita in nostro casu. Sed quidquid sit de illius illitûs intentione ac motivo, cùm nunc non fiat, parum aut nihil facit ad nostrum propositum. Imò quocumque motivo tunc fieret, non tamen efficiebat, ut istud Parentale ædificium inde evaderet in se superstitiosum, & honestus illius usus proscriberetur; atque ita ex omni parte non est in se superstitiosum. Sive ergo consideres primam Parentalis ædificii institutionem, sive illius motiva subsequentia, sive illius usum passivum, nihil habet nec cum Fanis idolorum, nec cum Templis DEI, nec cum Sacellis aut Cappellis, nec cum Aris commune; adeóque videtur ab omni superstitione aut idololatria liberum: ex nullo enim motivo refertur ad cultum, qui DEO adversatur vel disconveniat propter summam ejus excellentiam.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. Domeftic. tom. 7. fic: Catalogus omnium inftrumentorum ad Parentalem Ceremoniam *cy* neceffariorum: fedes, menfæ, lances, fcutellæ, crateres, fcyphi, vini pocula, vini amphoræ, vini cærulei feu aquæ amphora, geftatoria dapum fulcra feu vehicula, paxilli comeftorii, potûs *Cha* cyathus & vas, geftatorium pecudis occifæ, (fi adhibeatur) fulcrum, foculus jufculi, vafa cum fuis fulcris, pelvis, mantile, velum (fi non fit porta), fuffitûs menfa, vas ad ponenda odoramenta cum fuo cochleari, odoramentorum capfula, candelabra cum fua pelvi, herbarum *Mao* fafciculi arenæ immixti; fcilicet unus ad unamquamque quatuor generationum menfam & fuffitûs menfam, atque ità vniverfim quinque fafciculi; tabella ad affigendam Ceremoniæ *cy* formulam.

Paulò pòft fic: die Ceremoniam *cy* præcedente difponantur loca; in unoquoque loco exponantur duæ fedes cum una menfa. Paulò infrà fic: exponantur etiam fercula, & ad horum partem orientalem mortuarius lectus.

B. 2. Lib. Rit Domeftic. tom. 7. fic: catalogus rerum apponendarum: Pecus, fcilicet vel capra, vel ovis, vel porcus, vel gallina, anfer, anas; muftum vel vinum, bellaria, legumina, condimenta, acetum, frumenti & orizæ farina, potûs *Cha* vafcula, pifces, caro falfa ac ficcata, pulmentarium.

C. 3. Lib. Rit, Imperii *Cheu* tom. 1. *Tien quon*, art. *Ta tſay* fic Interpres *Chim*: ipfâ Ceremoniæ *cy* die, fummo mane adducitur pecus, & de eo mactanda fit denuntiatio, nempe Defuncti Tabellæ; pofteà culinæ Præfecto traditur.

C. 4. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 24. *Cy y* fic: Ceremoniæ *cy* die, ipfe Rex feu Imperator fune trahit pecudem, ejus filio unà fimul ad latus trahente. Primarii Aulæ Miniftri, in fuo quique ordine fequuntur. Poftquam pecus Parentali ædificii portæ fucceffit, alligatur ad foramen lapideæ columellæ. Unus ex Primariis Aulæ Miniftris veftem exteriorem exuit, & iftius bovis pilos auris abfcindit; quódque magni fit, eft auris. Deinde cultro, ex quo tintinnabulum ad confonantiam dependet, iugulatur, accipitúrque inteftinorum adeps. Tum ad bre-

ad breve tempus receditur. Posteà præsentatur istius bovis caro cruda, & caro semicocta, atque abitur. Hæcque est summæ venerationis demonstratio.

D. 5. Lib. *Ta mim boei tieu* tom. 19. sic ait : sub auroram &c. ut in contextu.

E. 6. Lib. Rit. tom. 8. Cap. *Cy y* Interpres *Chin hao* sic : ubi jam jam mactanda est pecus, accipiuntur laterales auris pili ad eos coram Spiritûs seu Defuncti Tabella præsentandos ; & pili quidem, ut fiat denuntiatio Spiritui seu defuncto de pecudis integritate ; per aurem verò, quæ est organum auditûs, Parentans exoptat, ut Spiritus seu Defunctus audiat.

E. 7. Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *sin nan Xan*, sic compendiosa Interpretum compilatio : ipsemet filius Parentans arripit cultrum tintinnabulo instructum ad abscidenndos istius pecudis pilos auris, ut faciat denuntiationem Spiritui seu Defuncto, (id est, ad ejus Tabellam) de ejus perfectione. Accipit ejus sanguinem, & in vase apponit, ut faciat denuntiationem de ejus occisione ; sive ut denuntiet eam non ex morbo esse mortuam. Deinde accipit ejus adipem, & eam cum herba odorifera *Siao* comburit, ut suavem suffitum ac bonum odorem præbeat.

E. 8. Lib. Rit. Tom. 3. Cap. 6. *Yue lim* sic : hoc mense Imperator jubet armenti Præfectum cum Præfecto *Cho* seu Ceremoniæ *cy* Lectore, lustrare omnes pecudes, Ceremoniis *cy* destinatas, & inspicere, utrùm sint integræ ac bene dispositæ. Ad quem locum sic Interpres *Chin hao* : Præfectus *Cho*, id est, is, qui facit denuntiationem Spiritui aut Defuncto. *Integræ*, id est, impermixti & boni coloris. *Bene dispositæ*, id est, nulla corporis parte læsæ aut imminutæ.

E. 9. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem* : pili & sanguis accipiuntur ad faciendam denuntiationem Defuncto, seu Spiritui de pecudis obscuritate seu interioritate, & integritate ; facere autem denuntiationem de pecudis obscuritate, & integritate, est modus magnifaciendi totalem alicujus rei perfectionem. Ad quem locum sic Interpres *Chin hao* : dum pecus mactatur, priùs ejus pilis, ac sanguine fit denuntiatio Defuncto seu Spiritui ; quia sanguis est aliquid intrinsecum, ideò dicitur cum eo fieri denuntiatio Defuncto seu Spiritui de pecudis obscuritate ; quia autem pili sunt aliquid extrinsecum,

F 3 ideò

ideò dicitur cum illis fieri denuntiatio de pecudis integritate; magnifacere autem totalem alicujus rei perfectionem, est spectare, ut illa intus & foris sit omninò bona, ac perfecta.

F. 10. Lib Rit. tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem* sic: præsentatur sanguis ad patefaciendam vitalis auræ, quam pecus habebat, abundantiam, seu vitalium spirituum abundantiam. Tum Interpres *Chin hao*: illa res, quæ & sanguinem, & vitalem auram habet, dicitur vivens. Sanguis ex vitali aura succrescit; ubi res aliqua moritur, mox vitalis aura perit, sanguísque simul arescit. Quocircà præsentatur sanguis ad demonstrandam istorum vitalium spirituum abundantiam.

Vide etiam hîc suprà num. 7. & 9. litterâ E.

G. 11. Lib. Rit. Domestic. tom. 7. glossator *Tam* in Ceremonia *cy* pro antiquioribus ultra quartam generationem Avis, quæ, ut ibidem dicitur, vel nunc non fit, vel raró, sic: pridie sub vesperam, (scilicet nunc; olim ipso die mane, suprà), occiditur pecus. Sed priùs illam inspecturus Pater-familias, seu primogenitus parentans it ad ejus locum; illâ inspectâ & occisâ, cum pilis abscissis & sanguine componit unum ferculum; aliud cum capite & corde, aliud cum pulmone ac jecore, aliud cum adipe & attrita herba *Hao*, aliter dictâ *Siao* benè siccata, vel cum attrito ligno aromatico simul mixtis; duo alia parua cum minutali jecoris; & alia duo similia cum minutali pulmonis. Præterea adhibetur simplex carnis jusculum, & aliud jusculum leguminibus mixtum, utrumque in scutellas infusum, non tamen omninò coctum. Mactata pecus in suo magno disco ponitur. Dum propria libri Rituum domesticorum interpretatio præscribit totius pecudis sinistram partem, relictâ dextrâ parte integrâ, (hæc olim ante personatum Spiritum apponebatur) partiendam esse in undecim partes seu fercula, hac in re priscum Ritum sequitur. Sed cùm iste liber Rituum domesticorum in Ceremonia *cy* adhibeat vulgaria præsentis temporis vasa, ut sumptibus parcatur, etiam in ista pecude & similibus mihi videtur nihil obstare, quominùs priscus Ritus non adeò exactè servetur. Certè in solemnibus Regni Ceremoniis *cy*, quæ fiunt viris Principibus, nunc pecus integra adhibetur; in inferioribus autem, & secundariis, ad singulas ligneas Tabellas, pars unicuique divisa apponitur; & nunc sic morem esse mutatum arbitror.

H. 12.

H. 12. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 9. *Ly yun* sic Interpres *Chin hao*: cum antiquitùs nullus vini usus adhuc esset; utebantur aquâ ad præsentandi Ritum peragendum; idcircò posteriores Imperatores in honorem Antiquitatis, eam nomine honorario appellârunt vinum cæruleum.

I. 13. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 9. *Ly yun* sic: adhibere vinum cæruleum in Ceremonia *cy*, nempe aquam limpidam; præsentare seu apponere pecudis sanguinem cum pilis, ac ferculum carnis crudæ; deinde coquere carnem aquâ, sternere storeas subtiliores ac rudiores, uti cannabino poculi operculo, induere vestes colore tinctas, conficere mustum & vinum subalbidum pro dicta Ceremonia, apponere carnem tostam & assatam, Rege & Reginâ alternatim præsentante, ad corpus & animam Defuncti magnificandam: hoc vocatur aliquam mentis conjunctionem in profunda ac mysteriosa caligine habere. Posteà ad brevem moram recedere, carnes crudas cum prioribus semicoctis bene coquere ac condire, partiri carnes caninas, porcinas, bovinas, ovinas, aut caprinas in varia fercula, implere oriza ac milio vasa lignea & cannea, præparare tum simplex, tum permixtum leguminibus carnis jusculum, ceremoniarum Præfectum *Cho* seu Lectorem obsequiosa Parentantis filii verba deferre ad Spiritûs seu Defuncti Tabellam, & appreeatoria Spiritûs (nempe personati) verba deferre ad filium Parentantem, hoc vocatur magna probitas ac honestas.

Ad hunc locum sic Interpres *Chin hao*: illa verba *præsentare seu apponere pecudis sanguinem cum pilis*, significant: dum mactatur pecus, accipiuntur ejus sanguis ac pili, deferuntúrque ad faciendam denuntiationem in conclavi ad Spiritûs seu Defuncti Tabellam. *Apponere autem ferculum carnis crudæ*, hæc significant, postquam mactata est pecus, infertur ferculum carnis crudæ, & apponitur ante personatum Spiritum. Itaque hæc tria: præsentare vinum cæruleum seu aquam, apponere sanguinem cum pilis, & apponere ferculum carnis crudæ, fiunt ad imitandum antiquissimi temporis ritum. Quæ sequuntur autem, nempe *coquere carnem aquâ* &c. hæc sunt mediæ antiquitatis Ritus. Denique *ad moram brevem recedere*, & reliqua usque ad finem sunt consueti recentioris temporis Ritus.

Ibi-

Ibidem idem Interpres sic: proprium personati Spiritus ferculum, est illa dextra pecudis occisæ dimidia pars. Reliquæ carnes in hac non comprehensæ, uti & sinistra istius pecudis dimidia pars, & similia, etiam in magno lebete coquuntur, benéque condiuntur.

I. 14. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 9. *Ly yun* sic: Prisci olim Imperatores cùm nullus adhuc esset palatiorum & domuum usus, hieme habitabant in effossis terræ cavernis; æstate mapalia ex ramorum & lignorum fragmentis confecta incolebant; cúmque nullus etiam adhuc esset ignis usus ad coquendum; vescebantur plantarum & arborum fructibus, crudásque volucrum ac pecudum carnes comedebant, earum sanguinem potabant, pilósque carni inhærentes, utpote qui extrahi penitus non poterant, unà deglutiebant. Insuper quia nullus adhuc erat cannabis & serici usus, ideò avium plumis pecorúmque pellibus vestiebantur. Posteà verò cum Principes virtute, & scientiâ inclyti exurrexissent; tunc habita est sua ex igne utilitas; luteorum & metallicorum vasorum formæ inventæ ad exstruenda solaria, turres, domos, portas, fenestras, ad carnes coquendas, assandas, condiendas, torrendas; ad conficiendum vinum, & acetum. Dein inventus modus curandi cannabē & sericum ad telas texendas. Quæ ergo nunc fiunt ad suppeditanda Vivis alimenta, ad persolvenda Defunctis justa, ad præstandum Spiritui destruenti & producenti cæli Domino *Xam Ti* seu Spiritibus & cæli Domino cultum; hæc omnia ab istis principiis suam normam acceperunt.

I. 15. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 94. sic: præteriti Doctores existimant appositionem sanguinis, pilorum, ac carnium crudarum, esse appositionem escarum, quibus in antiquissimis temporibus homines vescebantur. Appositionem verò carnis caninæ, porcinæ, bovinæ, ovinæ, cum aliis prioribus semicoctis bene coctæ, quæ post modicam moram fit, esse appositionem escarum, quibus in præsenti tempore homines vescuntur.

K. 16. Vide hîc suprà numerum 11. litterâ (G).

L. 17. Hæc à peritis actualium urbanitatum sui Regni Sinis accepta, sic: in solemnibus conviviis præter epulas ad esum convivantium necessarias, ante invitatum hospitem nunc apponuntur aliæ mensæ, supra quas exponuntur varia marina bellaria cruda, salsæ ac siccatæ carnes crudæ, volucres crudæ, pecudum recèns mactatarum carnes crudæ, ex farina & sac-

& facchare confecta bellaria, ludricæ aulæ & portæ patulæ ex ferico erectæ; hominum, aliarúmque rerum figuræ, v. g. leonis, cervi, elephantis, ciconiæ &c. ex facchare, ceterisque adjunctis confectæ. Hæc autem omnia exponuntur eodem modo, quo in Parentalibus Ceremoniis; illáque mensa, vel mensæ vocantur *aspectûs mensæ*, sive ad aspectum. Post convivium ista omnia deferuntur in domum hospitis. Jam verò si homini in hac vita degenti ista exhibeantur & offerantur omni cum sinceritate ac reverentiâ, eccur igitur potiori jure Defunctis ad explendam suam sinceritatem, ac reverentiam exhiberi, præsentaríque non possint? ita illi.

L. 18. item hæc quæ infra singillatim recenseo ac enumero, accepi ab ipsomet Mandarini Ministro, qui singulis trienniis curat ea emi. Sic ergo:

Dum singulis trienniis in urbe *Nan cham*, Metropoli Provinciæ *Kiam si*, (idem fer judicium de aliis regni Metropolibus) politicæ disciplinæ & ærarii Præfectus Provincialis, binos Pekino missos Præfectos sive Examinatores ut præsideant Bacchalaureorum ad licenciatûs gradum promovendorum examini; insuper & pro-Regem, Militiæ Magistrum, aliósque Magistratus, ac novos licentiatos seu recèns in hoc examine, licentiatûs laureâ donatos, sumptibus Regiis convivio excipit; præter mensás, quibus accumbitur ad edendum, sextuplex aliarum mensarum ordo apponitur, coram istis duobus delegatis Examinatoribus, pro-Rege, ac Militiæ Magistro; (hujus mensa apponitur, licet ipse non veniat); coram autem aliis Præfectis, juxta cujusque Magistratûs gradum, pauciores mensæ apponuntur. Hæc mensæ vocantur, ut jam dixi, *Mensæ ad aspectum*. Itaque ante cujusque Examinatoris regii mensam, in qua ipse comedit, (idem est de Pro-Rege, & aliis) hoc ordine sex aliæ mensæ apponuntur:

Prima mensa ad aspectum, instructa est quinque fructuum, maximè aqueorum, generibus.

Secunda, instructa est duobus grandibus discis, & in singulis discis sunt quatuor ferica volumina.

Tertia, instructa est quinque grandibus discis, in quibus hominum, aliarúmque rerum figuræ ex facchare confectæ, & intùs vacuæ prostant.

Quarta, habet turriculam ferico, & variis coloribus ornatam.

Quinta, instructa est quatuor discis, in quorum 1. est anser deplumis

mis præter caudam, insufflatus, integer, crudus, recens. In 2. est anas, & gallina deplumes, &c. ut anser. in 3. recens armus porci crudus. In 4. recens armus capræ, vel ovis crudus.

Sexta, cui antipendium sericum ac florigerum appenditur, est instructa quatuor discis; in quorum 1. est anser evisceratus, salsus, siccus, crudus. In 2. anas & gallina eviscerati &c. ut anser. In 3. perna porcina, non cocta. In 4. perna caprina, vel ovina non cocta.

M. 19. vide hîc suprà num. 1. litterâ (A).

N. 20. Lib. Rit. Domestic. tom. 7. agendo de ferculis pro Ceremonia *cy* Parentum defunctorum requisitis, sic glossator *Tam*: quod quidem attinet ad Ritus inserviendi Mortuis sicut Vivis, inserviendi non subsistentibus sicut subsistentibus, illa omnia fercula quæ præscribit liber Rituum domesticorum, non sunt etiam illi prisci ante & sub tribus Imperiis *Kia*, *Xam*, *Cheu* præscripti Ritus; sed tantùm sunt ii, qui communiter & vulgò adhibentur. Unde siquis velit parcere sumptibus, illas ipsas mensas, quæ nunc in conviviis solent passim adhiberi, aut illas, quibus Parentes in vita uti consueverant, etiam potest adhibere.

O. & paulò infrà sic: si mensæ juxta communes præsentium temporum urbanitates adhibeantur; maturè super illas, suo ordine lances disponantur, coquatur oriza, condiantur juscula, calefiat vinum; quotiescumque vinum præsentatur & apponitur, illa jusculorum orizæque fercula inferantur, non secus ac in ordinariis sæcularium conviviorum Ceremoniis; hoc modo mihi etiam videtur quasi significari mens inserviendi Mortuis, sicut Vivis. Ibidem sic: si adsit pecus occisa, his mensis alia præponatur ad imponendum istius pecudis ferculum; si non adsit, illa mensa omittatur.

P. 21. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 58. agens de Regulo missuro Præfectum, qui libellum supplicem ad Imperatorem deferat, hæc præscribit: palatium Reguli, urbis plateæ, compita priùs ornentur appensis sericis voluminibus, tapetibus, & alio apparatu. In medio Palatii erigatur Imperialis Aulæ vestibulum; antè hoc ponatur mensa libelli supplicis, & ante hanc mensa suffitûs, ad cujus utrumque latus duo sint præfecti pro gerenda suffitûs cura. In medio Aulæ sit locus Reguli pro exhibendis reverentiis. Post hanc locus Procerum; & uterque vergat ad Boream. A dextris & à sinistris

quo

duo Magistri Ceremoniarum, transverso ad se invicem vultu. Locus Latoris libelli, ante mensam suffitûs ad Ortum; & duo Ministri ante eamdem ad Occasum, alter tenens libellum, alter libelli sacculum seu involucrum. Im medio ad Austrum Palatii, stet thensa Imperialis; ante hanc Musicorum Chorus, & instrumentorum Pulsatores. Illo die summo mane Præfecti, qui Sigilli Regii curam habent, illud exponant supra mensam in medio Palatii positam, & ritè tergant ad eo muniendum & libellum & illius sacculum, utrumque super mensam appositum. Tum Regulus coronâ & veste regia indutus, cum suis Proceribus ac Præfectis etiam aulicè vestitis, post appositum sigillum, flavo libellum, & rubro sacculum operculo involuens, utrumque thecæ includat; & utrumque cum sua theca unus Præfectorum supra mensam deponat. Deinde ipse Regulus & Lator capiant suum locum. Tum Regulus ac Præfecti, dirigente & acclamante Ceremoniarum Magistro vel Magistris, accedant ad locum, in quo reverentiæ sunt exhibendæ. Edatur Musica. Binam reverentiam exhibeant. Cessante Musicâ, Regulus accedat ad mensam suffitûs, flectat genua simul cum omnibus Præfectis, térque suffitum offerat, (nempe coram libello); quo peracto aliquis Præfectus libellum accipiens, versâ ad Ortum facie, sive à parte occidentali, flexis genibus eum tradat Regulo; Regulus acceptum tradat Latori; Lator flexis genibus, versâ ad Occasum facie, sive à parte orientali, illum accipiat, & surgens eum deponat super mensam. Regulus surgens & ad locum suum redux, profundam faciat reverentiam. Edatur Musica. Regulus simul cum omnibus Præfectis profundam quater exhibeat reverentiam. Cessante Musica, prædictus Præfectus accipiens libellum cum suo sacculo præeat, ac eum imponat intra Thensam Imperialem, seu gestatorium ferculum. Præcedentes Tympanistæ, & alii instrumentorum Pulsatores viam monstrent; Regulus comitetur usque ad portam Palatii; Proceres ac Præfecti usque ad urbis portam; & tunc Lator suum iter aggrediatur.

Item in eodem tomo 58. libri *Ta mim hoei tien* præscribitur modus, quo Regulus debeat excipere Imperiale scriptũ, denuntians vel acceptam Imperii possessionem, vel factam Principis Heredis institutionem, vel collatam Reguli dignitatem, sic: in publico hospitio extra urbem erigitur tabernaculum, & adornatur sericis voluminibus, splendido-

que cultu, uti & urbis plateæ. Ibidem præparatur Imperialis thensa, seu gestatorium ferculum cum suffitûs mensa. Procul ab urbe excipit illud scriptum aliquis Præfectus, qui delatum ad præfatum hospitium imponit thensæ Imperiali; & postquàm illuc advenit Regulus, corona & veste regia indutus unà cum suis omnibus Proceribus ac Præfectis, quiniesque ei profundam corporis inclinationem exhibuit, processionaliter in thensa, resonantibus cymbalis & musicis instrumentis, defertur ad medium palatii Reguli; & ibi Regulus flexis genibus acceptum à Præfecto etiam flexo suffitum, ter offert coram scripto Imperiali, reliquis omnibus præfectis pariter in genua provolutis: deinde omnes ante & post illius lectionem seu promulgationem sæpiùs se prosternunt. Quo lecto, fit repetita acclamatio *Uan sui*, id est, fausta multorum annorum ac longævæ apprecatio, concomitante tripudio, ac musicis instrumentis.

Q. 22. Lib. Rit. tom. 7. Cap. 21. *Tsa ki hia* sic: ubi primùm confectum est Parentale palatium, statim oblinatur, vel ejus rimæ obturentur. Paulò pòst: omnia Parentalis palatii vasa speciali nomine insignita, ubi confecta sunt, sanguine porcino oblinantur, vel eorum rimæ obturentur.

R. ibid. Interpres *Chin hao* sic: ubi primùm confectum est Parentale ædificium, mox pecudis sanguine illinitur, ut suus erga intelligentis Spiritûs seu Defuncti domum honor, ac veneratio demonstretur,

S. 23. Lib. 1. Memcii Cap. 1. *Leam hoei uam* sic: Regulus *Siuen uam* cùm forte vidisset tremiscentem trahi bovem, interrogavit quò ille traheretur? responderunt trahi ad mortem, ut ejus sanguine rimulæ recentis campanæ oblinerentur; (in Palatio regio vel ad mensam, vel ad affatum, vel ad alia tangi solebat campana). Tum Regulus: illum, inquit, dimittite liberum &c. & cum ove permutate.

T. 24. Dictionarium *Ta tsu guei* in littera *Hin* sic: pecudis occisæ sanguine aliquod vas illinire, dicitur *Him.* Sanguis est quid ad obscuritatem & quietem spectans. Adhibere autem sanguinem ad illinendum, est id, quo insoliti casus aut mutationes reprimuntur, & ominosæ rimæ teguntur &c. Insuper significat quamcumque sanguinis appositionem, rimam, foramen, altercationem, motum, peccatum, signum prævium, illitum; uti liber Rituum Imperii *Cheu* (scilicet tom. 3. *Chun quon* art. *Cham gin*) sic ait: *Posteà cadaver vino aroma-*

aromatico illinatur; vult dicere, in solemni viri illustris funere, postquàm cadaver aquâ lotum fuit, posteà vino aromatico oblinitur ad gratum odorem efflandum.

V. 25. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 6. *Yue lim* sic: hoc secundo hiemis mense, jubeatur primus Annalium Præfectus illinire testudinem assatam &c. ùt suprà in contextu.

X. 26. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom. 4. *Hia quon* art. *Yu su* sic Interpres *Chin gin sie*: quando equi unà diu stabulantur, contrahunt &c. ùt suprà in contextu.

QUÆSTIO II.

An Parentalis Palæstra, quam antiquo suo Magistro Confucio Sinæ exstruunt, sit superstitiosa?

Paragraphus I.

An sit superstitiosa ex motivo, seu fine suæ primævæ institutionis?

RESp. & dico non videtur hæc Palæstra esse superstitiosa ex motivo suæ primævæ institutionis. Probatur: hoc motivum non tantùm debet inquiri à motivo, quo prima Confucii Parentalis Palæstra erecta est; sed etiam & maximè à motivo, quo primæ in China Palæstræ, Confucianam longè antecedentes, in quibus, ut in Confuciana, fiebat Ceremonia *cy* priscis Sapientibus, antiquitùs erectæ fuerunt; cùm ad harum similitudinem Confuciana sit erecta. Itaque Sinicarum palæstrarum communium simul & Parentalium origo, institutio, progressus hic est: Antiquitùs viginti quinque domus in aliqua platea aut vico vocabantur *Liu*; in capite plateæ aut vici erat porta; ad latus portæ erat parva schola dicta *Xo*, in qua electus ex illo vico, vel

vel platea vir, doctrinâ & virtute præstans, Magistrum agebat. Quingentæ domus vocabantur *Tam*; ubi habebatur alia schola dicta *Ciam*, ad quam ascendebant ii, qui in vici schola *Xo* satis profecerant. Deinde bis mille & quingentæ domus vocabantur *Cheu*; ubi rursus habebatur alia schola superior dicta *Siu*, ad quam ascendebant ii, qui in schola *Ciam* satis profecerant.

Deinde in ipsa urbe regia habebatur suprema schola, in qua filii Imperatoris, Regulorum, Præfectorum, & ii qui in schola *Siu* magnum sui ingenii specimen dederant, studebant: hæc vocabatur *Kiao*. Vici vel plateæ schola erat Parvulorum; tres reliquæ Adultornm (A).

Schola autem Adultorum, temporibus Imperatorum *Fo hi, Xin num, Hoam ti, Chuen hio, Xao hao*, vocabatur *Chin kium*, id est, perfecta æquitas seu Medii institutio (B). Nulla, ut puto, prior hac potest assignari, cùm Princeps *Fo hi* sit Sinarum Conditor; illius autem scholæ motivum patet ex ipso ejus nomine, quo dicitur illa erecta fuisse ad docendum virtutis Medium seu perfectam æquitatem (C). Sed ad docendum hoc medium, quosnam Ritus in schola Imperatores sancivérint ac servârint, videamus. Imperator *Xun*, uti & sequentes Imperatores, in schola trium Primorum Imperiorum *Hia*, *Xam*, *Cheu* dabant alimenta senibus (D). Hæc Ceremonia sic fiebat: sub finem Veris (E), Imperator adibat primò scholam dictam *Tu ciam*, extra urbem Imperialem ad Occidentem positam (F); & ibi jubebat litterarum Præfectos juxta præscriptos Ritus facere Ceremoniam *cy* priscis Magistris, & priscis Sapientibus (G). Sequenti die ipse in alia schola dicta *Tum ciam*, ad orientalem sui palatii partem sitâ, priscis Senibus defunctis, de Republica olim bene meritis, munera apponebat, sive præsentabat; deinde quibusdam senibus vivis escas & vinum offerebat solemni cum musica, & apparatu in corona suorum Procerum, ac Regulorum, quos posteà in sua regna remittebat, hunc Ritum servare jussos, ut sic suam pietatem per omnia loca extenderet (H).

Jam verò motivum in schola peragendi istam alendorum Senum Ceremoniam, in qua defunctis Senibus bene meritis, uti & priscis Magistris, priscisve Sapientibus Parentales Ceremoniæ *cy* fiebant (I), hoc fuit: quia schola est locus docendi, claréque explicandi filialem erga Parentes observantiam, debitam juniorum erga seniores reverentiam, vitæ

vitæ honestatem, & actionum æquitatem, ideò in illa fiebat dicta Ceremonia (K). In alendis enim Senibus debita filiorum erga Parentes observantia, ac sustentatio demonstratur (L). Unde patet principale instituendi istarum primarum scholarum, (quæ, prout serviebant ad Parentandum priscis Magistris ac priscis Sapientibus, nuncupari possunt Parentales,) motivum fuisse, ut haberetur locus, in quo doceretur, claréque explicaretur filialis erga Parentes observantia, debita juniorum erga seniores reverentia, vitæ honestas, actionum æquitas; idcireò quotiescumque Imperator creabat novum Regulum; statim eum jubebat in concesso Regno palæstram erigere, priscísque Magistris ac priscis Sapientibus sericum volumen, vel potius serica volumina præsentare (M); munus nempe ordinarium, quo viventes utuntur, dum se invicem invisunt, ut passim videre est in libro *Y ly*, id est, urbanitatum & Rituum. Imò quotiescumque nova palæstra erigebatur, statim sericum volumen priscis Magistris, ac priscis Sapientibus præsentabatur; ac deinde quædam legumina (N). Nimirum quia olim discipuli, dum suum Magistrum invisebant, ei pro munere legumina offerebant (O). Jam verò in hoc institutionis motivo, non tantùm nulla superstitiosa, sed nec ulla turpitudo apparet; imò contrà illud spectat moralis virtutis honestatem, ac instructionem.

Postea volventibus sæculis in singulis Chinæ urbibus, intra septa publicæ domûs litterarum Præfecti, quæ domus etiam dicitur urbis schola, erecta est Confucio Parentalis palæstra. Voco *palæstram*; quia in suo frontispicio gerit hanc inscriptionem: *Sien su miao*, id est, *prisci Magistri* (non proto-Magistri, ut quidam Europæi malè verterunt) *repræsentatio.* Nam ista vox *Miao*, ut vidimus suprà, significat *repræsentare, referre alicujus speciem, indicare aliquid per similitudinem*; nimirum est repræsentatio Confucianæ palæstræ, vel potiùs prisci Magistri Confucii in Palæstra docentis. Unde in versuum strophis, quæ, dum fit solemnis Ceremonia *cy* Confucio, decantantur, illa vocatur *Hio kum*, id est, scholæ aula, & alibi vocatur primaria schola (P). Adeóque palæstra potest dici, non Templum aut Fanum. Hæc palæstra septi medium occupat, & ad ejus latus intra septum stant ædes urbici litterarum Præfecti, non provincialis, sive non illius qui Studiosos examinat ad gradum Bacchalaureatûs.

Jam

Jam verò cùm hæc palæstra Confuciana sit erecta ad similitudinem illarum antiquarum, in quibus dona præsentabantur priscis Magistris ac priscis Sapientibus; ergo motivum eam erigendi fuit etiam idem, ac motivum, quo illæ antiquæ erectæ sunt; sed in motivo erigendi seu instituendi illas antiquas nulla apparet superstitio; ergo nec in motivo instituendi hanc Confucianam. Quod etiam fuerit idem motivum, hinc patet: illæ antiquæ palæstræ, in quibus fiebant Parentales Ceremoniæ priscis Magistris ac priscis Sapientibus erectæ fuerunt ad docendm, claréque explicandam filialem erga Parentes observantiam, debitam juniorum erga seniores reverentiam, vitæ honestatem, actionum urbanitatem, ut jam vidimus; atqui ratio cur ab Imperio *Han* huc usque specialiter Confucio, ut prisco Magistro, erecta sit Parentalis palæstra, illíque munera in ea præsententur, vel fiat Ceremonia *cy*, est, quia libros antiquorum Sapientum ac classicos concinnavit, dilucidavit, ordinavit; insuper ipse librum *Chun cieu* seu *Ver* & *Autumnum*, ac libellum de filiali observantia, aliósque composuit ad Sinarum institutionem (Q); Docendo nempe illos filialem erga Parentes observantiam, debitam juniorum erga seniores reverentiam, vitæ honestatem, actionum æquitatem; ergo idem motivum. Sed hoc motivum est honestum, nec in hoc ulla relucet turpitudo aut superstitio; adeóque ista Parentalis palæstra ex motivo ac fine suæ primævæ institutionis non videtur superstitiosa. Et verisimile est in illis antiquis palæstris fuisse etiam locum specialem, seu aulam, in qua istis priscis Magistris ac Sapientibus fiebat Ceremonia *cy*. Quod attinet ad motivum faciendi illis istam Ceremoniam *cy*, mox dicetur in paragrapho sequenti.

Textus Librorum.

A. 1. Doctrina seu schola Parvulorum Cap. 1. *Nuy pien* art. 1. rectæ disciplinæ institutio sic: Antiquitùs 25. domus &c. ut suprà in contextu.

B. 2. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 8. *Uen uam Xi Tsu*, sic Interpres *Chin hao:* ista bina vox *Chin kium*, est nomen, quo Adultorum schola sub quinque priscis Imperatoribus vocabatur.

C. 3.

C. 3. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom. 3. *Chun quon* art. *Ta su yo* sic: hic Præfectus præsit scholæ *Chim kiun*. Tum Interpres *Chin gin sie* sic: summus Musicæ Præfectus, est is, qui præest reliquis Musicæ Præfectis. Ista bina vox *Chim kiun*, est nomen, quo sub quinque priscis Imperatoribus schola vocabatur; vocabatur autem *Chim kiun*, id est, Medii instructio; quia quod in homine deerat, perficiebat, & omnem seu excessum seu defectum ad æquitatem reducebat.

D. 4. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 5. *Uam chi*: Imperator *Xun* nobilibus Senibus in superiori schola, plebeis Senibus in inferiori schola alimenta præbebat. Ad quem locum sic Interpres *Chin hao*: Ritus præbendi alimenta Senibus, in schola fiebat; quia illa erat locus, in quo docetur ac clarè explicatur filialis erga Parentes observantia, debita juniorum erga seniores reverentia, vitæ honestas, actionum æquitas. Nobiles Senes, sunt emeriti senes, magistratu, dignitate ac virtute nobiles; plebeii Senes, sunt è plebe Senes, & ii, quorum filii aut nepotes pro Patria occubuerunt. Superior schola, seu Adultorum schola, tunc ad occidentalem regiæ urbis partem in suburbio sita erat. Inferior schola, id est, Parvulorum schola, tunc ad orientalem regii palatii partem intra urbem sita.

Lib. Rit. ibidem sic: Imperatores trium Familiarum *Hia*, *Yn*, *Cheu* nobilibus Senibus in Adultorum schola; plebeis Senibus in Parvulorum schola alimenta præbebant. (Sed, ùt ibi ait, sub Imperatoribus familiæ *Hia* & *Cheu*, Adultorum schola erat intra urbem ad orientalem regii palatii partem, dicta sub *Hia* familia *Tum siu*; & sub *Cheu* Familia *Tum ktao*;') Imperator *Xun*, tectus coronâ dictâ *Hoam*, faciebat Ceremoniam *cy* (scilicet vel priscis Senibus, vel priscis Magistris ac Sapientibus); sed indutus alba veste vivis Senibus alimenta præbebat. Imperatores Familiæ *Hia*, tecti coronâ dictâ *Xeu*; Familiæ *Yn*, coronâ *Hiu*; Familiæ *Cheu*, coronâ ordinariâ, illis faciebant Ceremoniam *cy*; verùm Imperatores Familiæ *Hia*, nigrâ; *Yn*, albâ veste induti, vivis Senibus alimenta præbebant.

E. 5. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 5. *Vam chi* sic Interpres *Chin hao*: præterea sub finem Veris, solemnissimâ musicâ ac pompâ Imperator post visitatam scholam, etiam Senibus alimenta præbebat.

F. 6. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 8. *Ven uam xi tsu* sic: Imperator dum visitat scholam *Tu ciam*, summo mane tympani sonitu discipuli convocantur, ut illo exciti, statim omnes adveniant; postquam omnes advenerunt, tunc Imperator appellit, jubétque litterarum Præfectos suo fungi officio; Ritus consuetos peragere; prisG cis Magistris ac priscis Sapientibus Ceremoniam *cy* facere. His peractis, à litterarum Præfectis fit certior Imperator de mandati executione; & si tunc nova fit schola, quæ erigatur, præsentantur etiam alimenta: nimirum Imperator adit scholam *Tum ciam*, priscísque Senibus dona apponit seu præsentat. Deinde trium Senum nominatorum, & aliorum quinque abdicato Magistratu illustrium, reliquorúmque Senum celebrium stoream ipse sternit, id est, illorum locum præparat.

Ad quem locum Interpres *Chin hao* sic: Imperator visitatâ scholâ *Tu ciam*, in urbem redit; dein sequenti die adit scholam *Tum ciam*, & Senibus alimenta præbet. Si non sit nova schola recèns erecta, non apponuntur seu non præsentantur dona priscis Senibus.

Idem Liber Rituum ibidem sic pergit: posteà Imperator vadit ad locum, in quo præparata sunt epularum fercula; vinum, mustum, omnésque ad alendos Senes inspicit dapes. Quo facto pergit ad excipiendos tres Senes, & quinque emeritos Magistratus: & dum portam jam jam ingressuri sunt, jubet totum musicum concentum solemni pompâ & apparatu resonare; ingressis ipsemet, non nihil retrocedens, vinum infundit ac offert; atque ita in alendis Senibus debitam filiorum erga Parentes observantiam, ac Parentum sustentationem suo exemplo edocet. Tum Sene unoquoque in suum aulæ locum appulso, jubet Musicos decantare odam libri Carminum dictam *Cim miao*, quæ Principis *Ven uam* laudes ac virtutes continet. Hac decantatâ, omnes inter se colloquuntur ad imponendam liberali Imperatoris operi coronidem. Colloquuntur autem de debito inter Patrem ac filium amore, de debita inter Regem & Subditum æquitate, de debita inter Seniorem & Juniorem subordinatione. Paucísque interjectis, tandem Præfectis monentibus totam Musicam esse absolutam, tunc Imperator conversus ad Regulos, Dynastas, & omnes Legatos: in Patriam, inquit, nunc redite,

& in

& in schola *Tum siu* vos etiam Senibus alimenta præbete. Atque ita ab uno loco ad alia omnia suam pietatem extendebat.

H, 7. Lib. Rit. tom. 7. Cap. 19. *To ki* sic: dum Imperator tribus Senibus, & quinque emeritis Magistratibus alimenta in Adultorum schola præbet, ipsemet veste exteriori exutâ dissecat pecudem occisam, ciborum condimenta accipit & vivis Senibus offert, vini craterem apprehendit, & illud ad abluendum os eis præbet; gestat diadema, ac umbonem manu præfert; atque hæc facit, ut Regulos ac Proceres debitam Juniorum erga Seniores reverentiam edoceat.

Vide etiam hîc suprà num. 6. litterâ F & G.

I. 8. Vide hîc suprà num. 6. litterâ F & G.

K. 9. Vide hîc suprà num. 4. litterâ D.

L. 10. Vide hîc suprà num. 6. litterâ F & G.

M. 11. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 8. *Ven nam xi tsu*: quotiescumque nova palæstra erigitur, oportet dona apponere seu præsentare priscis Sapientibus ac priscis Magistris; & hæc dona debent esse serica volumina vel sericum volumen. Deinde ibidem sic Interpres *Chin hao*: dum novus Regulus sui regni possessionem accipit, jubetur ab Imperatore suos populos docere; ideóque statim scholam erigit.

N. 12. Lib. Rit. tom. Cap. 8. *Ven nam xi tsu*: quando nova palæstra erigigitur, illitis ejus vasis, sericum volumen seu volumina præsentantur vel apponuntur. Posteà apponuntur seu præsentantur legumina. ad hunc locum sic Interpres *Chin hao*: dum nova erigitur palæstra, nondum habentur vasa ac instrumenta ad Musicam, Ritúsque præscriptos requisita; illis autem confectis ac illitis, tunc priscis Sapientibus, ac priscis Magistris præsentatur seu apponitur sericum volumen ad denuntiandum peractam eorum confectionem; posteà offeruntur etiam legumina ad denuntiandum præparatum eorum usum.

O. 13. Lib. *Ven hien tum kao*, id est, universale examen & librorum & Doctorum priscorum tom. 43. sic: olim discipuli Magistrum invisentes, legumina eis offerebant. Idem in eodem tom. sic: Ritus præsentandi priscis Magistris legumina, significat munus, quod quis offert, dum aliquem primò invisit.

P. 14. in strophis versuum, qui, dum fit Confucio Ceremonia *cy*, decantantur, & de quibus infra, sic: proh! veneranda scholæ aula, sinicè *Hio kum*! ex omni parte ad illam colendam advenitur.

P. 15. Lib. *Ven hien tum kao*, tom. 43. sic: præterea statutum fuit, ut Doctoribus *Tso kieu mim*, *yeu hoei*, & aliis 21. unà cum Confucio fieret Ceremonia *cy* in primaria seu Regia schola, sinicè *Tay hio*.

P. 16. Lib. *Ta mim Hoei tien* tom. 91. sic: delegati Præfecti faciant Ceremoniam *cy* in Regni schola, sinicè *Que hio*.

Q. 17. Lib. farrago variarum rerum ad scientias spectantium, tom. 32. art. *Xe tien*, Doctor *Fan kien* imperante Familia *Cin*, in suo libro, sic Doctorem *Fum hoai* interrogat: eccur inquit, ab Imperio Familiæ *Han* usque ad hæc tempora munus priscis Magistris apponi seu præsentari solitum, uni tantùm Confucio præsentatur, non autem Principi *Cheu kum*? Enimverò, reponit Doctor *Fum*, juxta id, quod dicis non tantùm Princeps *Cheu kum*, sed etiam Principes *Yao*, *Xun*, *Ven uam*, *Vu uam*, proponendi forent.

Q. 18. Lib. *Ven hien tum kao*, tom 43. sic: quia Confucius librum *Chun cieu*, id est, *Ver*, & *Autumnum*, aliúmque de filiali observantia composuit, supplementum seu appendicem libro classico *Te kim* adjecit, ac eum dilucidavit; omniáque in aliis libris classicis debito ordine disposuit, ideò specialiter erecta est illi Parentalis palæstra.

Paragraphus II.

An Parentalis palæstra Confucii sit superstitiosa ex motivo, seu fine primævam suam institutionem consequente?

RESp. & dico: non videtur Parentalis Confucii palæstra esse superstitiosa ex motivo seu fine ptimævam suam institutionem consequente. Probatur: Motivum seu finis consequens, quem sibi proposuerunt olim Sinæ in exstruendis Parentalibus palæstris, fuit ad faci-

endam Ceremonialem aliquam munerum exhibitionem priscis Magistris ac priscis Sapientibus; (de priscis Senioribus jam dictum est, nec ampliùs illis fit ista antiqua Ceremonia (A);) sed hoc motivum non est superstitiosum. Illis enim fiebat ista Ceremonialis munerum exhibitio: *Primò*, ut Discipuli docerentur liberales disciplinas, ac litterarum scientias plurimi facere & venerari (B). *Secundò*, ut erga Magistros honos exhiberetur (C). *Tertiò*, ut Reguli sapientiam ac virtutem docerentur (D). *Quartò*, ut ob præclara vivendi ac regendi præcepta ab iis transmissa, gratitudo præberetur (E). Atqui hæc motiva non sunt superstitiosa; nec ullum indebitum cultum involvunt; ergo illæ antiquæ Parentales palæstræ non erant superstitiosæ ex motivo seu fine primævam institutionem consequente. Jam verò motivum, quod nunc sibi proponunt Sinæ in extruenda Confucii Parentali palæstra, est idem, ac illud, quod olim sibi proponebant; fit enim illa Ceremonialis munerum exhibitio, sive Ceremonia *cy* Confucio ut prisco Magistro ac prisco Sapienti (F); ideò enim Imperator *Vu ti* Familiæ *Leam*, Parentalem Confucio palæstram erexit, ut ostenderet, quòd illum veneraretur ut Magistrum (G); & quia eum agnoscebat ut Imperatorum Magistrum, ante Parentalem ejus aulam se prostravit Imperator *Tay tsou* (H). Prætereà Imperator *Kia cim* Familiæ *Ta Mim*, jussit, ut omnes Confucii palæstræ præferrent in frontispicio scriptum hunc titulum *Sien su miao*, id est, prisci Magistri repræsentatio, seu repræsentativa palæstra (I). Nec ullum aliud afferunt motivum sive Ceremoniam *cy* illi faciendi, sive Parentalem palæstram illi erigendi, nisi quòd sit priscus regni Magister; motivum autem istud non est superstitiosum; ergo nec Parentalis palæstra illi ex isto motivo erecta est superstitiosa.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Ven bien tum kao* tom. 41. sic: Ritus alimenta Senibus præbendi abhinc Imperio Familiæ *Han* in desuetudinem abiit.

B. 2. Lib. Rit. tom. 6. Cap. 18. *Hio ki*: quando discipuli Adultorum scholam primùm adeunt, litterarum Præfectus confectum

ex cervina pelle pileum gerens, præsentat legumina, ut illis ostendat venerationem, quam erga scientias habere debeant. Tum ibi Interpres, *Chin hao*: præsentat, inquit, priscis Magistris aquaticarum herbarum *pim* & *Tsao* legumina, ut discipulis ostendat venerationem & existimationem, quam erga scientias & liberales artes habere debeant.

C. 3. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 8. *Ven uam xi tsu* sic: in qualibet palæstra litterarii vernæ & æstivæ tempestatis Præfecti quæ præsentant priscis Magistris, ea tantùm apponunt seu coram deponunt; litterarii hibernæ & autumnalis tempestatis Præfecti, etiam eodem modo faciunt. Dein Interpres *Chin hao* sic ait: ea, quæ præsentant, tantùm coram apponunt; nullus ibi habetur personatus Spiritus; non comeditur, non bibitur, non sibi invicem propinatur, &c. Sic autem agunt, quia id quod maximè spectant, est exhibere illum honoris ritum, non merita pensare. Prisci Magistri dicuntur ii, qui præteritis olim temporibus hac in re exercitati claruerunt.

D. 4. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 24. *Cyy*, sic: Imperator in Adultorum schola tribus nominatis Senibus, ac quinque emeritis Magistratibus alimenta ideò præbet, ut Regulos debitam Juniorum erga Seniores reverentiam; in Parvulorum schola priscis Sapientibus ideò facit Ceremoniam *cy*, ut eosdem sapientiam ac virtutem edoceat.

E. 5. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 23. *Cy fa*, sic: Sapientes illi Imperatores sic faciendæ Ceremoniæ *cy* Ritus ac leges instituerunt, ut iis, qui olim præclara vivendi ac regendi præcepta populis tradidissent, fieret Ceremonia *cy*; quique pro defendenda adjuvandâve Patria occubuissent, iis etiam fieret Ceremonia *cy*, &c. Deinde ibi enumerat plures Imperatores, scilicet *Xin num*, *Hoam Ti*, *Chuen hio*, *Ti ko*, *Yao*, & plures Principes, scilicet *Ki*, *sie* &c. ejusmodi in populum beneficiis celebres. Deinde Interpres *Chin hao* sic: incipiendo ab Imperatore *Xin num*, & Principe *Ki*, usque ad Imperatorem *Yao*; & ab Imperatore *Hoam Ti* usque ad Principem *Sie*, hi sunt, qui præclara vivendi ac regendi præcepta populis tradiderunt.

E. 6. Lib. *Ta mim hoei tien*, tom. 91. sic: hæc apponenda sunt ante ligneam Confucii *prisci Magistri* Tabellàm, &c.

G. 7.

G. 7. Lib. *Ven bien tum kao* tom. 41. Imperator *Vu Ti* &c. ut ſuprà in contextu.

H. 8. Lib. *Ven bien tum kao* tom. 43. ſic: Imperator *Tay tſou* poſterioris Familiæ *Cheu*, anno Imperii ſui *Quam xun*, viſitans Parentalem Confucii aulam, cùm vellet coram Confucio ſe proſternere; monitus fuit ab Aulicis, nè id faceret; quia non decebat, inquiebant, Subditum à Domino ſic coli. Quibus ille: Princeps ac Coryphæus rei litterariæ, inquit, infinitorúmque Imperatorum Magiſter non meretur, ut profundiſſimâ reverentiâ colatur? his dictis, ſtatim ante Parentalem Confucii Aulam ſe proſtravit, & dona obtulit.

I. 9. Lib. *Ta mim hoei tien*, tom. 91. ſic: Imperator *Kia cim* anno ſui Imperii nono, ad ordinandas ac ritè componendas Ceremoniarum *cy* leges, juſſit, ut Confucio non ſtatua, ſed ut lignea Tabella erigeretur, & in ea inſcriberetur hic titulus: *ſummè excellentis priſci Magiſtri Confucii Spiritûs*, ſeu *Defuncti Tabella*; cúmque priùs ſuprà Confucianæ frontiſpicium palæſtræ eſſet ſcriptus hic titulus: *magni concentûs muſici Imperialis aula*, juſſit ut ille mutaretur, & poneretur: *priſci Magiſtri repræſentatio*, ſeu *repræſentativa palæſtra*.

Paragraphus III.

An Parentalis palæſtra Confucii ſit ſuperſtitioſa ex motivo, ſeu fine ſui uſûs?

RESpondeo & dico: nec videtur Parentalis Confucii palæſtra eſſe ſuperſtitioſa ex motivo ſui uſûs. Probatur Primo *de uſu paſſivo.*

Primus uſus paſſivus ſunt Tabellæ ligneæ hoc ordine diſpoſitæ: Medium ac ſuperiorem palæſtræ ſeu aulæ locum occupat lignea Confucii cubitalis Tabella, erecta intra oblongum ligneum loculamentum; ſupra Tabellam hæc ſcripta: *Chi xim ſien ſu kum tſu xin guei*, id eſt, *ſummè excellentis* (nempè in moribus & doctrina) *priſci Magiſtri* (non proto-Magiſtri) *Confucii Spiritûs* ſeu *Defuncti objectum erectum*, ſeu *Signum repræſentativum*, id eſt, *Tabella lignea* (A).

De

De his vocibus *Xin guei* jam dixi suprà Cap. 1. quest. 2. §. 2.

In loco paulò inferiori hinc & hinc prostant duo alia tabularia Loculamenta, in quibus exstant ligneæ Tabellæ Discipulorum Confucii, seu Doctorum *Ten tsu*, *Cem tsu*, *Su tsu*, *Mem tsu*, cum inscriptis eorum nominibus (B); nimirum duæ à dextris & duæ à sinistris; prætereà in ejusdem aulæ loco paulò adhuc inferiori & sejunctiori, hinc & hinc prostant alia duo loculamenta, in quorum singulis quinque ligneæ aliorum Confucii Discipulorum Tabellæ exstant cum inscriptis eorum nominibus. In medio propè summum tabulatum appensa est grandis & exornata tabula, in qua digitalibus litteris scriptum *omnium sæculorum Magistrorum exemplar* (C). Præter hæc nihil aliud in illa aula habetur; nulla effigies, nulla statua; sed tantùm quædam repræsentatio Magistri & Discipulorum suo ordine in schola sedentium, per illarum lignearum Tabellarum dispositionem adumbrata.

Ideò extra magnam Aulam, in lateralibus cubiculis hinc & hinc atrium spectantibus & patentibus, exstant aliæ circiter centum ligneæ Tabellæ aliorum inferiorum Discipulorum, aut insigniorum Doctorum, qui ad summam illam sublimioris doctrinæ palæstram Confucianam subire non potuerunt. In illa Parentali palæstra subinde olim erecta est Confucii statua; sed Imperator *Kia cim* anno sui Imperii nono, Christi circiter 1531. jussit decreto universali omnes Confucii Statuas dejici, & illarum loco ligneam Confucii Tabellam apponi (D); uti jam priùs sub initium Imperii Familiæ *Ta mim* dictæ, fieri cœperat (E). Parentalem Confucii palæstram, quæ in hac urbe *Nan cham* extat, eo, quo jam descripsi modo, constructam ipse adivi & diligenter inspexi; cúmque eadem in singulis urbibus, jussu Imperatoris, erecta sit, Sinæque in ejusmodi ædificiis publicis soleant omnimodam amare uniformitatem, suppono reliquas aliarum urbium, huic jam descriptæ esse similes, aut penè similes.

Jam verò motivum erigendi illas ligneas Confucii Tabellas, est idem ac illud, quod suprà vidimus carere superstitione, agendo de lignea Defunctorum Parentum Tabella; ergo etiam hoc caret superstitione.

Secundus usus passivus sunt tum vasa & instrumenta ad faciendam Ceremoniam *cy* Confucio requisita, tum res, quæ ei præsentantur: sed hæc omnia ex se sunt indifferentia, & ex se exhibent tantùm scenicum

con-

convivii apparatum; aut si quid aliud contrahunt, id pendet ex motivo usûs activi, de quo jam agam; ergo motivum præparandi & apponendi ista passiva præcisè, non est superstitiosum; adeóque illa Parentalis Confucii palæstra non est superstitiosa ex motivo sui usûs passivi.

Probatur secundò *de usu activo.*

Primus usus activus. In unoquoque triennio binum fit examen ad gradum Baccalaureatûs, in quo certus Studiosorum numerus ex singulis urbibus, & urbeculis promovetur. His ad gradum recèns promotis, propriæ urbis aut urbeculæ Præfectus indicit diem, quo omnes conveniant. Postquam convenerunt, illos deducit ad Parentalem Confucii palæstram, in qua quater profundam reverentiam ligneæ Confucii Tabellæ exhibent. Deinde litterarum Præfecto, ut Magistro, committuntur. Hæc Ceremonia lege statuta est.

Hujus autem motivum sic: vrbis Præfectus, ceu Parens filios, ducit novos Baccalaureos ad scholam; hos litterarum Præfectus, ceu Magister, recipit; ideóque dicuntur tunc scholam ingredi. Antequam enim essent Baccalaurei, nondum censebantur ingressi scholam Confucii. Confucio autem, ut Magistrorum Magistro, ingrediendo scholam reverentiam exhibent coram lignea ejus Tabella (F). Atqui hoc motivum nullam superstitionem, sed solam urbanitatem & debitam discipulorum observantiam continet, ergo &c.

Secundus. Novi disciplinæ civilis (non militaris) Præfecti, triduo post aditum sui officii dignitatem, adeunt Parentalem Confucii palæstram, ubi excipiuntur à Baccalaureis (non Licentiatis nec Doctoribus, ad quos hoc nihil attinet); quatérque coram ejus Tabella profundam reverentiam exhibent, ac quandoque odorarios bacillos incendunt ac præsentant, & nihil aliud. Postea in posteriori aula, Bacchalaurei coram illis aliquot suorum librorum classicorum sententias aut articulos explicant; deinde disceditur. Hæc Ceremonia etiam lege statuta est.

Hujus autem motivum sic: cùm Baccalaurei sint dignitatum ac Magistratuum Candidati; ideò eorum ingenium, doctrina, mores diligenter inspiciuntur, ut obtentis dignitatibus possint & alios benè regere & illis bono exemplo esse; priúsque fit Confucio reverentia

tamquam præcipuo rectæ disciplinæ & boni regiminis Magistro (G), sed in hoc nihil superstitionis; ergo.

Tertius. Urbium Præfecti (non militiæ, nec alii,) 1. & 15. cujusque mensis die cum solis suis Officialibus, non cum Baccalaureis, præter duos Ceremoniarum Præfectos qui sunt Baccalaurei, adeunt Confucii palæstram, & quater, ut suprà, reverentiam exhibent.

Hujus Ceremoniæ motivum sic: Sinici Præfecti inferiores unoquoque quinto, & unoquoque decimo cujusque mensis die adeunt publicam suorum Superiorum domum, tum honoris, tum jussa capessendi ergo; uti & aulici Præfecti Imperiale Palatium. Hinc isti Præfecti, velut discipuli, ad patefaciendam suam erga Confucium rectæ disciplinæ ac boni regiminis Magistrum observantiam, adeunt ejus aulam (H). Sed in hoc nihil superstitionis; ergo.

Quartus. Liber *Ta mim hoei tien* tom. 77. præscribit, ut triduo post obtentum Doctoratûs gradum, primus Doctorum, sinicè *Cham yuen*, alios omnes Doctores ducat ad offerendum Imperatori libellum pro gratiarum actione, & sequenti die eosdem ducat ad visitandam Parentalem prisci Magistri (scilicet Confucii) palæstram, præsentandorum seu apponendorum leguminum Ritum peragendo.

Sed *hujus Ritûs motivum* non videtur diversum à præcedenti; ergo &c. Insuper hujus Ritûs motivum jam distinctè suprà attuli in hoc Capite, Quæst. 2. §. 1. num. 12. litterâ N. Et num. 13. litterâ O. Item §. 2. num. 2. & 3. litterâ B & C.

Quintus. Vere & Autumno, urbis Gubernator cum aliis Subpræfectis; in provinciarum autem metropolibus, provincialis disciplinæ politicæ & ærarii Præfectus, cum aliis Subpræfectis, & nonnullis Baccalaureis designatis, (non omnibus), facit solemnem Confucio & ejus Discipulis Ceremoniam *cy*, Ritu infrà descripto. Vide infrà in textibus.

Jam verò quodnam sit faciendi *Confucio hanc Ceremoniam cy motivum*, quis finis, quæ Operantis intentio, clarè ostendit præscripta Ceremoniæ *cy* formula, palam recitari solita. Illa sic se habet: Sub hoc Imperio *Ta cim*, id est, magnæ limpitudinis, Imperatoris *Kam hi* anno N., secundo Veris (vel Autumni) mense, die N. disciplinæ politicæ & ærarii in provincia v. gr. *Kiam si* Præfectus, (vel urbis N. Gubernator) ceterique, hæc palam audent summè excellenti prisco Magistro

giſtro Confucio dicere: Tua virtus, Magiſter, cælo terræque æquatur; tua doctrina omnibus novis & antiquis (id eſt, Sinenſibus) præcellit; in ſex libris claſſicis expurgandis & explicandis omnia futura ſæcula illuſtrâſti. Idcircò hoc ſecundo Veris (vel Autumni) menſe, adhibendo iſtas pecudes, iſta ſerica volumina, iſtud vinum, iſtas dapes, iſta omnia ferculorum genera, omni cum reverentia juxta veterem normam ordinatim tibi apponimus mundam muneris exhibitionem, tibique comites adjungimus Diſcipulum *Yen tſu* verum Magiſtri exemplar, Diſcipulum *Tſem tſu* genuinum Magiſtri interpretem, nepotem *Tſu ſu Tſu* ſtudioſum Avi doctrinæ propagatorem, & *Mem tſu*, alterum à Te *Xim* ſeu Sapientem. Id penè gratum habebis, vel id penè ſpectabis (K).

Ex hac formula, quæ eſt unica & ubique in praxi, ſatis patet quodnam ſit motivum, quiſnam finis iſtius Ceremoniæ, quænam Operantis intentio. Cùm autem iſta Ceremonia *cy*, ſeu omnes illius actiones, v. gr. appoſitio animalium pridie occiſorum, diſpoſitio epularum, præbitio vini & ſericorum voluminum, ſuffitus odoramentorum ſuper menſam cum candelis accenſis, genuflexiones &c. ſint objectum materiale indifferens ad bonitatem vel malitiam moralem, debent determinari ad hanc vel illam ab objecto formali, nempe à motivo, & intentione Operantis, quæ, ut liquet ex dicta formula, eſt quia Confucius fuit Sinici Regni Magiſter ſummè excellens, excellentem doctrinam tranſmiſit, libros priſcorum Sapientum dilucidavit ac emendavit, & nihil aliud: ſed hoc motivum & intentio Operantis eſt honeſta; eſt enim actus gratitudinis erga Benefactorem; ergo ab hoc honeſto motivo & intentione, omnes iſtius Ceremoniæ *cy* actiones ad bonitatem moralem determinantur, adeóque honeſta Ceremonia nec ſuperſtitioſa; nulla ſiquidem in illa formula eſt poſtulatio, nulla precatio, nulla agnitio poteſtatis ſupra humanam; atque ita nullus cultus indebitus intervenit.

Deinde motivum & ratio cur Imperator jubeat ſuos Præfectos exhibere iſtum honorem ſolemnem Confucio, eſt quia Confucius in ſuo libro *Vere* & *Autumno* magnam regendi artem perſpicuam reddidit, ritè ordinavit, futuris Imperatoribus tranſmiſit; hinc Imperator ad remunerandam ejus virtutem & merita inexhauſta, vel

ipse illi exhibet, vel exhiberi jubet Ceremoniam *cy* (L). Insuper ista Ceremonia *cy* fit ad docendos populos gratitudinem erga Magistrum, ad obsecundandum intentioni Litteratos honorandi, & illorum doctrinam magni faciendi (M). Sed hoc motivum est etiam honestum, utpote gratitudinis & benevolentiæ; ergo etiam inde ista Ceremonia *cy* est honesta nec superstitiosa.

Itaque sive usum passivum, sive activum istius Parentalis palæstræ spectemus, nec hujus nec illius motivum apparet esse superstitiosum, adeóque nec palæstra inde ullam contrahit superstitionem; quod distinctiùs adhuc patebit ex solutione omnium Objectionum sequentium.

Vide etiam infrà Cap. 3. Quæst. 3. paragraph. 3. ubi ostenditur in facienda Confucio Ceremonia *cy*, nihil ab eo peti nec sperari.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. dicitur Confucius *Chi xim*, id est, summè sanctus, seu sanctissimus. Sed hoc est superstitiosum. Ergo &c.

Respondeo Disting. Majorem. Dicitur summe sanctus sanctitate gratiæ & gloriæ, seu supernaturali, Nego. Sanctitate honestatis moralis & intelligentiæ, seu naturali & impropriè dictâ, Concedo. Ista ergo vox sinica *Xim*, quam Europei sæpè vertunt per vocem *Sanctus*, multa significat apud Sinas:

Primò significat virum valde intelligentem, omniúmque rerum peritum, seu Sapientem. (N). 2. Virum virtute aliquâ morali & naturali perfectum. Ideò quicumque summam alicujus virtutis naturalis perfectionem assecutus est, dicitur *Xim*; qui autem totam naturalem rectæ vitæ perfectionem adeptus est, dicitur *Chi xim*, id est, summè excellens. (O) 3. Virum quacumque excellentiori virtutis perfectione præstantem, Prisci vocabant *Xim*. (P). Unde ista vox *Xim* ex se & propriè nil aliud significat, quàm hominem excellentem in naturali vel virtute vel scientia.

Jam verò Confucius vocatur summè excellens, tum quia summè intelligens, sive scientiarum & rerum Sinicarum peritissimus fuit;

(Q)

(Q) tum quia plures morales virtutes naturales præcedentium Sapientûm Sinicorum divisas, in se uno collegit, ac juxta hominum judicium summam vitæ æquitatem tenuit. (R). Itaque ista vox *Xim* juxta Sinarum sensum, nec gloriæ nec gratiæ sanctitatem significat, & accommodatitio tantùm sensu Christiani illam ad significandos in Cœlo Sanctos applicuerunt; applicatur enim ad multas alias res significandas; v. gr. Imperator Sinensis vocatur *Xim chu*, id est, excellens Dominus; ejus decreta vocantur *Xim chi*; ejus Imperium, *Xim chao*; ejus jussa, *Xim yu*; ejus curulis, *Xim kia*; ejus beneficium, *Xim ngen*; ejus vita, *Xim xen*; ejus virtus, *Xim te*; ejus doctrina, *Xim tao*; ejus vultus, *Xim yen*; ejus filius, *Xim tsu* &c. Imperatricis natalis dies, *Xim tan.* (S).

Deinde Rex Tumkinensis in libellis supplicibus vocatur *Xim Ti*, id est, excellens Dominator. Quid ergo mirum, aut quid superstitiosum, si Sinæ suum Magistrum Confucium vocent *Xim*, cùm adhuc in vita degentem jam sic vocarent (T)? An fortè omnes illos præteritos Doctores, quibus unà cum Confucio faciunt Ceremoniam *cy*, putabunt etiam esse Sanctos?

Objicies 2. Die præcedente solemnem Ceremoniam *cy*, quæ Vere & Autumno fit Confucio, adducuntur animalia in atrium Confucianæ palæstræ, inspiciuntur, & ibi occiduntur. Sed hoc est superstitiosum; ergo &c.

Respondeo Disting. Minorem. Hoc est superstitiosum, si illa animalia occidantur cum intentione exhibendi indebitum cultum, Concedo. Si occidantur cum intentione exhibendi humanæ conversationis urbanitatem, Nego. Olim dum Imperator Hospitem, v. gr. Regulum, Legatum &c. solemniter excipiebat, animalia etiam adducebantur, & extra portam seu in atrio Parentalis Majorum aulæ, in qua ista honorifica solemnitas celebrabatur, occidebantur; & reliqua fiebant sicut in Parentalibus Ceremoniis *cy*. (V).

Item dum Regulus excipiebat alterius Reguli Legatum, jubebat per primarium Ministrum illi apparari in publico hospitio solemne convivium, penè sicut Imperator Sinensis per suos Præfectos in Parentali palæstra jubet apparari Confucio Ceremonialium epularum scenam, non sacrificium; apponebantur enim animalia integra occisa,

non cocta; animalium carnes crudæ & coctæ cum vario ferculorum & ollarum ordine, & multis vasis vino, orizâ, milio plenis. Adducebantur etiam animalia viva, offerebantur serica volumina, &c. Vide textum infrà (X).

Insuper Regulus vel per se, vel per alium eidem Legato exhibebat solemnem appositæ carnis gingibere cum cinnamo conditæ, & præsentati vini odoriferi honorem (Z).

Pari modo quando Regulus primarium Præfectum convivio excipiebat; jubebat apponi unum bovem, unam ovem, & unum porcum, qui post convivium deferebantur in domum hospitis invitati; istáque apposita animalia vocabantur *Sem*, eâdem voce, quâ vocantur animalia Parentalium Ceremoniarum *cy*; adeóque animalia istarum Parentalium Ceremoniarum *cy*, sinicè dicta *Sem*, malè fuerunt traducta à quibusdam Europæis per vocem *victima*, & malè sub hoc nomine exhibita. Item apponebantur vasa milio, orizâ, aliisque ejusmodi rebus plena, & inter epulas serica volumina offerebantur. (W). Unde vides ea, quæ nunc fiunt Confucio mortuo, olim fieri primariis regni Præfectis ac Legatis vivis. Reliqua quæ spectant ad horum animalium occisionem, vide suprà Cap. 2. Quæst. 1. §. 3. *Objicies primò*, & infrà Cap. 3. Quæst. 2. §. 1. & §. 2. Punct. 5.

Dum ergo isti Mandarini seu Præfecti Sinenses nomine Imperatoris faciunt solemnem Ceremoniam *cy* Confucio ut Magistro, illum colunt ut magnum & illustrem Hospitem, & ista animalia tamquam dapale munus pro convivio occiduntur, atque ita non est quid superstitiosum.

Non ergo occiduntur in agnitionem alicujus supremi dominii, habentis jus vitæ & necis, aut potestatis humanâ majoris, ita ut ipsa occisio tendat ad testandam talem agnitionem, sicut in veteris legis Sacrificiis; sed occiduntur in existimationem alicujus excellentiæ merè humanæ, ita ut ista occisio tantùm tendat ad exhibendum rei honorificæ ac gratæ usum, quem Defunctus percipere posset, si adhuc in hac vita mortali superstes esset.

Similì modo in publico civium convivio, sub auroram istius diei adducuntur animalia, & occiduntur, eodémque nomine, quo in Parentali Confucii & Progenitorum Ceremonia *cy*, vocantur *Sem* (Y). An fortè aliquis hoc vocabit *immolare victimas*?

Objici-

Objicies 3. Illa animalia seliguntur per infusionem calidi vini in aures. Atqui hoc est superstitiosum; ergo.

Resp. Neg. Majorem. Id enim non fit in solemni Confucii Ceremonia *cy*, uti à pluribus oculatis testibus didici; nec id habetur in hujus solemnitatis Ritibus, quos liber *Ta mim hoei tien*, & alii præscribunt; sed fit dumtaxat, ut audivi, aliquid simile in oblatione, quam boreales Sinæ Idolo *Quan yu* faciunt. Deinde ista vini infusio probabiliter fit, ut Sinæ probent utrùm animalia sint vivida; utrùm non sint morbida, languida, &c. adeóque nec ista intentio quidquam superstitionis continet.

Objicies 4. Antequam ista Animalia occidantur, exhibetur illis reverentia.

Resp. Neg. Assumptum. Reverentia enim exhibetur verso non ad animalia, sed ad Parentalem Confucii palæstram corpore (A A); deinde licèt verso ad illa corpore reverentia exhiberetur, quid ibi foret mali juxta Sinarum morem & mentem? Legatus enim muneribus Reguli quem adit, ad se missis, ipsisque animalibus occisis & vivis, profunda capitis usque ad terram demissione reverentiam exhibet (BB). Confucius primarii Præfecti *Kam* pharmaco ad se misso, profundam exhibuit reverentiam, antequam illud reciperet (CC). hæc nempe est antiqua Sinarum urbanitas, quâ colendo dantis munera, colunt ipsum dantem; & munera magnifaciendo, dantem magnifaciunt (D); quia ista reverentia si exhibeatur versus animalia, non illis exhibetur quatenus animalia, sed quatenus sunt munera, in quibus Donatoris affectus, benevolentia, beneficium, liberalitas ex motivo & virtute gratitudinis colitur.

Objicies 5. Pili & sanguis animalium non præsentantur vivis hominibus, sive in mensa vivis hominibus non apponuntnr; atqui in solemni Ceremonia *cy* apponuntur Confucio; ergo illi redolent aliquid superstitionis.

Resp. Dist. Majorem. Non apponuntur nunc in China, Concedo. Olim, Nego. Olim enim Imperatores Sinenses dum nullus adhuc erat ignis usus, animalium sanguinem potabant, pilósque unà cum carne, seu carni adhærentes, utpote qui extrahi non poterant, comedebant (EE); adeóque illis in mensa apponebantur pili & sanguis.

Nunc

Nunc verò dum pili, sanguis, & caro cruda in Ceremonia *cy* apponuntur, est appositio escarum, quibus Sinæ in antiquissimis illis temporibus vescebantur (FF). Unde apponere pilos, sanguinem, carnem crudam, est ad imitandum antiquissimi temporis Ritum (GG). Item apponitur sanguis ad demonstrandam vitalium spirituum abundantiam, qua animal præstabat (HH); nempè fuisse bonum, valens, non morbidum, &c.

Plura adhuc hac de re vide in historica Notitia Rituum ac Ceremoniarum Sinicarum Cap. 7. Quæst. 1.

Objicies 6. In hac Ceremonia *cy* dicitur Confucii Spiritus excipi & deduci.

Respond. Disting. Assumpt. Dicitur Spiritus excipi & deduci intentionaliter ac repræsentativè, Concedo. Realiter ac Physice, Nego. hoc enim dicitur ad imitationem antiquarum Parentalium Ceremoniarum *cy*, in quibus excipiebatur & deducebatur Spiritus personatus, id est, Puer Spiritum Defuncti repræsentans. Unde dum illæ versuum strophæ, quæ tempore Ceremoniæ *cy* in grandioribus tantùm urbibus, (non in aliis,) in Confucii laudem decantantur (II), Spiritum Confucii venire ac redire Poëticè dicunt, idem est ac si dicerent, quasi videretur venire ac redire (KK). Imò in una ipsarum stropharum, quæ tunc decantantur, dicitur *quasi ipse Spiritus manifestè adveniret.* Si *quasi*, ergo reverà non advenit. Sed de hoc intentionali ac repræsentativo, non reali ac Physico Spiritûs adventu, rursus speciatim agetur infrà Cap. 3. Quæst. 4. §. 3. & 4.

Denique de bibendo faustitatis vino, de excipiendo appositæ carnis ferculo, de felicitatis apprecatione, quæ in istis versuum strophis decantatur, ac de reliquis Ritibus, vide etiam infrà Cap. 3. Quæst. 2. §. 2. punct. 8. & Quæst. 3. §. 4. & alibi, ubi omnia ista singillatim expenduntur.

Nota: in hac Confucii Ceremonia *cy* non adhibetur fasciculus herbarum *Mao*, arenæ immixtus, de quo jam suprà, & rursum infrà.

Objicies 7. In principio istius Ceremoniæ *cy*, appositus sanguis cum pilis projicitur in foueam; & in fine ejusdem, præsentata serica volumina, ac papyracea verborum formula, quâ mens & intentio Operantis declarata fuit, ibidem comburuntur.

Resp.

Resp. Hæc omnia videntur fieri non alio motivo, quàm urbanitatis & reverentiæ erga res Confucio appositas ac præsentatas, vel potiùs erga ipsummet Confucium demonstrandæ; uti olim sericum volumen & quamdam tesseram, quæ Parentum defunctorum cultui inservierat, defodiebant, nè viderentur ea contemptui habere (LL); nec vendere, nec commodare vasa, nec vestes (Mandarini in Ceremonia *cy* Confucii utuntur vestibus suis aulicis ordinariis) quæ ad faciendam Parentalem Defunctis Ceremoniam *cy* inservierant, induere; nec arbores, quæ in sepulchrali eorum colle satæ erant, resecare audebant, veriti, nè illo usu eos vilipenderent (MM). Quin imò libris & scyphis, quibus Parentes in vita utebantur, uti reformidabant (NN). Insuper præscribitur, ut filii non ausint, dum adhuc Parentes vivunt, eorum scutellis, ollis, poculis, aliisque vasis uti, nisi ad comedendum & bibendum eorum reliquias (OO). Præscribitur etiam, ut si Magistri cithara vel liber in via occurrat, caveat Discipulus, nè gradiendo ea inurbaniter transiliat, sed flexis genibus ea recipiat, alióque transferat (PP). Unde non mirum est prædicta illa comburi aut in terra defodi; ut nimirum suam erga res Confucio præsentatas, adeóque erga ipsum Confucium reverentiam patefaciant. Sic etiam olim attritæ Ceremoniæ *cy* vestes comburebantur, & attrita vasa defodiebantur (QQ). Quia tunc præscriptæ erant quædam vestes pro istis Ceremoniis *cy*. Nè putes tamen, quia olim erant præscriptæ vestes, eas fuisse benedictas; alioquin omnes vestes Sinicæ fuissent benedictæ; nam pro quavis Ceremonia aut solemnitate, pro quovis hominum genere aut conditione, pro quovis dignitatis gradu speciales vestes tunc, uti & nunc, erant præscriptæ. Et vestes præscriptæ pro Ceremoniis *cy*, sunt eæ ipsæ, quæ debent indui in variis aliis merè civilibus solemnitatibus, v. gr. in die Natalis Imperatoris, in die primo anni, in solstitio hiberno dum Imperatori fausta apprecantur Mandarini, in promulgatione regii decreti, &c. Vide Tract. 3. de Ethica Sinensi, Part. 2. Cap. 2. sect. 2. num. 8. 9. 10. 11. litterâ H in textibus; adeóque nihil speciale est præscribi vestes pro Ceremoniis *cy*.

Sed redeo ad Objectionem. Quid ergo superstitionis in ista combustione ac projectione latere potest? ecquis, quæso, ibi cultus indebitus vel mediatè vel immediatè ad DEUM relatus? imò Ritus pro ipsorum

Plebeiorum funeribus præscribunt, ut & aquam quo ad lavandum Defuncti cadaver, & linteum quo ad illud abstergendum, & pectinem quo ad colligendum in nodum ejus capillos usi sunt, projiciant in scrobem ac defodiant (RR). Num fortè hoc etiam superstitionis damnabitur? an potiùs singulare excultæ honestatis, & officiosæ reverentiæque urbanitatis erga Parentis defuncti cadaver, indicium mirandum est? Idem esto judicium de aliis Ritibus similibus, in quibus Sinæ nè per umbram quidem cogitant de aliqua excellentia habente respectum ad DEUM, & quæ sit humanâ major.

Textus Librorum.

A. 1. Liber *Ta mim hoei tien* tom. 91. præscribit titulum, ut suprà in contextu.

B. 2. Ligneæ Tabellæ quatuor Doctorum, seu Confucii Discipulorum *Ten Tsu*, *Tsem Tsu*, *Tsu Su Tsu*, *Mem Tsu* sic sunt inscriptæ: prima sic: Confucii veri exemplaris *Yen tsu* Spiritûs seu Defuncti Signum repræsentativum, Sinicè *Xin guei*, nempe lignea Tabella. Secunda sic: Confucii genuini Interpretis *Tsem tsu* Spiritûs seu Defuncti Signum repræsentativum. Tertia sic: Confucii doctrinæ propagatoris *Tsu Su Tsu* Spiritûs seu Defuncti Signum repræsentativum. Quarta sic: alterius à Confucio *Xim*, sive Sapientis *Mem Tsu* Spiritûs seu Defuncti Signum repræsentativum.

Has easdem inscriptiones etiam præscribit Liber *Ta mim hoei tien* tom. 91. nisi quòd omittat istam vocem *Xin* sive *Spiritûs* vel *Defuncti*. Et ibidem alias aliorum Confucii Discipulorum, ac celebriorum Sapientum, vel præteritorum Doctorum ligneas Tabellas intra & extra Parentalem Confucii aulam apponendas præscribit ac recenset.

C. 3. Tabella in medio aulæ appensa sic inscribitur: omnium sæculorum Magistrorum exemplar.

D. 4. Liber *Hoam mim tsu chi tum ki*, seu universales Annales ad regimen Imperialis Familiæ *Ta mim* spectantes tom. 26. sic: Imperator *Kia cim* anno sui Imperii nono, cum perspicuè animadvertisset multorum sæculorum errorem, singulari sua intelligentiâ ac perspi-

perſpicaciâ ductus fortiter juſſit per totum Imperium in omnibus Confucii Parentalibus palæſtris ſtatuas dejici, & loco earum ligneam Tabellam apponi.

E. 5. Idem liber *Hoam mim tſu chi tum ki* tom. 8. ſic: anno Imperatoris *Tien xun* ſexto, menſe lunari tertio, cùm quidam Confucii ſtatuam, quæ in Parentali urbis *Su chen* palæſtra jam pridem labefactata ſtabat, proponeret reſtaurandam; ejuſdem urbis Gubernator *Lin biao*: non decet, inquit, Confucio ſtatuam elaborare; hujuſce enim imperantis Familiæ Conditor in magna ipſius Imperialis urbis palæſtra olim illam cum lignea Tabella commutavit; jam à centum annis barbara conſuetudo ſublata eſt. Quamvis tunc iſta Confucii ſtatua non foret labefactata, cenſuerunt tamen deſtruendam. Nunc cùm feliciter reperierim hanc labefactatam, quidni poſſim eam cum lignea Tabella commutare? annon fortè, objecit quidam, tibi culpæ vertetur, quòd viri & virtute & ſapientiâ inclyti effiigiem deſtruxeris? enimverò, repoſuit Gubernator, quomodo illud fictile lutum ſit vir & virtute & ſapientia inclytus? antequam Secta *Fo* Chinam introïſſet, vixit Confucius. Qui ſanè novit quid ſit lutea effigies? his dictis iſtam ſtatuam ſuſtulit, & ejus loco Tabellam ligneam poſuit. Deinde primus Imperii Miniſter *Kieu jm* ſic etiam dixit: Olim China ſtatuis carebat; poſtquam Secta *Fo* Chinam intravit, tunc tandem eas habere cœpit. Sub tribus primis Imperiis & in ſequentibus ſæculis eæ non habebantur, nec fiebant. Quo autem tempore ad faciendam Ceremoniam *cy* Confucio cœperint ſtatuæ elaborari, ignoro. Summus Tribunalis Præſes *Yao ſui* hanc legem olim edidit: ſiquis auſit luteas aut cupreas hominum ſtatuas conficere, morte plectatur. Conficere ergo hominis ſtatuam ad faciendam Confucio Ceremoniam *cy*, non eſt noſtri Sinenſis regni forma & norma.

F. 6. Hæc accepta a Sinis ſuarum conſuetudinum ac legum peritis: Novi Baccalaurei ſunt ii, qui à provinciali litterarum Præfecto, factâ compoſitione, eliguntur ad ingrediendam vel urbis, Sinicè *Fu*, vel urbeculæ, Sinice *Hien*, palæſtram; (in quacumque enim Sinenſi urbe & urbecula, eſt publica domus deſtinata pro urbico litterarum Mandarino ſeu Præfecto, quæ vocatur ſchola, & in qua exſtat Parentalis Confucii palæſtra.) Novos igitur Baccalaureos electos ad ingrediendam urbeculæ palæſtram, die aſſignato eos illuc de-

 ducit

ducit cum instrumentis musicis ejusdem urbeculæ Gubernator & urbicus litterarum Præfectus; quò appulsi, Parentalem Confucii palæstram ingrediuntur; quater profundam coram ejus Tabella reverentiam exhibent, duobus Ceremoniarum Magistris eos dirigentibus. Posteà pergitur in posteriorem aulam, dictam *Mim lun tam*, seu aulam in qua quintuplex humanæ conditionis ordo explicatur; ibique urbeculæ Gubernator ac urbicus litterarum Præfectus post mutuam urbanitatis reverentiam mensæ accumbunt, epulantur, inter epulandum fit comœdia, ac tandem unusquisque domum redit.

Pro iis, qui urbis palæstram ingrediuntur, sunt iidem Ritus; nisi quòd urbis Gubernator, non urbeculæ, illos deducat.

Hujus autem Ceremoniæ motivum juxta eosdem Sinas sic: ista Ceremonia ducendi novos Baccalaureos ad Scholam, similis est ei, quâ filii ducuntur à Parentibus ad scholam. Vrbicus enim Gubernator est velut Parens, & urbicus litterarum Præfectus est velut Magister. Hi postquam scholam ingressi sunt, censentur Baccalaurei. Ratio autem exhibendi Confucio reverentiam, est, quia Confucius habetur omnium sæculorum Magistrorum exemplar. Eccui sanè Discipulo scholam ingredienti non conveniat revereri sui Magistri Magistrum? nec ulla ibi mens quærendi aliquod auxilium intervenit.

Hæc Ceremonia pridem à Tribunali Rituum statuta est. Postquam Baccalaurei ad Licenciatûs gradum promoti sunt, præfatus palæstræ Ritus non ampliùs ad illos spectat. Ita illi scripto.

G. 7. Item hæc ab iisdem Sinis eodem modo accepta:

Omnes novi Magistratus civiles, triduo post susceptam sui officii dignitatem, adeunt Parentalem Confucii Palæstram idque vulgò vocant *præsentare suffitum*, Sinicè *Xam hiam*; & ibi quater profundam exhibent reverentiam, dirigentibus duobus Ceremoniarum Magistris. Quo facto eunt ad posteriorem aulam, ubi Baccalaurei coram illis sedentibus explicant tres suorum librorum classicorum articulos. Posteà disceditur.

Hujus Ceremoniæ motivum juxta eosdem sic: Quod spectat hæc Ceremonia, est morum instructio. Imperator in constituendis

dis Magistratibus ad regendos populos, maximè spectat cordis directionem; ad obtinendam autem cordis directionem, oportet priùs dirigere virorum litteratorum mores, utpote qui sunt in populo præcipui, scientiis dediti, intelligentiâ præditi. Hi enim, qui nunc sunt Baccalaurei, posteà ad Magistratus forsan subibunt. Debent ergo in omnibus suis verbis ac factis esse populi exemplar.

Idcircò præfecti, votis Imperatoris obsecundantes, morum compositionem plurimi faciunt. Hæc Ceremonia, post susceptam dignitatem, adeundi Parentalem Confucii palæstram, pridem à Tribunali Officiorum & Rituum statuta est, mósque Chinæ vetustissimus. Ita etiam illi.

H. 8. Iterùm hæc ab iisdem Sinis eodem modo accepta: Quod attinet ad primum & decimum cujusque mensis diem, tunc urbici tantùm Præfecti cum suis Ministris adeunt Parentalem Confucii palæstram, & cum solis duobus Ceremoniarum Magistris qui sunt Baccalaurei. Hæc Ceremonia nihil ad reliquos Baccalaureos spectat. (Quamvis in libro *Ta mim hoei tien* tom. 78. etiam præscribatur, ut tunc adsint Baccalaurei congregati in præfata posteriori aula *Mim lun tam*, & ibi explicent aliquid ex libris suis classicis. Fortasse sic olim).

Hujus Ceremoniæ motivum juxta eosdem sic: primo & decimo quinto cujusque mensis die, præfati Mandarini adeunt Confucii palæstram ad patefaciendam suam erga Magistrum reverentiam, sicuti Præfecti inferiores tunc adeunt publicam suorum Superiorum domum; & Curiæ Magistratus, Imperiale Palatium. Ita illi.

I. 9. *Descriptio solemnis Ceremoniæ cy, quæ fit Confucio in urbe* Nancham *metropoli Provinciæ* Kiam si, *scripto habita ab ipso Ceremoniarum Magistro sic*:

Singulis annis Vere, secundo anni Sinici mense lunari, & Autumno, octavo mense ejusdem anni, die dicto *Tim*, fit Confucio Ceremonia *cy* sic: Cervus, lepus, porcus, capra, milium, loba, oriza, legumina, fructus, bellaria, &c. priùs præparantur. Si desit cervus, potest capra eum supplere. Huic Ceremoniæ præest

est Provincialis disciplinæ politicæ & ærarii Præfectus, Siniće *Pu chim su*. Aliquot ante diebus, ex hujus urbis schola viginti aut triginta Baccalaureorum nomina palam affiguntur, ut in hac Ceremonia adsint ad fungendum aliquo officio; v. g. ad habendam curam sericorum voluminum, poculorum, cyathorum, &c. Reliqui Baccalaurei non intersunt. Die Ceremoniam præcedenti, pro-Rex adit Parentalem Confucii palæstram, & quater profundam ejus Tabellæ reverentiam exhibet; probat musicam ac tripudia, seu Musicos gesticulatores qui adesse debent. Tum redit domum. Posteà in primo atrio palæstræ erigitur leve tabernaculum, (alicubi sub dio, sine tabernaculo) in quo apponitur odoramentorum mensa. Illuc advenit Præfectorum unus, v. gr. Provincialis, vel urbicus litterarum Præfectus, vel Gubernator; & adducuntur cervus, lepus, porcus, capra, quibus inspectis seu approbatis, converso ad tabernaculum sive ad Parentalem Confucii palæstram vultu, triplicem facit reverentiam, statímque istæ pecudes jugulantur; quibus jugulatis rursus convertens vultum ad tabernaculum seu ad palæstram, vnicam facit reverentiam. Deinde scutella pecudis occisæ sanguine impletur cum aliquot ejus pilis, & apponitur supra odoramentorum mensam in Confucii palæstra seu aula. Tum disceditur.

In sequentibus Ritibus habentur Ceremoniarum Præfecti, qui ad singulos actus monent altâ voce quid fieri debeat. Itaque die dicto *Tim*, paulò ante diluculum, assignati Baccalaurei suam quique rem curandam capessunt. Pulsatores instrumentorum, Musici gesticulatores, Mandarini comites tam militares quàm civiles & Adjutores, ipse Ceremoniæ præses, suum quique locum accipiunt. Post iteratum tertiò tympani sonitum, sanguis cum pilis, qui pridie in scutella supra odoramentorum mensam appositus fuerat, recipitur, & in scrobem projicitur.

In hoc Ceremoniæ cy apparatu sunt viginti circiter, aut ampliùs ferculorum genera; nimirum cervus, lepus, porcus, capra depilati & integri, variæ carnes, legumina, bellaria, &c. hinc & hinc supra mensas in discis ordinatim apposita. Utrimque ad aulæ latera sunt etiam alia fercula apposita ante Tabellas ligneas qua-

quatuor Confucii comitum seu primariorum Discipulorum; & alia ante aliorum decem ejus Discipulorum Tabellas. Item extra aulam alia pro præteritis Doctoribus & Magistris, quorum præscriptæ Tabellæ exstant in lateralibus cubiculis; sed numero ferculorum semper decrescente.

Deinde dicitur excipi Spiritus, & Musica *Tien ho*, id est, plena ac omnimoda concordia, à Musicis gesticulatoribus & instrumentorum Pulsatoribus decantatur; scilicet hæc versuum stropha: proh! quanta excellentis Doctoris præstantia! doctrina veneranda; virtus sublimis. Regum verum regimen inde normam accipit, & populi ejus documenta venerantur. Ritus & Ceremoniæ suas statas habent leges. Munditites ac bonitas pari curâ servata est. Adveniente Spiritu, proh! quàm splendet excellens species!

Hac strophâ decantatâ, quater profundam omnes exhibent reverentiam, & supra mensam apponuntur quinque serica volumina. Deinde dum vini primâ vice præsentandi Ritus peragendus est, cantatur hæc musica, seu versuum stropha, dicta *Nim ho*, id est, tranquilla concordia: Ecquis ab omni ævo (nempe in China) ejus perfectionem potuit attingere? clara illa Magistri nostri mens ac intelligentia omnes præteritos Sapientes (Sinicè *Xim*, id est, excellentes, ut suprà dixi.) superavit. Dapum fercula & serica munera exstant perfecta; & illis Ritus decórque correspondet. Milium quidem odore caret (id est, non est sicut vinum odoriferum, quod bonum odorem exhalat); sed Spiritus intelligit.

Hac strophâ decantatâ, Præfecti lavant manus; Ceremoniæ Præses it ad locum, ubi est vini amphora, cujus cannabinum operculum aufert Minister, & in scyphum infundit vinum; accedit ante Confucii Tabellam, flectit genua, præsentat serica volumina, deinde vini scyphum. Surgit, & reverentiam exhibet; vadit ad locum lectoris, ubi iterum flectit genua, uti & omnes alii Præfecti, interea dum à Lectore, hæc Ceremoniæ *cy* formula recitatur: Tua virtus, Magister, cœlo terræque &c. ut suprà in contextu. Qua lectâ, surgit & alii omnes; reverentiam exhibet; redit ad suum locum, ubi rursus cum aliis omnibus reverentiam exhibet.

Posteà

Posteà alii Præfecti, Ceremoniæ adjutores, accedunt ante quatuor Doctorum *Yen tsu*, *Tsem tsu*, *Tsu su tsu*, *Mem tsu* Tabellas, flexisque genibus præsentant quatuor serica volumina, & vini scyphum; surgunt, reverentiam exhibent, ac suum locum repetunt.

Deinde cum jam secunda vice vinum præsentandum est, decantatur hæc versuum stropha, seu Musica, dicta *Ngan lo*, id est, pacifica concordia: ô quanta Sapientis Magistri excellentia! verè à Cœlo genita est ista virtus. Ad eam celebrandam composita Musica; statis temporibus sine fastidio Parentalis Ritus celebratur; limpidum vinum optimè fragrat; præstantes pecudes suam perfectam & magnitudinem & pinguedinem habent. Omnia ista præparata munera claro Spiritui ita præsentantur, *quasi* ipse manifestè adveniret.

Cantatâ hac strophâ, Minister infundit vinum in scyphum; Præses Ceremoniæ accedit ante Confucii Tabellam, flectit genua, præsentat vini scyphum, surgit, reverentiam exhibet, & cetera eodem modo quo prima vice vinum præsentavit, nisi quòd hac 2. vice nec serica volumina præsententur, nec ampliùs ulla verborum formula recitetur.

Deinde alii Mandarini, Ceremoniæ adjutores, accedunt ante illas quinque ab Oriente, & quinque ab Occidente intra aulam positas priscorum Sapientum, id est, Confucii Discipulorum Tabellas; flectunt genua, præsentant serica volumina, & vini scyphum. Alii Præfecti idem eodem tempore faciunt extra Confucii aulam ante præteritorum Doctorum Tabellas, quæ sunt in cubiculis lateralibus, utrimque atrium spectantibus.

Denique cùm jam 3. & ultima vice vinum præsentandum est, (nempe uti in conviviorum Sinensium principio ter propinatur) hæc Musica, dicta *Kim ho*, id est, præcellens concordia, decantatur: ô Coryphæe cunctorum Imperatorum Magister! ô omnium populorum ac rerum norma! num spectatis, ut magnifica illius species diffundatur? ut Spiritus quietè sistat? vinum vasi aureo infusum, ô quantam & claritatem, & saporem exhibet! vino ter præsentato ascendendo (nempe ad Tabellam), ô quàm benè Ritus erit peractus!

Hac

Hâc strophâ cantatâ, pocillator infundit vinum in scyphum. Ceremoniæ præses iterum it ante Confucii Tabellam; flectit genua, præsentat vini scyphum, surgit, reverentiam exhibet, & cetera eodem modo, quo secunda vice vinum præsentavit, nisi quòd in hac 2. vice nihil fiat ampliùs ad Tabellas decem supradictorum Confucii Discipulorum intra aulam, nec ad aliorum Doctorum extra aulam positas.

Nota. Aliqui Mandarini istis tribus vicibus non tantùm vini scyphum præsentant, sed etiam ter tantillum effundunt in subjectam pelvim; alii tantùm præsentant, non effundunt. Et certè Liber *Ta mim hoei tien* tom. 91. præscribit tantùm *præsentare*, sinicè *hien*; non effundere.

His peractis bibitur vinum faustitatis, & excipitur carnis appositæ ferculum sic: Ceremoniæ præses accedit ad locum, in quo est vini scyphus; flectit genua; ter infunditur vinum in scyphum, & ter degustat; seu potius ter ad labia dumtaxat admovet. Deinde excipit porcinum armum. Quo facto surgit, reverentiam exhibet, redit ad suum locum. Tum omnes hinc & hinc bino ordine binam reverentiam exhibent.

Posteà colliguntur fercula, & cantatur hæc stropha seu Musica, dicta *Hien ho*, id est, plena & omnimoda concordia: Cùm fuerint in primo ordine, vini amphoræ, bovinam & elephantinam figuram referentes, ad præsentandum: omnia dapum vasa in sua quæque serie ritè ordinata ad apponendum: illud bene fragrans, hæc bene munda; Ritus exactè servati; Musica perfecta; homo pacatus; Spiritus oblectatus; ergo Ceremoniâ *cy* excipitur felicitas (nempe operis perfectio, ut alibi dictum est), sequendæque rectæ rationis sine transgressione via ostenditur.

Deinde dicitur deduci Spiritus, & cantatur hæc Musica, dicta, ut suprà, *Hien ho*: ô quàm veneranda est scholæ aula! ad illam colendam ex omni parte advenitur. Parentale opus & interiori reverentiâ & exteriori modestia peractum est. Id quod gratum habetur, est tantùm odor, (nempè virtutis). Aurigans redit Spiritus. Absolutâ igitur mundâ honoris exhibitione, omnes excipiant innumeram felicitatem.

De hac felicitatis apprecatione, vide hîc suprà in loco citato.

Hac ſtrophâ cantatâ, quater reverentiam exhibent. Dein Miniſtri præſentata ſerica volumina, & Lector recitatam verborum formulam accipiunt & eunt ad foveam, ſupra quam illa cremant; poſtquam cremata ſunt, ſemel reverentiam exhibent, repetunt ſuum locum, in quo alteram exhibent reverentiam; atque ita tota Ceremonia peracta eſt.

I. 10, Liber *Ta mim hoei tien* tom. 91. prædictas verſuum ſtrophas, verborum formulam, & ſuprà deſcriptos Ritus, quos ſummatim tantùm recenſet, etiam continet. Et hæc omnia, ſive eorum verſionem vide in hiſtorica Notitia Rituum ac Ceremoniarum Sinicarum Capite 8. Quæres 4.

Illæ verſuum ſtrophæ in grandioribus tantùm urbibus decantantur; in parvis urbibus omittuntur, uti aſſerit Liber *Kum miao ly yo kao* tom. 3. Et ego idem à Sinis accepi.

Nota: ipſa die, qua Ceremonia *cy* fit Confucio, provincialis litterarum Præfectus in provinciæ metropoli; in urbe autem ordinaria, urbicus litterarum Præfectus ſub quartam noctis vigiliam ſeu ſummo mane, priùs facit Ceremoniam *cy* Patri Confucii in ſpeciali aliquo conclavi; hoc conclave ferè ſolet adjacere Parentali Confucii palæſtræ ad partem boreo-occiduam. In medio extſtat lignea Tabella Patris Confucii, & in ejus lateribus, ligneæ Tabellæ aliorum quatuor virorum jam nominandorum. Vinum ter præſentatur, uti in Confucii Ceremonia *cy*; ſed nec Muſica nec tripudia adhibentur. Verborum formula, quæ in iſta Ceremonia adhibetur, hæc eſt: Tua, Princeps, merita ac virtus in gignendo filio ſummè excellente, omnium cujuſvis temporis Magiſtro, clariſſimè eluxerunt; idcircò iſta appoſita ad tuam, Princeps, Tabellam munera præſentamus, tibique comites adjungimus priſcos Sapientes *Yen*, *Tſem*, *Kum*, *Mem ſun*, (id eſt, Patres Confucii Diſcipulorum aut Doctorum *Yen*, *Tſem*, *Kum*, *Mem ſun* ejuſdem cognominis cum ſuis Patribus, ſive *Yen hoei*, *Tſem ſie*, *Tſu ſu*, & Memcii) & priſcos Doctores *Chim hiam*, *Tſay yuen tim*, *Chu ſum*, *Cheu ſu chim*; nempe Patres Doctorum ejuſdem cognominis

K. 11. Vide hîc ſuprà num, 9. litterâ I. & num. 10. etiam litterâ I.

L. 12. Lib. Naturæ & Rationis brevis expoſitio tom. 1. art. *Kum tſu xam* ſic: Confucii liber, dictus *Ver* & *Autumnus*, rectam imperandi

di viam dirigit, ac magnam regiminis artem perſpicuam reddit. Hanc pro futuris Imperatoribus elaboravit Confucius; perduelles Præfecti ac prædones, qui dignis olim affecti ſuppliciis referuntur, metum venturis incutiunt. Præclarum ſanè opus, perenni ævo digniſſimum! idcircò Imperatores ad compenſandam Confucii virtutem & merita inexhauſta, ei faciunt Ceremoniam *cy*.

M33. Lib. Mens Gubernatoris urbeculæ *Tum hien*, tom. 6. brevis declaratio ſcopi Rituum, ſic: Una ex rebus ſummi ponderis, quæ ad regnum ſpectant, ſunt Ceremoniæ *cy*; hæ omnes ferè ſunt pro populo: fit enim Ceremonia *cy* priſcis Sapientibus (nempe Confucio & ſimilibus) ad docendum populum; fit Spiritibus vel Spiritui cœli & terræ, ad eum protegendum.

M. 14. Lib. *Kum miao ſy yo kao* tom. 1. refert Imperatorem *Chim tſu uen* ſeu *Yum lo* ſic loquentem: Ego probè ſcio Imperatores eſſe populorum Dominos; ſed Confucius ipſe eſt Imperatorum Magiſter; triplicem enim illum naturalem ordinem inter Patrem & filium, inter Regem & ſubditum, inter maritum & uxorem; quinque illas virtutes omnibus communes, pietatem, æquitatem, honeſtatem, intelligentiam, veritatem; magnas illas ac univerſales boni regiminis leges ad omnium ſæculorum inſtitutionem, dilucidè explanavit. Ideò me decet adire Regiam Scholam, (Nota vocari *Scholam*, ſinicè *Hio*, non Templum, Capellam &c.) ut priſco Magiſtro appoſitionum Ceremoniam faciam, ad obſecundandum intentioni Litteratos honorandi, & illorum doctrinam magni faciendi.

N. 15. Lib. Annalium Imperialium tom. 4. Cap. *Hum fan* ſic ait: ſubtilitas producit *Xim*, nempe intelligentiam. Tum Interpres *Tſay xim* ſic: ſubtilis eſt ille, qui in res ſubtiles penetrat; *Xim* autem eſt is, qui in omnia penetrat, omniáque intelligit.

N. 16. Dictionarium Sinicum *Ta tſu guei* in littera *Xim* ſic: Iſta vox *Xim* ſignificat ſummum, quem homo vivendo attingere poteſt, apicem. Significat virum ſubtilem; ſignificat virum penetrantem, ſeu intelligentem. Hinc Authoris *Kum* commentarium ſic ait: qui in rerum naturis omnia noſcit ac penetrat, hic dicitur *Xim*.

O. 17. Liber *Su xu the kiay*, ſeu Interpres *Cham kiu chim* tom. 8.

in Libr. 1. Memc. Cap. 4. *Kum sun cheu bia* sic: quicumque summam aliquam perfectionem assecutus est, hic potest dici *Xim*, nempe excellens.; sed nisi totam rectæ viæ perfectionem attigerit, non potest dici *Chi xim* seu summè excellens. Et paulò pòst sic: *Xim*, id est, acquisita virtutis perfectio.

O. 18. Lib. 2. Memcii Cap. 8. *Cin sin bia* sic: Vir virtute magnus, qui post diuturnam & assiduam exercitationem facillimè & quasi naturali impulsu honestatem sectatur, tunc dicitur *Xim*, nempè excellens. Vide etiam hîc infrà num. 21. litterâ R.

P. 19. Lib. Naturæ & Rationis brevis expositio tom. 3. artic. *Xim hien* sic: Viri quidem, dicti *Xim*, virtus plena est perfectione; prisci tamen eum vocabant *Xim*, qui perfectione adhuc excellentiore præstabat: excellentior autem perfectio in iis, quæ quotidie occurrunt, apparet.

Q. 20. Lib. Sententiarum art. 9. primarius regni *Ou* Minister sic Confucii Discipulum *Tsu kum* interrogavit: numquid Magister vester potest reverà dici *Xim*? alioquin quomodo tot tantæque artium ac scientiarum facultates in eo elucerent? Tum paulò pòst Interpres *Chu hi* sic ait: *Xim* est is, qui omnia intelligit, & omnia mente penetrat.

R. 21. Lib. 2. Memcii Cap. 4. *Kum sun cheu bia* sic: Princeps *Pe y*, fuit integritatis *Xim*; primus Imperatoris Minister *Y yn*, magnanimitatis *Xim*; primarius Præfectus *Lieu bia hoei*, affabilitatis *Xim*; Confucius, temporis *Xim*, seu prudentiæ, quâ se aptare tempori noverat; (id est, viri excellentes in iis virtutibus, absolutúmque earum exemplar fuerunt). Illi tres, unius; Confucius, octo instrumentorum musicorum perfecto concentui & harmoniæ comparari potest: Unius tantùm Instrumenti Musica, dicitur parva harmonia; octo autem instrumentorum, dicitur magna harmonia seu plenus concentus. In hac magna harmonia æneum Instrumentum dat principium; lapideum, finem. Illud omnes sonos diffundit, hoc colligit; illud eos inchoat, hoc terminat; utrumque totius Musici concentûs vena ac nervus. Jam verò illud Instrumentum, quod dat harmonicum Musicæ principium, potest dici imago intelligentiæ, quâ Confucius rerum omnium rationes penetrabat; hoc, quod dat harmonicum Musicæ finem, potest dici imago excellentiæ, Sinicè *Xim*, quâ rerum omnium æquitatem complebat.

S. 22. Lib. *Tseu sou* compeliat Imperatorem Sinensem, & illius res iis nominibus, quæ sunt suprà in contextu.

Item Liber *Ta mim hoei tien* tom. 73. iisdem utitur ad compellandum aut laudandum eumdem Imperatorem, & illius res in odis, quæ dum convivatur, decantantur.

Idem Liber *Ta mim hoei tien* tom. 43. vocat Imperatricis Natalem, ut suprà in contextu.

T. 23. Lib. *Su xu che kiai*, seu recta quatuor librorum classicorum explicatio tom. 6. in Libr. Sentent. artic. 7. sic: Confucius cùm sciret se à multis vocari *Xim* seu excellentem, nempe vel in virtute, vel in scientia, vel in utraque simul naturali, & *Gin* seu pium vel omnimoda cordis rectitudine præditum, sic ait: Quod spectat ad ista honorifica *Xim* & *Gin* nomina, quî ausim ego ea admittere aut tolerare? quod fortè de me dici potest, hoc unum est: ego scientiæ & virtuti acquirendæ sine fastidio vaco, alios sine lassitudine doceo.

Interpres *Chao* in ejusdem Libri Sententiarum artic. 7. sic etiam ait: Tunc temporis aliqui Confucium vocabant *Xim*, nempe excellentem vel Sapientem, & *Gin* nempe pium vel rectum. Idcircò Confucius ista honorifica nomina admittere recusabat.

V. 24. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom. 3. *Chun quon* artic. *Ta su yo* sic: Dum Imperator solemni Ritu hospitem excipit (scilicet in Parentali suorum Majorum aulâ, in qua ista solemnitas fiebat ad majorem honorem & amorem, uti habetur in Libro *Y ly*, seu urbanitatum & Rituum tom. 8.) animalia non intrant portam; reliqua fiunt ut in Ceremonia *cy*. Tum ibi Interpres *Chin gin sie* sic: dum solemniter Hospes excipitur, animalia occiduntur extra portam Parentalis Ædificii; deinde statim condiuntur. Quia ergo non intrant portam, idcircò non editur Musica, dicta *Chao hia*.

X. 25. Lib. Rit tom. 10. Cap. 48, *Pim y*, Interpres *Chin hao* agendo de Legato solemniter excipiendo, sic ait: Postquam suæ legationis negotium declaravit Legatus, & suis particularibus muneribus Regulum Regem coram donavit; tum ipse cum suis comitibus in publicum hospitium vadit. Deinde Rex jubet statim primarium Aulæ Ministrum, animalium & occisorum & vivorum munera illuc ad eum deferre.

X. 26.

X. 26. Lib. *Y ly*, seu urbanitatum & Rituum, tom. 8. agens de Legationis Ritibus, sic: Regulus primarium Ministrum mittit solemni veste indutum, qui quinque boves, quinque oves, quinque porcos, partim vivos, partim occisos & crudos, partim coctos præsentari curet (nempe appulso alterius Reguli Legato.) Primus Legati comes aduentantem, quid velit, interrogat. Cognitâ veniendi causâ, Legatus aulicam vestem induit, jubétque tantum honorem recusari. Interim viri cum primario Reguli Ministro missi intrant hospitium Legati; allata disponunt atque apponunt sic:

Primò, Animalia cocta, unum bovem, unam ovem vel capram, unum porcum; & sunt novem ollæ, seu fercula. Apponuntur ante occidentales anterioris aulæ gradus. Ollæ concomitantantes correspondent interioris scalæ gradibus Orientem versus in serie boreali, & superiùs ad Austrum conversæ correspondent saxeæ columellæ, (quæ nempe in medio posita, indicabat cursum solis). Bos, ovis, porcus, piscis siccus, viscera, stomachus simul exstant cum ollis seu ferculis minutalis, recentis piscis, recentis carnis. Apponitur lebetum vectis, & velum ad cooperiendum tres ollas jusculi carnis bovinæ, ovinæ, porcinæ, quæ bovem, ovem & porcum comitantur, seu illis associantur.

Secundo, Animalia occisa & cruda seu non cocta, duos boves, duas oves, duos porcos; fitque duplex ordo septem ollarum, seu ferculorum; non enim habetur ferculum recentis piscis, & recentis carnis. Apponuntur ante orientales anterioris aulæ gradus, uti ollæ escarum coctarum, in duplici ordine.

In ipsa aula ad Occidentem fenestræ, apponuntur octo fercula, vergentia ad Occidentem sub duplici ordine; in superiori ordine sunt fercula porrorum, & aliorum leguminum; & habent ad Austrum jusculа carnium ac frugum. Hæc subsequntur octo vasa milio & lobâ plena: milium ad Boream; loba ad Austrum. Deinde sex lebetes jusculo pleni ·············· Ad lateralia Occidentis cubicula versus Septentrionem, apponitur duplex ordo poculorum vini, vergentium ad Austrum ········· Pari modo ad latus orientale, apponuntur dapum fercula, &c.

Tertiò, Animalia viva, duos boves, duas oves, duos porcos; apponuntur ad occidentale portæ latus, vergentes ad Sepentrionem. Unus

Unus bos in Oriente habet ad ſuum occidentale latus unam ovem, & porcum; porcus habet ad ſuum latus occidentale alterum bovem, ovem, & porcum. Centum modii orizæ, decenâ ſerie in inferiori aula apponuntur, &c.

Ubi hæc omnia ſunt appoſita, Legatus aulico pileo tectus it obviam primario Miniſtro extra portam, binámque uſque ad terram ei exhibet reverentiam, quam ille veluti recuſans, nullam reſtituit. Iteratâ mutuâ reverentiâ, veniunt ad portam Parentalis Aulæ (nempe hoſpitii, in quo Legati ſolebant diverſari); Legatus reverenter invitat primarium Miniſtrum, ut prior intret; hic ſericum volumen vel volumina manibus præferens, poſt ternam levem inclinationem prior intrat; & poſt alteram aſcendit primum ſcalæ gradum; ponè eum aſcendit Legatus, & in gradibus ſuperioribus verſo ad Septentrionem vultu ſubſiſtit ut Reguli juſſa ſeu verba, quibus primarius Miniſter, vultum vertens ad Ortum, munera ipſi offert, excipiat. Finito ſermone deſcendit Legatus per gradus occidentales, binamque profundâ capitis uſque ad terram demiſſione reverentiam exhibet Reguli verbis ac muneribus, eodémque etiam modo eam exhibet adductis vivis Animalibus, (ut oſtendat, inquit ibi Interpres *Chim*, ſe magni facere Principis munera. Et alius Interpres ibidem ſic: Poſtquam Legatus exhibuit reverentiam Animalibus occiſis, aliiſque muneribus in aula expoſitis: dum inſuper deducitur ad reverentiam ſex vivis Animalibus, orizæ, ſegetum manipulis exhibendam extra portam, ſingulari honore illa colendo, colit ipſum Dominum Regulum, quia ejus munera ſic magni facit). Primarius Miniſter id honoris refugiens, aſcendit ad aulam, & ſuos urbanitatis Ritus abſolvit Legatus in medio Aulæ, parùm ad latus occiduum recedens, facie ad Boream verſâ, excipit ſericum volumen vel volumina; & primarius Miniſter deſcendens, ſe recipit, &c.

Z. 27. Idem Liber *Y ly*, eodem tom. 8. paulò infrà ſic: Regulus ſolemnem convivii apparatum ſemel; bis autem Ceremonialem apponendæ carnis gingibere cum cinnamo conditæ & præſentandi vini odoriferi ſeu aromatici honorem exhibet Legato Hoſpiti ······· Si per ſe ipſum Regulus hanc Ceremoniam non præſtet, (v. gr. ob mor-

morbum, aut aliam causam, inquit Interpres) deleget primarium aliquem Ministrum ut eum præstet.

Vide hunc honoris Ritum infrà descriptum in variis textibus Cap. 3. Quæst. 2. §. 2. punct. 6. num. 2. 3. & seq.

W. 28. Lib. *Y ly* seu urbanitatum & Rituum tom. 9. *Kum su ta su ly*, id est, Ritus quibus Regulus Ceremoniali convivio excipere debet primarium Reguli Præfectum, sic ait: Ministri apponunt ad partis australis latus occidentale in suis ferculis vel discis unum bovem, unam ovem, & unum porcum. Piscis existit ad latus australe bovis. Exin sequitur caro siccata, exta, stomachus....... Aulæ Præfectus apponit sex vasa milio & lobâ plena, in duplici ordine, ad Occidentem priorum ferculorum........ Hospes invitatus, præsentatum sibi ex tribus Animalibus, Sinicè *sem* (scilicet bove, ove, & porco) ferculum, assurgendo excipit, & flexis genibus facit Ceremoniam *cy*; id est, in aliqua destinata lance, vel humi supra stoream deponit.

Ibidem paulò infrà sic: hospes post binam & unam profundiorem corporis inclinationem à Regulo excipit (nempe in suo convivio) serica volumina, id est, decem, ut ibidem notatur.

Deinde peracto convivio, & egresso Hospite invitato, sic ibidem ait: Aliquis è Ministris curat recipi & colligi tria Animalia, Sinicè *Sem*, ac deferri in domum Hospitis, qui sequenti die aulica veste indutus vadit ad portam Palatii Reguli reverentiam exhibiturus pro epulis, & sericis voluminibus ad epulandum exhortatoriis.

Y. 29. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 79. in præscribendo publico civium convivio, sic ait: Sub auroram præscripti diei, Ministri occidunt Animalia, Sinicè *Sem*, (scilicet in gymnasio in quo fit istud convivium Ceremoniale) & præparant epulas.

AA. 30. Vide hîc suprà num. 9 litterâ I. in principio.

BB. 31. Vide hîc suprà num. 16. litterâ X. circa finem.

CC. 32. Lib. *Su xu che kiay* tom. 7. in Libr. Sentent. artic. 10. sic: Primarius regni *Lu* Præfectus *Kam* dono miserat ad Confucium pharmacum. Ipse præmissâ pharmacũ versus reverentiâ, illud recepit, ne videretur datorem spernere; sed mox latori dixit: cui malo curando hoc profit pharmacum, ignoro; idcò non ausim illud degustare.

DD. 33.

DD. 33. Vide hîc suprà num. 26. litterâ X. in fine.

EE. 34. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 9. *Ly jun* sic: Olim prisci Imperatores ..... Dum nullus adhuc extabat ignis usus ad cibos coquendos, vescebantur plantarum & arborum fructibus, crudósque volucrum ac pecudum carnes comedebant, earum sanguinem potabant, earum pilos manducabant, seu unà cum carne deglutiebant, utpote qui a carne abstrahi non poterant.

FF. 35. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 94. sic: Præteriti Doctores asserunt istam sanguinis, pilorum, & carnis crudæ appositionem, esse appositionem escarum, quibus homines in antiquissimis temporibus vescebantur.

GG. 36. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 9. *Ly yun* sic Interpres *Chin hao*: Præsentare vinum cæruleum, (id est, aquam limpidam) ac sanguinem cum pilis, & apponere carnem crudam, hæc tria fiunt ad imitandum antiquissimi temporis Ritum, (nimirum quando Sinæ bibebant aquam ac sanguinem, comedebántque carnem cum pilis, &c. ut jam dixi).

HH. 37. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 11. *Kiao te sem*: præsentatur sanguis ad patefaciendam &c. ut in contextu.

II. 38. Vide hîc suprà num. 10. litterâ I.

KK. 39. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 96. sic: In principio Ceremoniæ *ty*, quia videtur *quasi* venire Spiritus, ideò fit Musica; & in fine quia videtur *quasi* abire, fit planctus.

Vide etiam hîc suprà num 9. litterâ I. in stropha quæ decantatur dum vinum secundâ vice est præsentandum.

LL. 40. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 7. *Cem tsu, uen* sic: Cùm ergo, inquit Discipulus *Cem tsu*, prisci Imperatores in bellum proficiscentes non transferrent secum ligneam Tabellam, in quo, quæso, animum suum figebant? In jussu, reponit Confucius. Quid, precor, hoc significat, subjicit *Cem tsu*? Imperator, inquit Confucius, aut Regulus in bellum profecturus, assumpto serici volumine, & pellitâ honoris tesserâ, in Parentali Palatio de sua profectione defunctos Avos admonebat.

Ad hunc locum sic Interpres *Chin hao*: postquam de sua profectione, assumpto serici volumine, & pellitâ reverentiæ tesserâ fecerant denuntiationem Defunctis Avis in Parentali eorum palatio;

tunc accipiebant istud serici volumen, & pellitam reverentiæ tesseram non secus atque Avorum jussum; idcircò dicitur: *In jussu animum suum figebant.* In singulis autem refectionibus ante illa, repræsentando sibi Avos Defunctos, epulas apponebant. Domum reversi, appositis rursus epulis ad faciendam eis denuntiationem de suo reditu, demum illa defodiebant ac sepeliebant, non ausi siquidem eos contemptui habere.

MM. 41. Lib. Rit. tom. 1. Cap. 2. *Kio ly hia* sic: filius sapiens quamvis paupertate prematur, non tamen vasa, quæ ad faciendam defunctis Progenitoribus Ceremoniam *cy* inservierunt, vendere; & quamvis frigore contremiscat, non tamen vestes, quæ ad eamdem inservierunt, induere; nec ad exstruendam sibi domum, arbores quæ in sepulchrali eorum colle satæ sunt, resecare audet. Tum Interpres *Chin hao* sic: sepulchralis collis arbores, inquit Doctor *Liu*, sunt id, quo adumbratur sepulturæ septum; illas resecare ad exstruendam sibi domum, est vilipendere suos Majores, & particulare suum emolumentum quærere.

MM. 42. Lib. Rit. tom. 3, Cap. 5. *Vam chi*, sic: Primarius Regni Præfectus seu Toparcha, vasa quæ ad faciendam Parentibus defunctis Ceremoniam *cy* inserviunt, aliis non commodet; nec priusquam hæc confecerit, alia quæ vulgaribus epulis inserviunt, facienda jubeat. Olim nempe erant particularia pro illis vasa, nunc autem sunt communia.

NN. 43. Lib. *Siao hio*, seu Parvulorum Doctrina, Cap. 2. quintuplex humanæ conditionis ordo, §. 1. debitus inter Patrem & Filium amor, sic: Filius, inquit Liber Rituum, nec Patris defuncti libris, quia paternæ manûs vestigia; nec Matris defunctæ scyphis, quia materni oris halitus in iis remanent, uti ausit.

OO. 44. Idem Lib. *Siao hio* eod. Cap. 2. §. 1. debitus inter Patrem & Filium amor, sic: Filii nec Parentum scipionem & calceos terere, nec eorum scutellis, ollis, poculis, cupediarum vasculis, nisi ad comedendum id, quod in illis superfuerit, nec eorum cibo & potu, nisi fuerint reliquiæ, uti audeant.

PP. 45. Idem Lib. *Siao hio* Cap. 2. §. 4. debita inter Seniorem & Juniorem subordinatio, sic: si Magistri cithara aut liber in via occurrant, mox flexis genibus ea remove; cave nè gradiendo ea inurbaniter transilias.

QQ 46.

QQ. 46. Lib. Rit. tom. 1. Cap. 1. *Kio ly xam* sic: attritæ vestes (quæ scilicet Parentum defunctorum parentationibus inserviebant) comburantur; attrita vasa defodiantur. Tum Interpres *Chin hao* sic: quæ ad hominum usum, inquit Doctor *Liu*, inservierunt, comburuntur; combustio enim est quid spectans ad motum *Yam*, seu ad Viventes; quæ ad usum Spirituum seu Defunctorum inservierunt, defodiuntur; quia defossio est quid spectans ad quietem *Yn* sive ad Mortuos. Videtur tamen istius Doctoris Sinici explicatio parum dissona, aut claudicare.

RR. 47. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 100. De plebis funeribus & exequiis hæc præscribit: Famuli cadaveris capillos abluant, pectant, linteo siccent, in nodos colligant; cadaver linteamine cooperiant, lavent, linteo tergant; resectos ungues & reliquum aquæ, qua ad lavandum usi sunt, cum pectine & linteo projiciant in scrobem atque defodiant.

CAPUT III.

De Parentali Ceremonia *cy*, quam Sinæ Defunctis faciunt.

QUÆSTIO I.

Quis sensus vocis Sinicæ *cy*, quâ sæpe utuntur Sinæ ad significandam Parentalem Ceremoniam?

Quod hic voco *Parentalem Ceremoniam*, id Sinæ vocant *cy*; quæritur ergo quid propriè significet ista vox *cy*, & an fortè significet idem, quod vox Latina *sacrificium* vel *sacrificare*, adeóque an sit superstitiosa, dum applicatur Defunctorum Parentationibus, sive ad significandas Defunctorum Parentationes? vel potiùs an Defunctorum Parentationes sint superstitiosæ & sacrificia, eò quòd Sinæ illas vocent *cy*?

Resp. & dico 1. ista vox *cy* propriè significat *examinando pertingere*. Idem enim significat ac vox *Cha*; & vox *Cha* primò significat *pertingere*, id est, hominis actio pertingit ad Spiritum aut Defunctum (A). deinde hæc vox *Cha* significat etiam *examinare discutere*, *nosse*; & componitur ex voce *Mien*, id est, *examinare*, & ex voce *cy*, de qua est quæstio; quia faciendo Ceremoniam *cy* adhibetur examen, discussio, cognitio (B).

Item ista vox *cy* significat *cien*, id est, *præsentare*; significat *Su*, synonymum cum voce *cy*; significat *Chi pervenire*; significat *Cha examinare*; significat *Hiam* spectare, præsentare &c. (C).

Præterea ista vox *cy* significat *habere aliquam communicationem*, nempe homo cum Spiritu aut Defuncto habet communicationem (D).

Unde istius vocis *cy* significatio est vastissima, & sensus amplissimus. Quocircà Sinæ sive faciant litamen supremo Cæli Domino, id est, *Xam Ti*; sive Ritu inferiori offerant munera montium, fluminum, & aliarum rerum Spiritibus; sive gratitudinis ergo, Ceremoniales celebrent Parentationes priscis Magistris, priscis Sapientibus, priscis Patriæ Defensoribus, priscis condiendi cibi & potûs Inventoribus, suis Progenitoribus ac Majoribus Defunctis, generatim dicunt *cy* (E).

Quin imò dum Mandarinis adhuc in hac vita degentibus coram Tabella lignea, eorum nomine inscriptâ, præsentant munera, uti fit erga Mortuos, id etiam interdum vocant *Cy* & *Su*; (vox *Su* est synonyma vocis *cy*). Sinæ enim Mandarinis adhuc viventibus, ob præclara in populum merita, non rarò erigunt Ceremoniales aulas, Sinicè *Sem tsu*, id est, Ceremoniales Vivorum aulas, in quibus lignea eorum Tabella exponitur, & coram illa præsentant munera, sicut Mortuis (F). Itaque

Dico 2. vox *cy* generatim sumpta, non significat idem ac *sacrificium* aut *sacrificare*. Probatur: Sacrificium propriè sumptum juxta Theologos, est oblatio externa substantiæ sensibilis per realem immutationem in agnitionem supremi Dominii in omnes res, & maximè respectu vitæ ac necis. Sive (juxta Lessium libr. 2. Cap. 38. de Sacrif. Dub. 1. num. 5.) Sacrificiū est oblatio rei sensibilis à legitimo Ministro facta DEO per realem immutationem ad testandum supremum illius Dominium & nostram subjectionem. Jam verò clarum est, quòd hæc

hæc definitio sacrificii non conveniat omnibus Ceremoniis *cy* ; dum enim faciunt Ceremoniam *cy* Parentibus defunctis, certum est non in iis agnoscere supremum Dominium ; alioqui tot essent suprema dominia, quot Parentum capita ; nempe suprema & non suprema. Deinde dum Ritu inferiori offerunt munera fluviorum aut aliarum rerum Spiritibus, nec etiam in iis agnoscunt supremum Dominium; sunt enim dignitate minores, & dominio inferiores (G) ; & tamen ubique dicunt *cy* , seu istas actiones vocant *cy*; ergo ista vox *cy* non significat *sacrificium*, aut *sacrificare*. Deinde dum coram lignea Mandarinorum adhuc viventium Tabella præsentant gratitudinis munera & id vocant *cy*, ut jam dixi, est etiam certum quòd in illis nullam omninò, ne per somnium quidem, supremi Dominii aut Divinitatis umbram, nec ullam potestatem humanâ & ordinariâ majorem agnoscant ; adeóque ista vox *cy* ex se non significat *sacrificium* aut *sacrificare*.

Præterea sæpissimè Sinæ dicunt *cy*, ubi nulla rei oblatæ vel præsentatæ immutatio realis invenitur, in quo tamen differt verum sacrificium ab oblationibus simplicibus ; (ideò enim olim dum aurum & hominum primogenita DEO offerebantur, id non sacrificium, sed oblatio vocabatur, quia nulla rei oblatæ immutatio realis interveniebat). v. gr. antiqui Sinæ inter comedendum ad singula mensæ fercula tantillum cibi è catino desumebant, illúdque in vacuo vase super mensam posito deponebant ad grates primis condiendarum epularum Authoribus persolvendas. In hac actione nulla rei præsentatæ vel appositæ immutatio realis invenitur, & tamen eam vocabant *cy* (H).

Pari modo in conviviis solemnibus , postquam Herus hospiti escarum ferculum obtulerat, statim hospes illud supra stoream humi deponebat , ut suam erga offerentis munus venerationem atque existimationem ostenderet, & hoc vocabant etiam *cy* escas, sive præsentare & deponere humi escas (I). Nulla etiam ibi immutatio realis.

Item dum solemni Ritu primus pileus imponitur capiti Adolescentis , hic excipit à præside Ceremoniarum escæ ferculum , & humi deponit ; dein excipit vini scyphum , & humi tantillum effundit ; (fortè olim illum humi tantummodò deponebat , ut dicetur infrà ; simul vide hîc infrà in textibus num. 11. & 12. litterâ I) &

 hoc

hoc vocatur *cy* escam, *cy* vinum (K). Quin imò quidam Sina Christianus eruditus, in suis manuscriptis præter alia dicit pisces à lutra, aves ab accipitre capi, id etiam vocari *cy* (L). Itaque ista vox *cy*, longè universaliorem habet significationem, quàm vox *sacrificium* aut *sacrificare*; idcircò potest modò verum sacrificium significare, dum nempe significat litamen quod fit supremo cæli Domino seu *Xam ti*, juxta dicta in primo Tractatu; modò simplicem tantùm oblationem dum significat munerum exhibitionem, quæ inferioribus mundi Spiritibus offeruntur; modò Ceremonialem filialis observantiæ honorem, dum significat Parentationem, quæ Defunctis Parentibus aut Majoribus persolvitur; modò aliud. Atque ita hic Ceremonialis observantiæ filialis & gratitudinis honor non erit inde superstitiosus eò quòd significetur per vocem *cy*; cùm hæc vox tam diversam habere possit significationem, & ex se sit indifferens ad tam varia significata.

Imò ipsi Sinæ hanc significationis *cy* diversitatem videntur subinde indicare diversis illis nominibus, quibus diversas Ceremoniæ *cy* species exprimunt; ut enim significent Ceremoniam *cy*, quæ fit supremo cæli Domino seu *Xam Ti*, utuntur vocibus *Luy*, *Kiao*, *Chay*, &c. (M). Ut significent Ceremoniam *cy*, quæ fit montium ac fluminum Spiritibus, utuntur voce *Uam*; & quæ fit Spirituum inferiorum multitudini, voce *Pien* (N). Ut significent Ceremoniam *cy*, quæ fit Parentibus defunctis, utuntur voce vel *To*, vel *Ti*, vel *Cham*, vel *Chim* juxta singulas quatuor anni tempestates (O). Unde patet istud genus *cy* subinde per diversa tantùm nomina contrahi ad suas species.

Sed cùm diversitas Ceremoniæ *cy* maximè à fine Institutionis & intentione Operantis petatur; sitque finis & intentio, quæ externæ actioni bonitatem vel malitiam moralem, observantiam civilem vel superstitionem afferat, ideò de illis agendum.

Textus Librorum.

A. 1. Dictionarium *Ta tsu guei* in littera *cy* sic habet: Ista vox *cy*, inquit magnum libri Annal. Imperial. commentarium, idem significat

gnificat ac vox *Cha*; vox *Cha* autem significat *pertingere*; id est, hominis res seu servitium pertingit ad Spiritum.

B. 2. Idem Dictionarium in littera *Cha*: ista vox *Cha* significat *inspicere*, *discutere*, *nosse*, *pertingere*, *examinare*, *inquirere*, *perpendere*. Paulò post: Vox *cy*, inquit magnum libri Annal. Imperial. commentarium, idem significat ac vox *Cha*; vox *Cha* autem significat *pertingere*; quando hominis res seu servitium *pertingit*, tunc dicitur *cy*. Rursus paulò infrà: vox *Feu*, inquit Dictionarium *Xue uen*, significat *examinare*. Vox *Cha* componitur ex voce *cy* & ex voce *Mien*; & vox *Mien* juxta Doctorem *Siu*, est idem ac *Feu* seu *examinare*: Conjungendo ergo utriusque vocis sensum, quia, dum fit Ceremonia *cy* adhibetur sincera discussio, cognitio, examen, ideò ex voce *cy* partim componitur.

C. 3. Item Dictionarium *Pien hay* tom. 19. in littera *cy* sic habet: vox *cy* significat *Cien* &c. ut suprà in contextu.

D. 4. Magnum Dictionarium *Chim tsu tum* in littera *cy* sic: Insuper ista vox *cy*, (inquit Interpres *Chim* in capitulum libri filialis observantiæ dictum *Su*,) significat habere aliquam communicationem, nempe homo cum Spiritu habet communicationem.

E. 5. Paulus *Ten* Baccalaureus in manuscriptis sic: quod attinet ad significationem istius vocis *cy*, significat *pertingere*; quotiescumque animus noster ad aliquid pertingit, potest dici *cy*. Idcircò ista vox *cy* pro superiori & inferiori promiscuè usurpari potest, éstque amplissima ejus significatio. Itaque juxta antiquos libros primò dicitur *cy* cæli Domino, *cy* Cælo in rotundo aggere sub dio. Secundò dicitur *cy* agrorum, frugum, montium, fluminum, cæterarumque rerum Spiritibus. Tertiò dicitur *cy* Majoribus Defunctis, priscis Sapientibus, priscis Magistris, primariis Præfectis defunctis, qui Posteris carent, pueris ante adultam ætatem Defunctis. Insuper sublevare senes agricolas, aliasque res emeritas & annosas; imò pisces à lutra, aves ab accipitre capi, etiam dicitur *cy*. Ideò dixi ejus significationem esse amplissimam. Jam verò cùm id, ad quod internus noster actus, & externus Ritus pertingit, sit sæpe diversum; ita etiam illius nomen ac ratio est diversa, nec potest pro libitu immutari aut temerè confundi; v. gr. *cy* cæli Domino, vocatur *Luy*, vocatur *Kiao*: ecquis sanè audeat pro alio istud nomen

Luy

Lay & *Kiao* usurpare? sic agrorum, frugum, fluminum, montium, ceterarumque rerum Spiritibus juxta cujusque nomen fit *cy* seu Ceremonia *cy*, & juxta id, quod unicuique competit, dumtaxat colitur. Quocirca supremo inter omnes Spiritui cæli Domino fit *cy*, ad rogandi bona, ad gratias agendas, ad expellenda mala; & dum liber Rituum ait esse triplicem Ceremoniæ *cy* speciem, aliam ad roganda bona, aliam ad gratias agendas, aliam ad mala expellenda; hanc indicat, ut patet ex libris, quos citat ibi Interpres. Quod verò attinet ad Majorum defunctorum Ceremoniam *cy*, profectò est longè diversa, nec ullum omninò aliquid petendi bonáque quærendi sensum, intentionem, vel apparentem speciem continet.

F. 6. Liber *Ym hium pu* &c. seu historia expeditionis bellicæ Ducis *Kum mim*, prope finem sic: Australes illi populi, (nempe provinciæ *Yun nan*) beneficiis & virtutibus Ducis *Kum mim* exstimulati, Ceremonialem Vivorum domum seu aulam, Sinicè *Sem tsu*, illi erexerunt; & singulis quatuor anni temporibus Ceremoniam *cy* illi facientes, Sinicè *Hien cy*, vocantesque eum pium Parentem, assumebant aurum, uniones, pretiosas merces, medicinales herbas, boves, equos, & ei ad exercitûs usum reverenter offerebant seu mittebant.

F. 7. Lib. *Ven him Tsuy chao* tom. 3. sic: Cùm totus populus ægerrimè ferret suum sibi Gubernatorem (nempe *Xao pao*) mutari, confestim magno concursu ac clamore voluit viam abeunti intercludere; dolens verò suum tandem Parentem ac Magistrum abiisse, Ceremonialem domum seu aulam, Sinicè *Tsu*, ei erexit, & Ceremoniam *Su* fecit.

G. 8. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 32. *Piao ki* sic Interpres *Chin hao*: In rebus magnis fit Ceremonia *cy* majori Spiritui; in parvis, minori.

G. 9. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 9. *ly yun* sic: Idcircò in peragendo Ritu litaminis quod fit Cælo sub dio, omnes Spiritus suum demandatum munus servant.

H. 10. Lib. Rit. tom. 1. Cap. 1. *Kio li xam* sic: Herus inducit hospitem ad faciendam Ceremoniam *cy*: sic autem fit: quod priùs infertur, de eo priùs fit Ceremonia *cy*; juxta successivum ferculorum ordinem peragitur Ceremonia. Tum ibi Interpres *Chin hao*: Prif-

Prisci, inquit, ut principium, à quo res inceperunt, non obliviscerentur, in quavis refectione ad singula escarum fercula desumebant tantillum cibi, & illud in vacuo vase super mensam posito deponebant, ad grates primis condiendarum epularum Authoribus persolvendas; & hoc vocabant *cy*.

Prisci, inquit Doctor *Chu hi*, præsentabant, Sinicè *cy*, vinum in terra, & escas in catino; ideò lignea aderat, quam replebant, lanx, & expletis epulis illa auferebatur.

I. 11. Lib. Rit. tom. 10. Cap. 45. *Hiam yn*, sic: præsentare, vel humi deponere escam ab Hero oblatam & vinum ab eodem oblatum, istud est magni facere offerentis munus; admovere pulmonem dentibus, istud est degustare offerentis munus; admovere vinum ori, istud est consummare offerentis munus. Tum ibi Interpres *Chin hao*: *Cy*, inquit Doctor *Chim*, escam ab Hero oblatam; id est, Herus eam offert Hospiti; mox Hospes accedens ad stoream, oblatum carnis conditæ ferculum super eam humi deponit; *cy* vinum, id est, ubi Hospes humi deposuit escam, etiam deponit & vinum. Paulò pòst: hic autem Ritus est id, quo Hospes magni facit ac reveretur offerentis Heri munus.

Dein paucis interjectis: *Cy vinum*, est quædam vocis appellatio, qua significat homo se illud non bibisse; idcircò istæ voces *cy vinum*, & *cy escam*, simul in textu junguntur, ut demonstretur quanti Hospes Heri offerentis munus ac rem æstimet, quantúmque eam colat.

I. 12. Lib. *Ta mim hoei tien*, seu collectio Rituum ac Statutorum imperialis Familiæ *Ta mim*, tom. 79. de Ritu *Hiamyn*, seu de publico alicujus loci convivio, sic: Minister infundit vinum in scyphum ad eum Hero præbendum; Herus excipit scyphum; vadit ante Hospitem, & scyphum supra stoream humi deponit.

K. 13. Lib. Rituum domestic. tom. 2. agens de solemnitate convivali, quâ primus pileus Adolescenti imponitur, sic: Pileatus Adolescens accedit, seu accedat ante stoream, flexísque genibus oblatum conditæ carnis ferculum dextra manu *cy* seu præsentet, illud humi deponendo; & sinistrâ *cy* vinum, tantillum illius in terram effundendo.

L. 14. Vide hîc suprà num. 5. litterâ E.

M. 15. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 11. Kiao *te sem*, sic: In litamine Cœli sub dio, Sinicè *Kiao*, adhibetur unicum & singulare Animal.

M. 16. Lib. Annal. universal. tom. 2. sic: Imperator *Vu uam* tunc *Chay* seu litavit cœli Domino, totum animal comburendo, (Vox *Chay*, id est, *combustio*,) & *Vam* seu fecit oblationem montium, ac fluminum Spiritibus: (Vox *Vam*, id est, *prospectus*.)

N. 17. Lib. Annal. Imperial. tom. 1. Cap. *Xun tien*, sic Interpres *Tsay xin*: Ceremonia *cy*, quæ fit cœli Domino, ob specialem causam dicitur *Luy*, id est, *specificatio*; quæ fit aëris seu temporis & astrorum sex venerandis Spiritibus, dicitur *Yn*, id est, *interior animi sensus*; quæ fit montium ac fluminum Spiritibus, dicitur *Vam*, id est, *prospectus*; quæ fit reliquorum Spirituum multitudini, dicitur *Pien*, id est, *universitas*.

O. 18. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 5. *Uam chi* sic: Imperator & Reguli in Parentali Majorum palatio, quadruplicem faciunt Ceremoniam *cy*; primam Vere, quæ dicitur *Yo*, id est, teneritudo aut paucitas; secundam Æstate, quæ dicitur *Ti*, id est, ordo; tertiam Autumno, quæ dicitur *Cham*, id est, degustatio; quartam Hieme, quæ dicitur *Chim*, id est, multitudo.

O. 19. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 25. *Cy tum* sic: Pro quatuor anni tempestatibus, habetur quadruplex Ceremonia *cy*: Verna dicitur *Yo*; æstiva *Ti*, autumnalis *Cham*, hiemalis *Chim*. Tum Interpres *Chin hao*: sub Imperio *Cheu* verna Majorum Defunctorum Ceremonia dicta fuit *Tsu*, æstiva *Yo*, autumnalis *Cham*, hiemalis *Chim*; hinc Interpres *Chin* æstimat recensita textûs nomina esse ea, quæ sub imperiis *Hia* & *Yn* vigebant.

QUÆSTIO II.

An Parentalis Ceremonia *cy*, quam Sinæ Defunctis faciunt, sit superstitiosa ex motivo ipsius cultûs exhibiti?

Para-

Paragraphus I.

Quædam prænotantur.

Nota 1. Cultus alius internus, alius externus. Cultus internus eſt ſubmiſſio interna voluntatis alicui tamquam ſuperiori; externus eſt voluntatis ſubmiſſio per actus externos manifeſtata; v. gr. genuflexione, incurvatione, proſtratione, &c.

Nota 2. Cultus externus eſt per ſe adiaphorus, ſeu indifferens, ita ut poſſit tam DEO, quàm Creaturis exhiberi; idem enim externus cultus, v. gr. adoratio, juxta diverſam adorantis intentionem aut motivum, modò DEO, modò Angelis, modò hominibus viventibus competit. V. gr. *Et procidens adoravit eum*, (ſcilicet Chriſtum) Joan. 9. *Cecidit Joſue pronus in terram, & adorans* (ſcilicet Angelum) *ait*, Joſue 5. *Et adoravit eum* (ſcilicet Davidem viventem) *pronus in terram.* 1. Paral. 21. Quod autem talis, vel talis cultûs ſpecies per hæc vel illa ſigna deferatur, id pendet à Colentis intentione; ſiquis enim externis illis ſubmiſſionis ſignis intendat ſe alteri ſubmittere tamquam DEO & teſtari ejus Divinitatem, erit cultus Latriæ; ſi ut amico DEI, erit Duliæ; ſi ut viro ſapienti, potenti, dignitatem tenenti, erit obſervantiæ politicæ. Itaque quemadmodum idem actus externus poteſt ſucceſſivè procedere à diverſa intentione aut motivo, & accipi ut ſignum tum diverſæ excellentiæ ac dignitatis in honorato, tum diverſæ æſtimationis, reverentiæ & ſubmiſſionis in honorante; ita poteſt ſucceſſivè eſſe actus Latriæ, Duliæ & obſervantiæ politicæ. Leſſ. Suar. Trull. apud Leandr. Tract. 7. Diſp. 1. num. 3. & 4.

Sed afferamus ipſa Leſſii verba: Sic Libr. 2. Cap. 38. de Sacr. Dub. 1. num. 5. ait: *Notandum eſt etiam, omnem externam adorationem ſecundum ſe eſſe adiaphoram, & poſſe tam Creaturæ, quàm DEO exhiberi; nam genuflexio & totius corporis in terram proſtratio, (quæ ſummæ videntur adorationes) etiam hominibus exhiberi ſolent, ut ex ſcripturis patet. Itaque à ſola intentione pendet, quòd per hæc, iſta vel illa honoris ſpecies deferatur. Si enim externâ illâ ſubmiſſionis notâ, intendas te alteri ſubmittere tamquam DEO & teſtari ejus Divinitatem,*

tem, erit cultus Latriæ; si ut Amico DEI, erit Dulia; si ut viro sapienti, potenti, erit observantia politica. Ita Lessius.

Sic etiam Suarez in 3. part. quæst. 25. artic. 1. & 2. disput. 51. sect. 3. dicit: *Quà in re notanda est differentia inter actus internos, & externos. Interni enim, quoniam DEUM ipsum ut proprium suum objectum attingunt vel repræsentant, idcirco ex se & naturâ suâ tales esse possunt, ut ad solius DEI cultum referri valeant; hujusmodi sunt actus fidei divinæ, actus spei, charitatis, pœnitentiæ, & alii similes. Actus verò exteriores non sunt ita ex se determinati; quia tam ad venerandum DEUM, quàm ad honorandam Creaturam exerceri possunt, quod notavit Augustinus ..... Quo fit ut distinctio Latriæ soli DEO debitæ, ab adoratione Creaturæ, in his externis actibus potissimùm ex interiori intentione pendeat.* Ita Suarez

Nota 3. Sicut voces sunt signa ad placitum, & possunt determinari ad significandum tale objectum; v. gr vox *DEUS* ad significandum divinum objectum; ita actiones externæ sunt etiam signa ad placitum, & possunt determinari ad significandum ac repræsentandum talem cultum. Unde præter intentionem *Operantis*, attendenda est etiam interdum intentio *Operis*; sed hæc intentio *Operis* non habetur ex se & ex natura rei, sed per publicam impositionem; & hæc publica impositio potest tantùm fieri ab eo qui habet sufficientem authoriatem & potestatem; v. gr. Sacrificium, quod est actio quædam, per quam recognoscitur supremum DEI Dominium occisione vel consecratione alicujus rei, habet hanc significetionem à sua institutione: sic Suarez ibidem: *Hanc verò significationem, (ut bene August. notavit) ab impositione habet* (id est, Sacrificium), *non à natura; occisio enim vituli de se non significat DEUM esse Authorem vitæ & mortis; unde remotâ impositione non continet divinum cultum.* Et hoc certè etiamnum patet; quoties enim occiditur vitulus in honorem hospitis & ad eum honorificee tractandum, & tamen nulla ibi umbra Sacrificii? dicetne aliquis illum Patremfamilias in Evangelio Luc. 15. fecisse Sacrificium, quando ob reditum Filii sui prodigi jussit occidi vitulum saginatum?

Et idem in 3. part. quæst. 83. art. 1. disp. 73. sect. 1. sic: *hinc colligitur primò Sacrificium esse signum ad placitum & ex institutione, qualia fere sunt omnia signa, quibus homo exprimit rationalem mentem suam. Patet quia hujusmodi significatio non est naturalis tali actioni*

oni exteriori, secundum se considerata, v. gr. occisioni vituli, aut alteri simili; oportet ergo ut ex impositione illi conveniat......... Et diximus etiam in priori Tomo in materia de adoratione, actus exteriores de se esse indifferentes ad cultum præbendum.

Nota 4. hæc Sacrificiorum institutio quamvis ex natura rei possit fieri à genere humano in quocumque viæ statu, uti ibidem probat Suarez; sive quamvis Respublica, vel Princeps vicem ejus gerens, quantum est ex natura rei, possit instituere Sacrificia suo statui accommodata, quibus DEUM colat; sæpè tamen hanc Sacrificiorum institutionem in aliqua Republica sibi DEUS reservavit. Et quoad usum quidem, certum est in Lege nova CHRISTUM Dominum usum esse hac potestate, instituendo ita unicum Eucharistiæ Sacrificium, ut noluerit cum illo aliud multiplicari aut misceri; idemque censendum est de statu veteris Legis, ut ipse usus satis probavit; nulla enim in populo Hebræo legitima ac vera Sacrificia introducta sunt, præter ea, quæ in Lege sunt à DEO tradita. Et hoc DEUS fecit præsertim ex speciali erga talem populum dilectione; *ideò in principio*, inquit Suarez in 3. part. quæst. 83. art. 1. disp. 73. sect. 3. *in Lege naturæ quando tam fides, quàm alia dona supernaturalia minùs liberaliter hominibus communicabantur, nulla talis lex* (nempe talis & talis actionis in agnitionem Divinitatis) *hominibus imposita est, sed determinatio Sacrificiorum hominum arbitrio est relicta, paucis fortasse exceptis, quibus ex speciali gratia DEUS interdum definita dedit Sacrificia. In Lege autem veteri, quando DEUS specialem populum sibi specialiter dilectum elegit, cœperunt etiam Sacrificia specialiter divinâ lege definiri.* Et infrà sect. 4. sic: *fortasse Abel & Cain ita* (id est, propriâ authoritate) *coluerint DEUM; alius ex fructibus terræ, alius ex primogenitis Animalium, unusquisque suo arbitrio & voluntate. Dicere enim divinâ vel paternâ authoritate id fecisse, voluntarium est; quia nec ulla authoritate, nec necessaria ratione fundatur.* Ergo in Lege naturæ ista determinativa divini cultûs signa relicta sunt hominis arbitrio, adeóque asserere quòd DEUS in Lege naturæ per secretam inspirationem primis mundi Patriarchis factam, constituerit Animalium occisionem, sangniuis effusionem, suffitum, &c. in esse aut statu Ceremoniæ Religiosæ, id sine authoritate & ratione necessaria dicitur. Deinde quamvis in Lege scripta fuerint à DEO definita ac instituta pro populo Judaico determina-

tiva quædam divini cultûs signa; ceteræ tamen Gentes, quæ ad illas populi Judaici Ceremoniales leges non tenebantur, multò minùs nunc post illarum abolitionem per Evangelium, potuerunt instituere diversa alia signa, sive divinum, sive humanum cultum testantia. *Et ita videmus*, (inquit Suarez in 3. p. q. 83. art, 1. disp. 73. sect. 4.). *Inter Gentes in diversis rebuspublicis seu nationibus, sicut diversæ sunt leges, ita etiam esse diversos Sacrificiorum Ritus; & in populo DEI, quandocumque facta est Legis mutatio, vel à statu Legis naturæ ad statum Legis scriptæ, vel ab hoc in statum Legis gratiæ, semper cum Lege mutatus est Sacrificiorum usus.* Unde multa divini aut Religiosi cultûs signa, quæ pro populo Judaico per Moysem DEUS imposuit, non fuerunt pro omnibus aliis Gentibus imposita, ut clarum est. An fortè Sina abstinendo à carne porcina propter medicinæ causam, faceret actum Religiosum? Lex enim Mosaica hanc prohibet. Idem de multis aliis actibus externis in Lege veteri præscriptis dici posset. Denique

Nota 5. postquam ejusmodi *signa*, (inquit idem Suarez, in 3. p. q. 25. art. 1. & 2. disp. 51. sect. 4.) *sufficienti authoritate & potestate ad significandum DEUM & cultum ejus sunt imposita, solùm ad divinum cultum usurpari possunt, & si Creaturis communicetur talis cultus, erit idololatria saltem exterior, si non ex animo, neque ex falsa æstimatione fiat.* Facta igitur hac publica impositione, quamvis posteà aliquis privatus utendo istis signis, vellet aliò suam particularem intentionem detorquere, non tamen hæc sufficeret ad tollendam aut mutandam illorum significationem; idcircò antiqui illi Philosophi qui nullam fortè in idolis Jovis, Bacchi, & similium phantasmatum, Divinitatem agnoscebant, licèt, dum illa adorarent, habuissent civilem tantùm & politicam intentionem, v. gr. intentionem servandi ista tamquam legibus jussa, non tamquam Diis grata, & credendo istum cultum magis ad morem, quàm ad rem pertinere, ut ait S. Augustinus Lib. 1. de civit. DEI cap. io.; erant tamen idololatræ, exteriori saltem idololatria; quia ista externa signa publicâ impositione & dispositione erant instituta ad cultum divinum.

His prænotatis, nunc ad quæstionem nostram veniamus. Cùm igitur isti Ritus Sinici, seu istæ actiones externæ, quibus Sinæ utuntur in Parentali Ceremonia cy ad colendos Defunctos, non à DEO, sed ab ipsis Sinis sint institutæ, uti patet ex eorum libris sæpius citatis,

tatis & adhuc infrà citandis, duo nunc inquirenda sunt: primum quodnam sit motivum illorum Institutionis, seu finis *Operis*? secundum, quænam sit intentio istis signis vel Ritibus hîc & nunc utentium, seu *Operantis*; ex hoc enim fine seu intentione hîc & nunc *Operantis* intelligitur, utrùm adhuc subsistat idem primævæ Institutionis motivum.

Itaque omnis ille cultus externus, quem Sinæ hominibus defunctis in Parentalibus Ceremoniis &c. deferunt, accipit suam speciem vel superstitionis, vel observantiæ politicæ ab intentione operantium, & à motivo instituentium. Si enim per actum istum externum nullam intendant in Defunctis agnoscere excellentiam & dignitatẽ humanâ majorem, erit observantia seu cultus politicus; si majorem humanâ, erit superstitiosus, aut cultus duliæ; ideò enim cultus, quo Sancti in cælo degentes coluntur, est cultus duliæ, quia excellentia & dignitas, quæ in illis agnoscitur, est major qualibet humanâ & politicâ, nempe excellentia & dignitas Amicorum DEI. Suar. & alii apud Leandr. Tract. 7. disp. 2. Videamus ergo utrùm illa excellentia & dignitas, quam Sinæ in Defunctis agnoscunt, sit major humanâ.

Primò si agamus de Defunctis non multò post diluvium universale, aut aliis longè ante CHRISTUM natum, DEI notitiâ, vitæ honestate ac virtute, quantum licet colligere, instructis; quamvis tunc in iis colendis agnovissent excellentiam & dignitatem humanâ majorem, nempe dignitatem Amicorum DEI in limbo degentium, non tamen continuò cultus ille dicendus fuisset superstitiosus, sed potiùs potuisset fortasse dici cultus duliæ; fortè enim antiqui Sinæ poterant prudenter judicare illos Defunctos in statu Amicorum DEI degere. Si autem talis cultus adhuc subsisteret, num dicendus foret cultus duliæ, an superstitiosus? id penderet ex Cultoris intentione: quia si ille Cultor nunc eamdem ac isti Prisci, haberet DEI notitiam, (suppono veram fuisse in Priscis DEI notitiam) & solam Amicorum DEI excellentiam in istis antiquissimis viris agnosceret, adeóque nullum verum sacrificium, sed quædam tantùm dona more patriæ, ad patefaciendam suam erga eos reverentiam præsentaret, ejusmodi cultus etiam nunc fortè posset dici duliæ, non superstitionis. Vide Leandr. Tract. 7. disp. 3. Sed hæc speculativè. Nam de istis Antiquissimis non est quæstio; nec id facit ad Confucium, licet utcumque antiquum; nam Sinæ, ut jam vidimus & adhuc infrà videbimus, in eo colen-

colendo, nullam agnoſcunt dignitatem humanâ majorem; adeóque ejus cultus nec duliæ nec ſuperſtitionis, ſed civilis obſervantiæ dicendus eſt.

Agimus ergo de recentibus Sinis in infidelitate, ut ſupponitur, defunctis; & quærimus quodnam ſit motivum & intentio eos colendi ſive ab Inſtitutione, ſive ab actuali uſu? hæc intentio & motivum maximè ex libris, qui nunc ſunt in uſu, nempe ex antiquis & claſſicis, in quibus habetur motivum Inſtitutionis; & ex modernis Interpretibus, libriſque recentibus, in quibus declaratur intentio nunc Operantium, atque ex ipſiſmet verbis, quibus nunc Sinæ in iis colendis uti ſolent, poteſt colligi & ſciri.

Itaque videamus quid hi libri antiqui & recentes dicant tam de motivo Inſtitutionis quàm de fine Operantium. Hoc motivum & finis poteſt eſſe tum particularis circa ſingulos externos iſtius parentalis cultûs actus, tum univerſalis circa totum illius aggregatum. Si ſinguli actus externi, prout exercentur, nitantur motivo Inſtitutionis & fine Operantis merè civili, certò ſequitur quòd totus iſte cultus ſit merè civilis; v. gr. ſi ſingulæ partes Miſſæ, prout exercentur, nitantur motivo Inſtitutionis & fine Operantis merè Religioſo, certum eſt totam Miſſam eſſe cultum merè Religioſum. Pari ratione, ſi ſingulæ Ceremoniæ convivii, prout exercentur, nitantur motivo Inſtitutionis & fine Operantis merè politico, certum eſt totam convivii Ceremoniam eſſe merè politicam; ita de cultu Parentali. Prætereà ſi univerſale motivum Inſtitutionis, & univerſalis finis Operantis verſans circa iſtorum omnium actuum externorum aggregatum, ſit etiam merè civilis & politicus, evidenter quoque ſequitur totum illud actuum aggregatum eſſe merè politicum & civile. Si autem inter actus particulares merè politicos, inveniatur unus aut alter ſuperſtitioſus qui non ſit de eſſentia totius cultûs & omitti poſſit, dummodò hic omittatur aut tollatur, certum eſt remanere adhuc totum reſiduum cultum merè politicum.

His ergo ſuppoſitis, examinemus nunc omnia, quæ ſpectant ad motivum Inſtitutionis, & ad finem Operantis quoad omnes actus cultûs parentalis tum ſingillatim, tum generatim ſumptos. In ſequenti primo §. agemus de actibus ſingillatim ſumptis. In altero de iiſdem generatim ſumptis. Itaque ſit

Para-

Paragraphus II.

An cultus Parentalis sit superstitiosus ex motivo suæ Institutionis, aut ex fine Operantis quoad ejus actus singillatim sumptos?

RESp. & dico: Cùm sint penè innumera, quæ huc spectant, seligam tantùm magis præcipua, & ea singillatim discutiam per varia puncta. Alia minutiora vel sub his, vel sub universali istorum actuum Parentalium motivo & fine, de quo in §. 3., comprehendentur. Sed nota multa ex iis, quæ infrà discutiam, in praxim non deduci, vel non servari cum tot minutis ceremoniis, vel nunc in usu non esse; uti etiam interdum annotabo.

PUNCTUM I.

De escarum ferculis ad Sandapilam.

UBi primùm quis obiit, usque ad diem sepulturæ, quæ apud Sinas juxta Ritus differtur ad pluresmenses, coram feretro, (aut simul coram Tabella altiore, de qua suprà) filius Parentans quotidie manè & vespere curat apponi mensam, cibis & potu instructam, cum aliis utensibilibus ad vitæ usum requisitis (A). Deinde ante & post sepulturam rursus dapes apponuntur (B.)

Jam verò *motivum Institutionis & intentio Operantis* sic est: Ista convivalia fercula vespere & manè apponuntur ad repræsentandam matutinam & vespertinam refectionem, quam filius Patri in vita apponebat; filius enim obsequiosus, sicut viventi deferebat, ita defuncto Parenti obsequium defert (C). Ista etiam fiunt ad cogitandum de Parentibus (D). Deinde illæ dapes, quæ ante sepulturam apponuntur, sunt velut ad valedicendum (E); et eæ, quæ in loco sepulturæ, seu post sepulturam apponuntur, quamvis reapse

res sint inutiles, sunt tamen ad patefaciendum animi sui affectum, qui non patitur Parentem mortuum tractari ut mortuum (F). Idem intellige de ceteris escis præsentatis aut appositis; cùm sit par ratio. Atqui tota ista intentio ac motivum nullam superstitionem involvit; nec alius ibi cultus, quàm filii servientis Patri defuncto tamquam vivo; ergo nec indebitus, nec superstitiosus. Eas verò escas apponi, ut Defuncti comedant, dici non potest; alioquin non essent res inutiles, contra id, quod Doctor *Chu hi* asserit (G). Sed de hoc rursus infrà.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. Domestic. tom 5. *matutinæ appositiones*, sic: Omnia quibus in vita utebatur Defunctus, apponuntur. Dein famuli super mensam ante mortualem thronum apponunt legumina, fructus, carnes siccatas, suo condimento temperatas, jusculum, orizam, potum *Cha*, vinum, & paxillos comestorios.

Et paulò pòst: *Vespertinæ appositiones*, sic: Famuli manè appositas dapes auferunt, & novas (scilicet vespere,) uti supra, (nempe uti manè,) apponunt. Has matutinas & vespertinas appositiones fusiùs explicatas ibidem vide.

A. 2. Lib. Rit. tom 2. Cap. 3. *Tan kum xam* sic; Ubi primùm quis obiit, inquit *Tsem tsu* Confucii Discipulus, statim ei escæ apponuntur; videlicet illæ, quæ ei in penu superfuerunt.

B. 3. Lib. Rit Domestic. tom. 5. *ultimæ ante discessum appositiones*, sic: sequenti die, nempè ipso die sepulturæ, sandapila in currum seu fulcra gestatoria transfertur. Tum mensa cum escis & potu apponitur. Et paulò pòst: His, quæ Lector recitat, verbis valedicit sic: Cùm funeralis currus jam sit aptatus; vade igitur in domum tenebrosam; cúmque ultimum pro discessu munus jam sit appositum, in æternum vale.

C. 4. Lib. Rit. tom. 2. Cap. 3. *Tan kum xam* sic: Manè ad solis ortum, & vespere ad occasum mensa cum ferculis apponatur, scilicet pro Defuncto. Tum Interpres *Chin hao*: Manè, inquit Doctor *Fam*, fercula apponuntur, ad repræsentandam matutinam refectionem,

ctionem, vespere ad repræsentandam vespertinam, quam vivens sumebat; quia filius obsequiosus inservit defunctis Parentibus, sicut vivis inserviebat.

D. 5. Lib. Rit. Domestic. tom. 5. sic: Quia manè & vespere quies *Yn* & motus *Yam*, seu dies & nox se invicem excipiunt; ideò istæ matutinæ & vespertinæ appositiones fiunt ad cogitandum de Parentibus.

E. 6. Vide hîc suprà num. 3. litterâ B.

F. 7. Lib. Rit. Domestic. tom. 5. Glossator *Yam xin* agens de escis, quæ in loco sepulturæ apponuntur & relinquuntur, sic: Quamvis, ut ait Doctor *Chu hi*, prisci illas escas apponerent ad demonstrandum se non posse pati, ut mortui sui Parentes à se tractarentur ceu mortui; attamen sunt reverà res inutiles; imò cùm caro statim corrumpatur, putrefiat, generet vermes, est quid adhuc magis incongruum. Ceterùm ut ista possetnt congruere, existimarem esse imminuenda, & ex singulis speciebus tantillum dumtaxat apponendum; v. gr. si aliquot tantùm grana ex singulis frugum speciebus, & aliquot tantùm frustula ex carne siccata ac condita relinquantur, ita ut antiquus Ritus penè conservetur, id certè mihi videtur rationi non repugnare.

G. 8. Vide hîc suprà num. 7. litterâ F.

PUNCTUM II.

De Ceremonia cy Spiritui terræ facienda.

Liber Rituum Domesticorum, designato sepulchralis loci septo, & illato in fossam cadavere, præscribit Ceremoniam *cy* Spiritui terræ faciendam (A); deinde dum dapes apponuntur ad Defuncti sepulchrum, adhuc eamdem præscribit (B).

Motivum Institutionis & intentio Operantis sic:

Cùm Glossator hujus Libri dicat illum terræ Spiritum, seu istius loci Spiritum assumi pro Spiritu ex quadam familia orto, & tantùm agere de eo incepisse modernos Ritus Imperialis Familiæ *Tam*; est ergo falsus ac fictitius Spiritus (C); cúmque in Ceremoniæ *cy*

O 2 for-

formulis ille rogetur ut protegat ac servet sepulturam (D), ejus ergò cultus est superstitiosus & idololatricus, adeóque nec Christianis, nec aliis licitus.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. Domestic. tom. 5. Cap. *Sam tsam* sic: Electo die effoditur & designatur sepulturæ septum; dein fit Ceremonia *cy* Spiritui terræ. Ibidem paulò pòst: Statim atque ventum est ad sepulturæ locum, demittitur sandapila in fossam, & fit Ceremonia *cy* Spiritui terræ.

B. 2. Lib. Rit. Domestic. tom. 7. Ceremonia *cy ad sepulturam.* Paulò infrà sic: Deinde fit Ceremonia *cy* terræ Spiritui; extenditur storea, & apponuntur dapum fercula.

C. 3. Lib. Rit. Domestic. tom. 5. Cap. *Sam tsam*, Glossator *Tam xin* sic: Quamvis habeatur antiquus Ritus, qui præscribit sepulto cadavere apponi munera ad dextram sepulturæ, (scilicet Lib. Rit. tom 2. Cap. 4. *Tan kum hia*,) nullibi tamen fit mentio de Spiritu terræ ex tali familia orto, Sinicè *Heu tu xi*; solummodò Imperialis familiæ *Tam* Ritus sub Imperatore *Hiuen tsum*, in serie annorum sui Imperii dicta *Kay yuen* conscripti, illum continent. Quos Doctoris *Su ma uen kum* liber, dictus *Xu y*, habet, sunt isti *Kay yuen* Ritus; & Ritus domestici sunt isti libri *Xu y* Ritus. Illi in funerum Ritibus dicunt: Dum designatur sepulturæ septum, & demittitur in fossam cadaver; & dum fit Ceremonia *cy* ad sepulchrum; tunc etiam fit Ceremonia *cy* terræ Spiritui, Sinicè *Heu tu*, seu Dominatori terræ; sed istud Spiritûs terræ, seu Dominatoris terræ nomen est correlativum magni Cæli, seu Dominatoris cæli; ideóque viri litterati ac plebeii Ritum Imperialem sibi usurpare videbuntur. In magno Doctoris *Cheu hi* commentario reperitur Ritus faciendæ Ceremoniæ *cy* Spiritui *Tu ti*, id est, alicujus particularis agri aut loci terræ Spiritui. arbitror igitur istum terræ Spiritum ex tali Familiâ ortum nunc sumi pro hoc particulari loci Spiritu, seu *Tu ti*. Ita ille.

Nota: Hic Spiritus *Tu ti*, passim in agris, vel ad radices montium ac collium reperitur humanâ effigie efformatus, vix pede altus

altus, & in exiguæ maceriæ cavo collocatus, creditúrque iſtius loci præſes ac cuſtos.

D. 4. Ceremoniæ *cy* formulas pro hoc fictitio terræ Spiritu *Tu ti*, quibus rogatur ad tutelam &c. vide infrà, Quæſt. 3. §. 3.

PUNCTUM III.

De ſortium jactione ad determinandum Parentalis Ceremoniæ *cy* diem.

Liber Rituum Domeſticorum præſcribit Ritum, quo ſors jacitur ad examinandum, utrùm electus Parentalis Ceremoniæ dies ſit fauſtus nec ne? ſic: Menſe, in quo facienda eſt Parentalis Ceremonia, diviſo in tres decades, eligitur intra quamlibet decadem unus dies, qui ſic examinatur: Vas bifidum, ſeu tubulus canneus bifariam diviſus, ante quem priùs incenditur ſuffitus, jacitur in diſcum. Si tubuli altera facies cadat aperta ſurſum, & altera deorſum; cenſetur fauſtus dies intra primam decadem electus, & hic aſſumitur; ſi autem utraque ſurſum vel utraque deorſum aperta cadat, examinatur, ut priùs, alter dies intrà ſecundam decadem electus; ſi ſors necdum ſuccedat, tunc ſine ulteriori ſortis jactione aſſumitur dies intra tertiam decadem electus (A).

Motivum Inſtitutionis & intentio Operantis ſic:

Sortes aliæ ſunt divinatoriæ, quæ ſunt ſemper illicitæ; aliæ conſultoriæ (nempe de voluntate DEI), quæ ſubinde ſunt licitæ, & in praxim olim deductæ, ſed raró; aliæ diviſoriæ, quibus eligitur unum ex multis, & quæ ſunt licitæ, niſi in caſibus à jure poſitivo exceptis. Jam veró in hoc caſu quamvis iſta tubuli bifidi jactio partim ad diviſorias ſortes pertineat; cùm tamen videatur maximè inquiri fauſtúsne ſit ille dies, an non? ideò potiùs ad divinatorias ſpectat, adeóque illicita & ſuperſtitioſa. Inſuper iſta ſuffitûs incenſio, quæ præcipuè videtur referri ad bifidum tubulum, ante quem fit, videtur aliam involvere ſuperſtitionem. Dixi, *in hoc caſu*; quia ſi ageretur de ſortibus antiquis Sinicis, multa afferri poſſent pro & contra. Sed iſta non ſunt hujus loci. Quod attinet ad caſum præſentem; cùm idem Li-

ber Rituum Domestic. ibidem dicat illum Ritum posse omitti, & assumi dies æquinoctiorum ac solstititiorum, omissâ istâ Ceremoniâ (B); nihil ergo difficultatis parit pro praxi.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. Domesticorum, tom. 7. *Cy li*, seu Ceremoniæ *cy* Ritus, sic: In quatuor anni tempestatibus ad faciendam Ceremoniam *cy* (nempe Majoribus defunctis) assumitur secundus cujusque tempestatis mensis. In principio ultimæ decadis mensis, qui Ceremoniam *cy* præcedit, sorte eligitur dies vel eliguntur dies, hoc modo: Primo die, inquit Glossator *Tam xin*, ultimæ decadis primi mensis, qui Ceremoniam *cy* præcedit, assumitur in singulis secundi, seu proximè sequentis mensis decadibus unus dies, vel *Tim*, vel *Hay* (sunt nomina dierum), & eodem die exponitur suffitûs mensa præ Parentalis domûs foribus ad Occidentem, vas odoramentorum, suffitûs capsula, vas bifidum, seu tubulus canneus bifariam divisus, pelvis. Tum filius Parentans seu Paterfamilias cum suis liberis ac nepotibus in suo ordine dispositis honestiori veste indutus, stans ad odoramentorum mensam, incendit suffitum ante tubulum bifidum; & Lector recitat hanc verborum formulam: N. meditans consuetum anni obsequiũ, sequentis mensis die N. exhibere, accedit ad suos Majores; id penè gratum habebitis. His dictis tubulus bifidus in discum jacitur; si tubuli facies altera cadat aperta sursum, & altera aperta deorsum, censetur faustus dies intra primam mensis decadem assumptus; si aliter cadat, infaustus; túncque simili sorte examinatur alter dies intra secundam mensis decadem assumptus; si sors necdum succedat, non ampliùs jacitur; sed dies intra tertiam mensis decadem assumptus reservatur.

B. Paucis interjectis sic: Si sors non jaciatur, superioris Ritûs articulus potest omitti.

B. 2. Lib. Rit. Domestic. ibidem, idem Glossator *Tam xin*, sic: Dum dies sortè electus, inquit Doctor *Chu hi*, non determinatur, animus non est à sollicitudine liber. Doctor autem *Su ma uen kum*: Possunt etiam, inquit, tantùm assumi dies æquinoctii & sol-stitii;

ſtitii; nunc ergo ſi tantùm aſſumantur dies æquinoctiorum & ſolſtitiorum, judico expedire, ut menſe præcedente Paterfamilias priùs eat in Parentalem domum, & præfixam Ceremoniæ *cy* diem denuntiet.

PUNCTUM IV.

De abſtinentia ſervanda ante Parentalem Ceremoniam.

Lib. Rituum Domeſticorum tom. 7. *Cy li*, ſic: Ante præfixum Parentalis Ceremoniæ *cy* diem, ſerventur tres abſtinentiæ internæ & externæ dies (A).

Motivum Inſtitutionis & intentio Operantis ſic:

Abſtinentia Sinica generatim ſumpta, Sinicè *Chay*, quam quidam impropriè vocant *jejunium*, nihil eſt aliud quàm aliquid ordinare ac componere, ſeu id quod inordinatum eſt, reducere ad ordinationem (B). Dividitur in duas ſpecies; in internam & externam. Interna eodem Sinico nomine dicta *Chay*, eſt qua res internæ componuntur, ſeu qua animus colligitur ab omnibus vanis cogitationibus ad cogitandum tantùm de Parentibus defunctis, recolendo eorum habitationem, riſum, verba, deſideria. Externa, dicta *Kiay*, eſt quâ res externæ præcaventur, ſeu quâ ab immodico vino abſtinetur, ab eſu leguminum malè olentium, ab actione cauſarum criminalium, ab auditione muſicæ ſeu comœdiæ, à funeris comitatu, à cohabitatione cum uxore, & ſimilibus (C). Interna ſervatur ad componendum animum, externa ad componendum corpus; utraque ad afferendam veram in parentali Ceremonia ſinceritatem & reverentiam (D); & ad ritè præparandum omnia neceſſaria (E). Denique ſcopus totius iſtius abſtinentiæ ad hoc tendit: Parentaturus, inquit Liber *Sim li ta ciuen* tom. 11., unicè animum applicat ad cogitandum de facienda bene Parentali Ceremonia *cy*. Jam verò tota hæc intentio, & omnia hæc motiva ſunt honeſta, ſolúmque ſpectant in rebus magni momenti agendis cautelam, vigilantiam, reverentiam (F). Et hoc evidenter patet ex eo, quod Sinæ eamdem omninò abſtinentiam internam & externam antè actiones purè civiles inter vivos etiam præmittant; v. gr. præſcribitur, ut Præfectus antequam Regem adeat, ſervet abſtinentiam internam *Chay*, & ex-

& externam *Kiay*; pernoctet in anteriori aula, separatus nempe ab uxore; corpus lavet (G). Legatus idem servat ante Regis affatum (H). vir litteratus volens Doctorem Memcium convenire, præmittit eamdem abstinentiam (I). Item præscribitur, ut omnes urbium Præfecti, dum in primo die anni, in solstitio hiberno, in Natali Imperatoris faustos & multos annos illi solemniter apprecantur, præmittant abstinentiam prædictam (K). Idem iisdem præscribitur, quando pro hisce tribus diebus debent in Curiam mittere libellum gratulatorium aut apprecatorium (L).

Deinde illa abstinentia Sinica longè diversa est ab Ecclesiastico jejunio. Jejunium Ecclesiasticum juxta multos Doctores constituitur in abstinentia ab esu carnium; & juxta omnes, in unica refectione; abstinentia verò Sinica nec esum carnium prohibet, (vide hîc infrà num. 5. litterâ C.) sed solam aliquam vini immoderantiam, & quædam alia quæ possunt in negotiis mentem perturbare, aut quæ redolent in hominum societate aliquam indecentiam, v. gr. malum oris halitum ex cibis malè olentibus provenientem, &c. (M). Nec unicam refectionem præscribit; sed potest quis, servando prædictam Sinicam abstinentiam, quoties & quantum vult, comedere. Nihil ergo habet commune cum essentia jejunii Ecclesiastici, ac proinde vocatur impropriè jejunium, cui nihil est commune cum jejuno. In morte autem Patris aut Matris, toto tempore quo durat triennalis luctus, tunc præscribitur quidem abstinentia à carne, vino, & aliis; sed vix servatur (N); & hoc ad testandum suum dolorem de illorum morte. Itaque cùm abstinentia Sinica spectet tantùm solitam inter vivos urbanitatem ac reverentiam, perfectámque mentis claritatem ac cautelam in rebus alicujus momenti peragendis (O), ejus ergo generale motivum ac intentio sive Institutionis, sive Operantis est honesta, nec ullam videtur superstitionis umbram continere. Quando autem eamdem abstinentiam præmittunt Sinæ vel ante Cæli ac terræ Sacrificia, vel ante aliorum Spirituum Ceremonias *cy*: Siquid tunc aut Religionis aut superstitionis involvant, id non ex ipsa abstinentiæ Sinicæ essentia provenit, sed ex ulteriori & particulari, non universali, fine Operantis, illam ad tale objectum particulare vel Religionis vel superstitionis referentis; sicut potest quamlibet aliam actionem ex se honestam etiam referre.

Textus

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. Domestic, tom. 7. *Cy li* sic: antè præfixum &c. ut suprà in contextu.

B. 2. Lib. Rituum tom. 8. Cap. 25. *Cy tum*, sic: Quando instat Ceremoniæ *cy* tempus, vir Sapiens abstinentiam servat; abstinentiam servare, id est, ordinare ac componere, seu id quod inordinatum est, ad ordinationem perducere.

C. 3. Lib. Rituum tom. 6. cap. 13. *To tsao* sic: Præfectus antequam Regem adeat, servet abstinentiam *Chay kiay*; pridie pernoctet in anteriori aula, corpus lavet, &c.

Ad quem locum sic commentarius *Li ki hiam y*: Dicitur *Chay*: Nempe ad ordinandas & componendas res internas; dicitur *Kiay*: Nempe ad præcavendas & arcendas res externas.

C. 4. Lib. *Siao hio*, seu Parvulorum doctrina, Cap. 2. §. 2. sic: Parentaturus, inquit Liber Rituum tom. 8. Cap. 24. *Cy y*, diffusam abstinentiam in exteriori, absolutam in interiori servat. Intra hos abstinentiæ dies recolit defunctorum Parentum habitationem, risum, verba, voluntatem & mentem; recolit id, quo delectabantur, & id quod appetebant; atque ita post tres abstinentiæ dies, ii, propter quos abstinentiam præmisit, videntur esse sibi spectabiles ac præsentes.

Tum Interpres *Chin gin sie* sic; *Servare absolutam abstinentiam in interiori*, id est, v. gr. abstinere à vini potu, & leguminum malè olentium esu, & similibus. servando hanc utramque abstinentiam cum prædicta Parentum recordatione, accumulatur vera sinceritas ad tractandum, aut ad tenendum cum Spiritu intelligenti sive Defuncto commercium.

C. 5. Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 21. agens de Parentalibus quatuor temporum Ceremoniis, sic: Præmittantur tres dies abstinentiæ *Chay Kiay*, sive internæ & externæ. Deinde sic id fusiùs explicat: Tribus diebus ante præfixum tempus, Paterfamilias cum suis generis aut liberis in exteriori, Materfamilias cum suis nuribus aut filiabus in interiori parte domûs servent abstinentiam *Chay*, corpus lavent, vestes mutent; bibendo vinum, non liceat ad mentis usque perturbationem pertingere; comedendo carnes, non liceat legumina

 malè

malè olentia (nempe hæc quinque: cepas, allia, porra *Kieu*, legumina *Hiay*, legumina *Hm kiue*, vel gingiber) sumere. Non liceat ad funus ire, nec audire Musicam, seu comœdiæ interesse; denique nullis rebus mœstis, nullis immundis liceat animum suum applicare. Idem habetur in libro *Ta mim hoey tien* tom. 95.

D. 6. Lib. Immutab., Medii artic. 16. sic Interpres *Cham kiu chim* tom. 2. sic: Spiritus possunt efficere, ut omnes tum nobiles & ignobiles, tum superiores & inferiores, nullo excepto, abstinentiam & munditiem servent ad se interiùs, & speciosas vestes induant ad se exteriùs componendos; atque ita internam & externam reverentiam afferant ad faciendam Ceremoniam *cy*. Vide etiam suprà num. 4. litterâ C.

D. 7. Lib. Quotidiana quatuor librorum explicatio tom. 2. ad eumdem artic. 16. Immutab. Medii, sic: Spiritûs intelligentia potest efficere, ut omnes abstinentiam & munditiem servent ad componendum suum animum, & speciosas vestes induant ad componendum suum corpus; atque ita reverentiam ad faciendam Ceremoniam *cy* afferant.

E. 8. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 24. *Cy y*, sic: Filius obsequiosus Parentibus defunctis Ceremoniam *cy* facturus, debet abstinentiâ componere suum cor ad opus suum meditandum, ad vestes aliásque res præparandas, ad domum ornandam, ad omnia & singula dirigenda.

F. 9. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 25. *Cy tum*, sic: Idcircò vir Sapiens, nisi adsit magna causa, resque reverentiâ externâ & internâ digna, abstinentiam non servat. Si tunc autem abstinentiam non servaret, debitam in rebus agendis cautelam ac vigilantiam non adhiberet, cupiditatesque ac passiones non coërceret: ubi enim abstinentiam suscipit, res pravas præcavet, cupiditates & affectiones pacat, aures musicæ seu comœdiæ audiendæ non præbet. Ob hanc causam Liber idem Rituum, tom. 8. Cap. 24.: qui abstinentiam servat, inquit, musicâ abstinet, nec verbis mentem suam dissipare audet. Si animus vanis cogitationibus non agitetur, tunc viæ seu rectæ agendi normæ adhæret; si manus ac pedes immodestè non moveantur, tunc honestati & urbanitati sunt conformes. Ideò vir Sapiens

ens in abstinentia servanda unicè studet acquirendæ perfectæ claritatis virtuti; hinc ad eam stabiliendam, septem diebus servat diffusam in exteriori abstinentiam; & ad eam ordinandam, tribus diebus absolutam in interiori. Illam stabilire, dicitur abstinentiam servare. Abstinentia *Chay*, est perfectæ claritatis acquisitio, quâ acquisitâ tunc potest quis tractare cum Spiritu intelligente, seu Defuncto.

G. 10. Vide hîc suprà num. 3. litterâ C.

H. 11. Lib. *Y li*, seu Urbanit. & Rituum tom. 8. de legatione, sic: Te rogo, inquit legatus, ut mihi liceat modicam moram ante Regis affatum habere; nempe, ibi addit vetus Interpres *Chim*, ut possit corpus lavare, & præscriptam abstinentiam servare.

I. 12. Lib. 1. Memcii, Cap. 4. *Kum sun cheu bia*, sic: Ego, inquit hospes alloquens Memcium, antequam ad te, Domine, accederem, abstinentiam præmisi. Jam verò obdormiscis, nec audis?

K. 13. Lib. *Ta mim hoei tien*, tom. 43. sic: Quotiescumque recurrit primus dies anni, solstitium hibernuum, natalis dies Imperatoris, omnes urbium majorum & minorum Præfecti servent abstinentiam *Chay*, corpus lavent, induant vestes aulicas, & Ritum peragant; nempe quo apprecantur Imperatori mille & mille annos prosperitatis.

L. 14. Lib. *Ta mim hoei tien*, tom. 75. hæc præscribit Præfectis, dum pro anno novo, pro solstitio hiberno, pro Imperatoris Natali, & similibus mittunt ad Imperatorem libellum apprecatorium aut gratulatorium, sic: Quicumque Præfectus extra Curiam, (v. gr. pro-Rex) mittit libellum gratulatorium aut apprecatorium, pridie communem aulam tapetibus seu sericis exornet & plateam; omnes Præfecti tam civiles, quàm militares abstinentiam *Chay* servent, corpus lavent, pernoctent in suo proprio tribunali, scilicet separati ab uxoribus &c.

M. 15. Lib. *Ta mim hoei tien*, tom. 81. ante Cæli & terræ litamen, sic: Mandarinus *Tay cham su* sequenti die offert Imperatori libellum supplicem; & responso accepto indicit tres abstinentiæ *Chay* dies. Altero die subalternus Præfectus Mandarinis tam civilibus, quàm militaribus promulgat præscriptam ab Imperatore abstinentiam *Chay kiay*. Deinde immediatè pòst, quid sit ista abstinen-

ſtinentia, ſic explicat: non bibere vinum, non comedere cepas, nec porra *Kien* (nempe malè olentia), nec allia; non inquirere de morbo ægri, non ire ad funus, non audire Muſicam ſeu comœdiam, non agere cauſas criminales, non cohabitare cum uxore, aut concubina.

Vide etiam hîc ſuprà num. 5. litterâ C.

N. 16. Lib. *Siao hio*, Cap. 5. §. 2. ſic Doctor *Su ma uen kum*: Olim in Patris aut matris morte, poſtquam cadaver ſandapilæ impoſitum erat, tunc filius incipiebat comedere liquidam orizam, ſeu inſipidum cum pura aqua confectũ orizæ juſculum, (nil nempe priùs comedebat, niſi fortè aliquid pauxillum à vicinis ſubminiſtratum). Veſte lugubri confectâ, incipiebat comedere vilem orizam & bibere aquam, abſtinendo à leguminibus & fructibus. Peractis poſt ſepulturam Ceremoniis *Yu* ſeu tranquillitatis, & terminato funeralis tugurioli planctu, vilem adhuc & inſipidam tantùm orizam comedebat, ſolam aquam bibebat, abſtinebat à leguminibus & fructibus. Poſt primum anniverſarium obitûs diem, comedebat legumina & fructus; poſt ſecundum anniverſarium, addebat acetum & leve condimentum; poſt vigeſimum ſeptimum ab obitu menſem, depoſita veſte lugubri, incipiebat vinum, ſed ſimplex, bibere; edere carnem, ſed ſiccatam, &c. Nunc verò, ô dolor! luctûs tempore non aliter ac aliis temporibus & carnes comedunt, & vinum bibunt, & mutua convivia abſque ullo pudore frequentant, &c. Dein paulò infrà ſic: Quiſquis ob Patris vel Matris mortem gerit luctum, antequam veſtem lugubrem poſt duos & ampliùs annos ab eorum obitu deponat, non poteſt carnem comedere, nec vinum bibere; id Ritus exigit. Si ægrotârit, tantiſper poteſt & illam comedere, & hoc bibere; ſed recuperatâ valetudine, debet ad priſtinum victûs modum redire.

N. 17. Lib. *Ta mim hoei tien* tom 10. ſic: Filii omnes, (ſcilicet à morte Patris & Matris) & propinqui, qui ad novem menſium luctum tenentur, tribus diebus non comedant; duobus autem diebus ii, qui ad quinque aut trium menſium luctum tenentur. Nempe culina domi ſuæ ceſſet, vicinis aliquid levis alimoniæ ſubminiſtrantibus.

O. 18. Vide hîc ſuprà num. 9. litterâ F.

PUN-

PUNCTUM V.

De inspectione & occisione Pecudum, ac de ferculorum præparatione.

DIe Ceremoniam *cy* præcedente inspiciuntur & occiduntur pecudes, ac præparantur dapum fercula (A).

Motivum Institutionis, & intentio Operantis, sic:

Quoad istam inspectionem & occisionem animalium, jam multa diximus suprà Cap. 2. Quæst. 1. §. 3. Insuper & maximè eodem Cap. 2. Quæst. 2. §. 3. Objicies 2. 3. 4. & Cap. 3. Quæst. 2. §. 1. ubi probavimus & ostendimus nihil superstitionis in his apparere. Nihilominus hæc adhuc pauca addo: Primò ista animalium inspectio tantùm spectat morem ordinarium, quem hospes invitans alios ad convivium servat, providendo & curando ut animalia occidenda, si domi alita fuerint; vel eorum carnes, si debeant aliunde comparari aut emi, sint selectæ, bonæ, sanæ, pingues; adeóque nihil in hac re superstitionis. Deinde filius Parentans seu Paterfamilias non ipse propriis manibus illa animalia occidit, sed præest occisioni, sive curat illa occidi (B). Olim quidem Imperator pro magna ac solemni tum Majorum, tum Cæli Ceremonia *cy*, ostensurus quodnam velle, ut acciperetur & occideretur animal, illud jaculabatur; & idem Reguli pro Parentali suorum Majorum Ceremonia *cy* faciebant; sed nulli alii, quamvis Præfecti, id audebant facere, séque illis æquiparare (C). Deinde quamvis ipsemet filius istud animal jugularet eâ intentione serviendi Patri, quâ ei in vita serviebat, dum ipsemet simile animal jugulabat ad parandum ei convivium, quid ibi foret mali? Ceterum in ordinariis Parentum Ceremoniis *cy* nunc raró pecus integra adhibetur; sed tantùm communia vulgarium carnium, & aliarum rerum fercula apponuntur, quasi ut fit in communibus viventium conviviis (D). Et de his loquere, ut suprà in Puncto primo, & infrà in §. 3. Denique nec ista vasa antiqua, quæ olim ex certa figura & materia constabant, nunc solent adhiberi; sed tantùm vasa illa ordinaria, quibus aliquis consuevit uti ad comedendum & bibendum, sufficiunt (E). Cur autem pecudis caput quandoque apponatur, dicetur in Puncto sequenti. Deinde cur olim pulmones, jecur, cor apponerentur? ratio

P 3. tio

tio est, quia in illis partibus maximè resident Spiritus vitales (F), seu maximè ab illis vita dependet; ideóque apponebantur seu præsentabantur, ut bonitas rei præsentatæ aut appositæ indicaretur; nempe rei, quæ vivebat, seu morbida non erat. Jam verò hæc omnia motiva sunt merè civilia, nullámque superstitionem includunt; ergo &c.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. Domestic. tom. 7. *Cy ly* sic: die Ceremoniam *cy* præcedente Paterfamilias ducens secum suos generos aut liberos pergit ad locum, in quo inspiciuntur aut examinantur animalia; nempe illorum occisioni præest, seu curat occidi, Sinicè *Li xa*. Illa examinat, & postquam examinata sunt, Materfamilias cum suis nuribus lavat vasa, &c.

B. 2. Lib. *Ta mim hoei tien* tom 95. de Parentali quatuor temporum Ceremonia *cy*, sic: Parentans die Ceremoniam *cy* præcedente ducit secum omnes suos generos aut liberos ad examinanda animalia, (nempe utrùm sint bona, nec-ne?), curat occidi, sive præest eorum occisioni, Sinicè *Li xa*.

B. 3. Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 21. de eadem Ceremonia sic etiam: Paterfamilias ducit secum omnes suos generos aut liberos honestè vestitos ad examinanda animalia, & præest eorum occisioni, Sinicè *Li xa*.

C. 4. Lib. *Y li*, tom. 15. *Te sem quei che li*, de Parentali Ceremonia *cy* Progenitorum, sic: summo mane (nempe ipso die Ceremoniæ) surgens Herus, indutus uti in principio, (id est, aulicis vestibus, sicut priùs dicitur) stat extra portam apud latus orientale versâ ad meridiem facie, & occidit unum animal. Ad quem locum vetus Interpres *Kia* sic ibidem: Idem liber in Cap. *Xao lao* hæc dicit: Herus (nempe primarius Præfectus) accedit ad suum locum extra Parentalis ædificii portam, & minister equilis occidit ovem, ac dissecat; Minister autem famulitii occidit porcum ac suspendit. Ergo Herus non ipse occidit. In libro verò *Tsu yu* dicitur: Regulus dum Parentalis ædificii rem peragit, ipse utique jaculatur illius animal, dissecat ovem, suspendit porcum. Et in Cap.

Su

Su kum xi dicitur: in omni Ceremonia *Cy Su* ille jaculatur animal. Et interpretatio ait: Illa locutio *jaculatur animal*, indicat quòd ipsemet illud occidat: verumtamen *occidere animal*, istud non est quòd Princeps ipsemet occidat, sed jaculatur pro convenientia. Rursus in libro *Que Tu* dicitur: In magna Parentalis Ceremoniæ *Ty*, & in sacrificii Cœli *Kiao* solemnitate ipsemet Imperator jaculatur animal: Quod autem dicit Cap. *Yo tsao* libri Rituum sic: *Ubicumque intervenit aliquid vivens, vir Sapiens non ipsemet illud interficit*, intelligendum est de more ordinario, non de Cœli sacrificio, in quo Imperator excelsæ Majestatis Dominus, animal jaculatur. Cùm Regulus Imperatorem ordine dignitatis proximè sequatur, ideò etiam ipse pro Parentalis aulæ Ceremonia animal occidit. Præfectus autem non audet se Principi æquiparare; ideò inspicit quidem & examinat animal, sed non ipsemet illud occidit. Ita antiquus ille Interpres de rebus priscis, aut more antiquo.

D. 5. Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 21. de pecudum inspectione & occisione, ac ferculorum præparatione, sic: Nunc pauci adhibent animal seu pecudem integram, sed tantùm apponunt aliquot escarum fercula.

Et paulò infrà sic: Juxta Ritus antiquos pecudum inspectio, & Parentalium vasorum expositio præscribitur; sed nunc Parentantes suis Progenitoribus defunctis, sive facientes eis Ceremoniam *cy*, non semper occidunt pecudem. Doctor quidem *Su ma uen kum* sic ait: In Ceremoniæ *cy* Ritibus adhibeantur quinque leguminum & fructuum isto tempore crescentium fercula; id est, minutalis, carnis assæ, coctæ & siccatæ, jusculorum, paniculorum &c. fercula non excedant numerum 15. Ast ego vereor nè ista omnia fercula, quæ hic Doctor præscribit, in promptu haberi possint: maximè si domus paupertate laboret; ideò juxta ea, quæ quisque in suo pago aut urbe reperit, aliquot tantùm, v. gr. leguminum, fructuum, carnis, farinæ, orizæ fercula possunt etiam adhiberi.

E. Quod verò attinet ad mundanda Ceremoniæ *cy* vasa, dicta *Fu quey, Pien teu, Tim luy*; (ex quadam nempe determinata & figura & materia olim constantia), enimverò ubinam illa habere queat domus privata? abluat tantùm bene illa vasa ordinaria, quibus consuevit uti ad comedendum, & bibendum, iisque suam filialis observan-

ſervantiæ ac reverentiæ officium ex animo expleat, & hoc ſufficit.

F. 6. Lib. Rituum tom 5. Cap. 11, *Kiao te ſem*: Præſentatur autem, ſeu apponitur pulmo, jecur & cor, quia magni fit id, in quo vita præcipuè reſidet.

Dein Interpres *Chin hao* ſic: Pulmo, jecur & cor ſunt præcipua ſpirituum vitalium receptacula; ideò textus dicit: *In quo vita præcipuè reſidet.*

PUNCTUM VI.

De Ritu præſentandi ſeu apponendi vinum & eſcas.

QUoad Ritum præſentandi ſeu apponendi vinum & eſcas, hæc præſcribit idem Liber Rituum domeſticorum: Poſt iteratam quater profundam corporis demiſſionem, cremantur odoramenta. Dein ſcyphi vinum in faſciculorum herbarum *Mao*, arenæ immixtum, totum effunditur; & hoc vocatur *Kiam xin*, ſeu *demittere Spiritum*. Poſteà apponuntur eſcarum fercula, & ter vini ſcyphus præſentatur ſeu apponitur coram ligneis Parentum Tabellis, concomitante ſemper aliqua carne aſſa; ante ſingulas tamen ſcyphi appoſitiones, hujus vini tantillum in eumdem faſciculum herbarum *Mao*, arenæ immixtum, effunditur (A).

Motivum Inſtitutionis & intentio Operantis ſic:

Olim dum Imperator excipiebat ſolemniter Regulum, aut Regulus excipiebat alium Regulum, accipiebat vinum confectum ex milio nigro, & ex ſuccis quarumdam herbarum odoriferarum, venientíque præſentabat, ſeu ante eum apponebat, vel fortè etiam in terram effundebat (B); ut iſto vini odore hoſpitis animum recrearet, aut malè olentem locum purgaret (C). Atque hæc erat maxima benevolentiæ ac reverentiæ teſtificatio, quæ erga aliquem exhiberi poterat. Unde in excipiendo honorificè quovis alio illuſtri hoſpite, id etiam præſtabatur (D). Inſuper bene odoriferum carnis cum cinnamo & gingibere conditæ ferculum præſentabatur (E).

Præterea olim dum menſæ accumbebatur, tantillum vini vel in terra deponebatur, nempe ſcyphus; vel in terram effundebatur ad de-

monſtrandum erga primos vini & epularum Inventores memorem animum (F); quamvis autem videatur ſatis probabile olim illud vinum ſive in excipiendis hoſpitibus, ſive in recolendis vini & epularum Inventoribus in terram non effuſum, ſed in terra tantùm depoſitum fuiſſe vini ſcyphum (G); nihil tamen hoc facit ad rei ſubſtantiam; quovis enim modo fieret, eodem certè modo tam erga vivos, quàm erga mortuos fiebat; imò erga mortuos fiebat, ut referretur Ritus, quo vivi colebantur (H).

Jam verò prima illa totius vini effuſio, quæ in colendis Defunctis adhibetur, fit ad imitandum illum antiquum Ritum, quo hoſpites honorificè excipiebantur (I), totúmque effunditur, quia nempe illud vinum odoriferum, quod hoſpitibus offerebatur, non bibebatur (K). Quòd iſtud vinum odoriferum præſentetur ſeu apponatur ad imitandum Vivorum Ritum, id apertè declarat de Confucio Author *Kiu* ſic: *Dum Imperator honorificè Regulum ceu hoſpitem excipit, illi vinum odoriferum præſentat vel apponit* (*Sinicè quon*); *Reguli dum ſe invicem excipiunt, etiam vinum iſtud odoriferum præſentant; inſuper Imperator ad remunerandos Regulos de Imperio bene meritos, etiam vinum odoriferum adhibet. An igitur dumtaxat erga Confucium id poſſe fieri fortè dubitabis* (L)?

Deinde altera illa modici vini effuſio, quæ poſteà adhibetur, fit ad imitandum etiam antiquum illum Ritum, quo gratitudo animi erga primos vini & epularum Inventores exhibebatur (M), tantúmque modica illius pars effunditur; quia nempe olim vini, quod in menſa bibebatur, modica tantùm pars aſſumebatur ad teſtandam illam animi gratitudinem.

Hæc modica vini effuſio cùm deberet fieri à Parentibus, qui jam defuncti eam præſtare non ampliùs poſſunt, ideò Parentantes filii, vice Parentum illam præſtant (N); ut vel ſic promptum & cupidum inſerviendi Parentibus animum monſtrent, & eorum nomine vicariam gratitudinem erga Benefactores exhibeant. Hinc patet iſtam vini duplici modo effundendi intentionem tantùm ſpectare ſolitum inter vivos honoris cultum, & honorariam animi erga Benefactores gratitudinem; adeóque virtutis moralis, non ſuperſtitionis opus.

Nec opponas ejuſmodi vini effuſionem eſſe aliquid divini cultûs proprium; nam litando cæli ac terræ Spiritui illa non adhibe-

 tur (O);

tur (O); adeóque potest potiùs dici esse aliquid non divini, sed humani cultûs proprium, utpote rem convivalem spectans; unde sive effundatur in terram, sive apponatur tantùm in terra ille vini scyphus, hoc non mutat intentionem, nec rem.

Deinde appositis escarum ferculis, ter vini scyphus præsentatur, seu apponitur coram ligneis Parentum Tabellis: Quia, dum olim puer personatus Defunctû repræsentans adhibebatur, ter illi propinabatur; nempe filius Parentans unum, ejus uxor unum, & omnes invitati Hospites simul unum vini haustum ei præbebant (P), ac tamquam Parenti viventi, quem repræsentabat, in mensa serviebant, epulasque tum coctas tum assas ministrabant (Q). Sed hoc motivum & intentio spectat etiam merè humanum & naturalem filii erga Parentem cultum, solitámque in conviviis apud Sinas urbanitatem, quæ sæpius, numero propinandi gaudet ternario; ac proinde nihil illic superstitionis.

Si fortè objicias Sinas sibi imaginari, quòd Defunctorum Animæ seu Spiritus illuc descendant ad olfaciendum istum vini aliarúmque rerum odorem aut suffitum, ideóque istum Ritum vocari *demittere Spiritum*, Sinicè *Kiam xin*.

Hoc dici non potest: Primò quia, ut jam dixi Cap. 1. & infrà rursus dicam, juxta Sinas Defunctorum Spiritus seu Animæ ad Ceremoniam *ey* Physicè ac realiter non adveniunt; adeóque, nisi daretur actio in distans, quod repugnat, istum odorem aut suffitum non olfaciunt; & Spiritus juxta eosdem, ut vidimus in primo Tractatu de cognitione primi Entis, sunt incorporei, ac proinde non habent nares ad olfaciendum. Secundò quia iste modus loquendi *Kiam xin* seu *demittere Spiritum*, (licèt improprius, nec olim usitatus; olim enim vocabatur *Quon*, de quo jam suprà) videtur fuisse adhibitus non ad significandum aut indicandum realem Spirtûs descensum, sed ad distinguendum Ritum, quo Parentum & corpori & animæ grates persolvuntur, seu corpori quatenus olim viventi vitâ sensuum, & animæ quatenus olim viventi vitâ rationis (R). Quia enim, inquiunt, Defuncti corpus in terram revertens, est quid spectans ad *Yn* seu quietem, ideò per illam vini effusionem tamquam aliquid spectans ad *Yn* seu quietem, grates Patris defuncti corpori, quatenus olim viventi vitâ sensuum, persolvuntur. Deinde quia anima in Cælum rediens, est quid spectans ad *Yam* seu motum, ideò pecudis occisæ adeps

adeps' cum milio & herbâ odoriferâ permixta olim concremabatur, ut latè sursum ascendens suffitus suavè olentem vaporem expiraret; simúlque pecudis caput tamquam præcipua pars ad motum seu *Yam* spectans, inferebatur; atque ita per res spectantes ad *Yam* seu motum, Patris animæ quatenus olim viventi vitâ rationis, grates persolvuntur (S). Nunc cum ista adipis, milii, & herbæ odoriferæ concrementio non ampliùs adhibeatur, nisi fortè in raris quibusdam Ceremoniis *cy*, ejus locum supplet communis odoramentorum incensio (T); quæ passim, ut dixi, nunc pro vivis adhibetur. Olim autem adhibebatur illa odorifera combustio; quia tunc Sinæ nondum habebant modum conficiendi odoramenta artificialia, quæ nunc adhibent

Liber quidem Rituum Imperii *Cheu* refert aliquos Præfectos *Vu*, seu *Su vu*, qui dicebantur in exequiis præesse demittendo Spiritui; sed præter quàm quòd de veritate istius textûs valde dubitetur à Sinis (V), isti Præfecti *Vu* non interveniebant in Ceremonia *cy*, quæ fit in Parentali domo, & de qua hîc agimus (X); adeóque iste Parentalis domûs Ritus *quon* non vocabatur *Kiam xin*. Deinde ille modus loquendi *Kiam xin* nihil aliud videtur hîc significare, quâm per attentam mentis considerationem, & internam pacem ac reverentiam Spirituum demittere, seu in mente tamquam præsentem sibi repræsentare; non sicut faciunt isti recentiores Sectarii *Vu*, seu quidam Sectæ *Tao su* Idololatræ, qui per sua pacta & schedulas magicas Spiritus advocant (Z).

Denique quoad herbarum *Mao* fasciculos arenæ immixtos, quamvis videantur ideò adhiberi, ut obvius usus indicat, nempe ad excipiendum vinum dum effunditur, & ad impediendum, quo minùs suâ per pavimentum diffusione inhonorè calcetur; (olim enim cùm vellent aliquid securè & absque cadendi periculo collocare, illud herbis *Mao* involvebant (W); & ad colandum Ceremoniæ *cy* vinum, ut magis mundum ac defæcatius fieret, herbis *Mao* illud etiam involvebant (Y);) tamen quia Liber Rituum Imperii *Cheu*, seu potiùs quidam Interpres dicit animas vagas Posteris carentes, adhibito illarum herbarum *Mao* fasciculo advocari (AA), eorum usus sat dubius paret; dici quidem potest has animas Posteris carentes, de quibus infrà, non comprehendi in lege communi, & de his Sinas satis variè & incertè loqui, præterquàm quòd iste Liber Rituum Imperii *Cheu* in multis sit

dubiæ fidei, nec alii Libri classici, quantum investigare potui, agant de isto herbarum *Mao* fasciculo in Ceremonia *cy* ad istum finem. Ceterùm cum nunc illi herbarum *Mao* fasciculi non adhibeantur in Ceremonia *cy* Confucii, ut diligenter & expressè inquisivi, nec id Ritualia ullibi præscribant; nec etiam in aliis Parentum Ceremoniis *cy* soleant adhiberi, uti & sæpius ab interrogatis Sinis didici; qualescumque illi sint, nullam aut ferè nullam pro quæstione ac pro praxi pariunt difficultatem. Quare Ritus iste suprà explicatus de præsentando seu apponendo vino & escis, non ad superstitionem, sed ad politicam observantiam, ut patet, videtur spectare.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rituum Domestic. tom. 7. *Cy li* sic: Post unam leviorem & quatuor profundiores corporis inclinationes, demittitur Spiritus, Sinicè *Kiam xin*; id est, Parentans seu Paterfamilias lavat manus, accedit ad mensam odorum, flectit genua, incendit odoramenta; unus è liberis vel consanguineis flectit genua à sinistra parte, scyphum orbiculo impositum ei offert, & alter à dextra, etiam flexis genibus, vinum infundit in scyphum. Paterfamilias lævâ tenens orbiculum, & dextrâ scyphum, effundit totum vinum in fasciculum herbarum *Mao*, arenæ immixtum, binámque Tabellis profundiorem reverentiam exhibet. Dein Pater & Materfamilias è manibus famulorum accepta fercula piscium & carnium, edulia, orizam, paniculos, &c. apponunt in secundo mensæ ordine vacuo ante ligneas Abavi & Abaviæ, Proavi & Proaviæ, Avi & Aviæ, Patris & Matris Tabellas; & ceteri Consanguinei ante collateralium Consanguineorum Tabellas. Posteà Paterfamilias prima vice præsentat vinum; id est, ante unamquamque Abavi & Abaviæ, Proavi & Proaviæ, Avi & Aviæ, Patris & Matris Tabellam è scypho effundit tantillum vini in supradictum fasciculum herbarum *Mao*, & famulus receptum vini scyphum ante eamdem apponit, &c.

Paulò infrà in Ceremoniæ continuatione præscribitur apponendum aliquid carnis assæ, vinúmque secunda & tertia vice præsentandum cum aliqua adhuc carne assà, uti prima vice.

B 2. Lib.

B. 2. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 5. *Uam chi* sic: Imperatores familiæ *Hia* solebant uti Ritu *Hiam*. Ritus *Hiam*, inquit Interpres *Chin hao*, est ille, in quo præsentatur carnis ferculum, sed illa non comeditur: Impletur scyphus vino, sed non bibitur: statur, & non sedetur; juxta variam personæ nobilioris aut ignobilioris conditionem majori aut minori Ceremoniæ iteratæ numero Ritus absolvitur. Verumtamen hic Ritus dumtaxat erga quadruplex hominum genus observabatur: 1. Erga Regulos ad Curiam Imperialem accedentes. 2. Erga Imperatoris Consanguineos, & Regulorum Legatos. 3. Erga exteriorum Principum Legatos. 4. Erga prætorianorum Militum Duces, senes & orphanos. Sed hi ad satietatem usque, vino recreabantur, inquit Liber *Cieu chim.*

B. 3. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 10 *Li ki*, sic: Reguli dum se invicem invisebant, vinum odoriferum ex herbis *To* & *Cham* confectum offerebant, sed absque escæ ferculo. Dein Interpres *Chin hao*: Reguli dum se invicem invisebant, sic præsentandi Ritum peragebant: Regulus qui invisebatur, vinum ex odoriferis herbis *To* & *Cham* confectum infundebat in scyphum ad offerendum Regulo hospiti; sed non offerebat escæ ferculum; quia Reguli dum se invicem excipiebant, virtutis odorem ac fragrantiam, non cupediarum ac dapum saporem spectabant.

Vide etiam hîc infrà num. 6. litterâ D. & num. 7. littera E.

C. 4. Lib. Rit Imperii *Cheu* tom. 3. *Chun quon* art. *Cham gin*, sic Interpres *Chi gin sie*: Dum Imperator aut Rex venit Parentatum, seu venit domum ad reverendum hominis cadaver, unus è Ministris coram illo apponit vinum odoriferum ad expellendum pravum aërem.

C. 5. Lib. Annal. Imperial. tom. 5. Cap. *Lo kao*, sic Princeps *Cheu kum* loquitur: *Imperator* (nempe *Chim uam*) venire jussit, qui mandata sua populo exponeret, simúlque jussit ad recreandos meos labores, duabus vini ex milio nigro & herba fragrantissima *Cham* confecti amphoris me donari, dicendo: *Hoc est mundi cordis munus honorificum*, Sinicè *Yn*; *reverenter illud excipe*. Tum Interpres *Tsay xin*: Ita vox *Yn*, id est, *honor*; nimirum eo Ritu, quo Spiritus seu Defuncti coluntur, voluit Imperator colere Principem *Cheu kum*. Vinum, inquit Doctor *Su*, ex nigro milio confectum, herbísque odoriferis *To*

& *Cham* commixtum, seu illarum succo temperatum, est id, quo fit Ceremonia *Quon*; & inter omnes qui in Parentali Majorum Au'a fiunt Ritus, nullus est celebrior ac honoratior, quàm istius v ni Ceremonia, Sinicè *Quon*. Ratio autem cur Imperator venire jusserit, qui mandata sua populo præteritæ Familiæ Imperialis *Yn* exponeret, & duabus vini odoriferi amphoris labores Princip s *Cheu kum* recrearet, dicendo: *Hoc est mundi cordis munus honorificum; reverenter illud excipe*, fuit, quia eo Ritu, quo Spiritus Intelligentes seu Defuncti Parentes coluntur, voluit Principem *Cheu kum* colere.

Prisci enim dum habebant hospitem omni exceptione majorem, hoc præsentandi, Siniсè *Quon*, Ritu eum colebant; vinum D. purum aut clarum præsentabatur; sed quamvis homo sitiret, illud non bibebat; dein caro exsiccata præsentabatur; sed quamvis homo esuriret, non illam comedebat; ideò in isto præsentandi seu *Quon* Ritu, etiam aderat carnei ferculi munus. Ecquæ sanè major veneratio exhiberi possit? numquid igitur iste Ritus est sicut Parentalis Ceremonia *cy*?

D. 6. Lib. Rit. Imperii *Cheu*, tom. 1. *Tien quon* art. *Siao chay*, sic: Quotiescumque hospes excipiebatur (scilicet ab Imperatore), quidam Ceremoniarum Præfectus præsentabat vinum odoriferum. Interpres *Chin gin sie* sic: præsentabat vinum hospiti, quia nempe eo honore hospitem, quo Spiritus seu Defunctos Parentes, colebat.
Item vide num. 7. sequentem, litterâ E.

E. 7. Lib. Rit. tom. 5. Capit. 11. *Kiao te sem*: Dum aliquis Regulus invisens Imperatorem, tractabatur ut hospes; Imperator vinum ex nigro milio & ex herbis odoriferis *Yo* & *Cham* (alio nomine *Kin hiam*) confectum ei præsentabat; quod autem in hoc vino præsentando spectabatur, erat ille odorifer suffitus. Dein in magno præsentandi Ritu, quod maximi fiebat, erat illud carnis ferculum cum gingibere & cinnamo conditæ. Tum Interpres *Chin hao*: Postquam in Parentali domo ternus præsentandi Ritus peractus erat, tunc Imperator vinum ex fragrantissimis herbis *Yo* & *Cham* confectum Regulo hospiti offerebat. Reguli se invicem invisentes, idem etiam præsentabant. Unde patet id quod maximi fiebat, fuisse istum suffitum. Paucis interjectis sic: Magnus præsentandi Ritus, erat ille quo Imperator

perator tractabat Regulos; dum peragebatur, quamvis apponeretur bovis integri ferculum, primùs tamen antè stoream humi apponebatur ferculum carnis cinnamo & gingibere conditæ. Hinc patet illum Ritum non factum fuisse ad sapores & cupedias degustandas.

F. 8. Lib. Rit. tom. 1. Cap. 1. *Kio li xam* sic: Herus inducit Hospitem ad faciendam Ceremoniam *cy*. Sic autem fit: Quod priùs infertur, de eo priùs fit Ceremonia *cy*; juxta successivum ferculorum ordinem peragitur Ceremonia. Tum ibi Interpres *Chin hao*: Prisci, inquit, ut principium, à quo res inceperunt, non oblivifcerentur, in quavis refectione ad singula escarum fercula desumebant tantillum cibi, & illud in vase vacuo super mensam posito deponebant, ad grates primis condiendarum epularum Authoribus persolvendas; & hoc vocabant *cy*. .... Prisci, inquit Doctor *Chu hi*, præsentabant, Sinicè *cy*, vinum in terra, & escas in catino.

Vide etiam hìc infrà num. 19. litterâ M.

G. 9. Lib. *Ta mim hoei tien*, seu collectio Rituum ac Statutorum Imperialis Familiæ *Ta mim*, tom 79. de Ritu *Hiamyn* sic: Minister infundit vinum in scyphum, &c. Vide suprà Cap. 3. quæst. 1. in textibus num. 11. & 12. litterâ I.

G. 10. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom. 1. *Tien quon* artic. *Siao chay*, sic: Hic Præfectus, quotiescumque fit Ceremonia *cy*, adjuvet Imperatorem in rebus, quæ spectant ad serica volumina, ad scyphos, ad vinum præsentandum. Dein Interpres sic; Infundere vinum ex herbis *Yo* & *Cham* confectum ad præsentandum Spiritui personato, id dicebatur *Quon*. Patet ergo illud non bibi, sed quod spectabatur, erat facere istum præsentandi Ritum. Iste vini odoriferi præsentati Ritus, Sinicè *Quon*, tantùm inter homines (nempe vivos), & in Parentali Majorum domo adhibebatur; pro magno autem Cæli ac terræ Spiritu non adhibebatur. Hoc vinum adhibebatur ad præsentandum Spiritui personato. Spiritus personatus illud excipiebat, faciebat Ceremoniam *cy* seu humi deponebat, ori admovebat, ac ibi reponebat. Faciebat Ceremoniam *cy*; id est, primis potûs & cibi condiendi Authoribus eam faciebat; dein illud ori admovebat, ac ibi reponebat; non bibebat.

H. 11.

H. 11. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom 3. *Chun, quon* art. *Tien xui*: Hic Prefectus pretioso vase *Quei tsan* utatur ad pecudis ferculum, quod apponitur priscis Imperatoribus, & ad vinum quod præsentatur Hospitibus.

H. 12. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 25. *Cy tum*, sic: Ipsemet Imperator accipit vas pretiosum *Quei tsan* ad præsentandum Spiritui personato prima vice vinum; dein primus ejus Minister accipit pretiosum vas *Cham tsam* ad eidem præsentandum secunda vice.

H. 13. Lib. Rit. tom. 6. Cap. 14. *Mim tam guei*, sic Interpres *Chin hao*: Hîc ista vox *Quon*, significat infundere vinum ex odoriferis herbis *Yo* & *Cham* confectum ad præsentandum Spiritui personato.

H. 14. *Yen* Paulus in Manuscriptis sic: Hinc vides istam vini odoriferi præsentandi Ceremoniam non pro solis Spiritibus aut Defunctis adhibitam fuisse; imò patet, dum adhibetur pro Spiritibus aut Defunctis, id fieri ad imitandum illum Ritum, quo homo in vita colebatur. Hujus Ceremoniæ motivum ac intentio non alia est, quàm fragranti istius vini odore patefacere suæ reverentiæ fragrantiam, non verò potum spectat.

Vide etiam hîc suprà num. 5. litterâ C. & num. 6. litterâ D.

I. 15. Lib. Rit. Domest. tom 7. agens de hujus vini odoriferi præsentandi Ritu ex herba *Cham*, cui succus herbæ *Yo* immiscebatur, confecti, (ut dicitur infrà num. 25. litterâ R.) sic Glossator *Yam xin*: Atque illud est, quod posteà vocârunt *Luy cieu*, *kiam xin*, id est, effundere in terram vinum & demittere Spiritum.

Deinde ibidem referendo illam herbæ *Siao*, mixtæ cum pecudis adipe & milio concremationem, (ut dicitur etiam infrà num. 25. litterâ R.) sic idem Glossator *Yam xin*: Atque illud est, quod posteà vocârunt *Fuen hiam cy xin*, id est, cremare odoramenta, dum fit Spiritui Ceremonia *cy*.

Vide etiam hîc infrà num. 19. litterâ M.

K. 16. Vide hîc suprà num. 5. litterâ C. & num. 7. litterâ E. item num. 10. litterâ G.

K. 17. Lib. *Ta mim hoei tien*, seu collectio Rituum ac Statutorum Imperialis Familiæ *Ta mim*, tom. 79. de Ritu *Hiam yn* in verborum formula sic: Veneremur Imperatorem, quia juxta priscam normam, sollicitè curando Ritus ac disciplinam, jussit hanc convivalem

lem civium solemnitatem celebrari non ad comedendum & bibendum, sed ut juniores & seniores ad honestatem se invicem omnes exstimulent.

L. 18. Lib. *Kummiao lyyo kao*, tom. 3. sic: Dum Imperator honorificè &c. ut suprà in contextu.

M. 19. Lib. Rit. Domestic. tom. 1. sic: Ritus *Luy*, inquit Doctor *Chu hi*, seu Ritus vini in terram effundendi, duplex est explicatio: Prima est, vinum ex odoriferis herbis *Yo* & *Cham* temperatum in terram effundere ad demittendum Spiritum; qui Ritus Imperatoris ac Regulorum proprius est. Secunda est, facere Ceremoniam *cy*. Prisci enim inter comedendum & bibendum, illam semper faciebant. Jam verò quia Defuncti non possunt ampliùs eam facere, ideò fit illorum nomine.

N. 20. Lib. Rit. Domestic. tom. 7. *Cy li* circa finem, sic Doctor *Chu hi*: Præsentare, Sinicè *cy*, vinum; id est, Paterfamilias prima vice illud præsentat; si ille non adsit, supplet Materfamilias. Secundâ vice illud præsentat Patrisfamilias frater natu minor, & hujus vxor ultima seu tertia vice. Effundere vinum, rursus inquit Doctor *Yam*, supra herbarum *Mao* fasciculum, est pro Spiritu seu Defuncto facere Ceremoniam *cy*. Dum ter præsentatur vinum, ad singulas vices illud effunditur supra herbas *Mao*.
Vide etiam hîc suprà num. 19. litterâ M.

O. 21. Dictionarium *Ta tsu guey* in littera *Quon* sic: Hæc littera significat in Ceremonia *cy* vinum scypho infundere ad effundendum in terram. In Capitulo libri Annal. Imperial. dicto *Lo kao*, inquit Doctor *Yen*, dum dicitur: Imperator (nempe *Chim uam*) ingressus Parentale Majorum conclave, fecit *Quon*; id est, accipiens vas pretiosum *Quei tsan* infudit vinum in craterem, ut illud Spiritui personato offerret. Spiritus personatus acceptum vinum non bibit, sed in terram effundit; idcircò dicitur *Quon*. Hic Ritus *Quon* in Parentali Principum palatio adhibetur, sed pro magno cæli ac terræ Spiritu non adhibetur.
Vide etiam hîc suprà num. 10. litterâ G.

P. 22. Lib. Rit. tom. 9. Cap. 30. *Fam ki*, sic Interpres *Chin hao*: Puer personatus bibit ter; id est, filius Parentans, nurus Parentans & omnes invitati hospites, singuli semel unum vini haustum offerunt Puero personato. R Q. 23.

Q. 23. Lib. Rit. tom. 6. Cap. 15. *Sam fo siao ki*, sic Interpres *Chin hao*: Ad faciendam Ceremoniam *cy* adhibere illos Ritus, qui erga vivos adhibebantur, istud est adimplere verum filii munus. Hinc Spiritus personatus, ut Defuncti Spiritum repræsentaret, ipsius Defuncti vestes induebat.

Q. 24. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 25. *Cy tum*, sic Interpres *Chin hao*: Posteà dum in lance præsentabatur caro & cruda & condîta, tunc tantùm incipiebat comedere, & bibere Spiritus personatus.

R. 25. Lib. Rit tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem* sic: Imperatores Familiæ *Cheu* quod maximè spectabant & plurimi faciebant, erat suffitus. Ideò ad faciendam Ceremoniam *Quon* utebantur bene fragranti vini ex herbis *Cham* confecti odore seu suffitu; istique vino odoriferæ herbæ *Yo* succum immiscebant aut supperaddebant, ut iste vini odor pertinens ad quietem *Yn* seu ad Defuncti corpus, penetraret in imos terræ recessus. Ad faciendam hujus vini Ceremoniam utebantur pretioso vase *Quei cham*; at quod spectabatur, erat ille pretiosi vasis fragrans odor. Absolutâ hujus vini Ceremoniâ *Quon*, tunc demum ibant ad excipiendam pecudem seu pecudes; quia volebant priùs fragrante illo vini odore, rem ad quietem *Yn* pertinentem, nempe Defuncti cadaver, colere.

Posteà odoriferam herbam *Siao* cum milio miscebant ut fragrans ejus odor pertinens ad motum *Yam*, seu ad Defuncti animam, sursum penetraret inter muros ac cubicula. Idcircò apposito coctæ carnis ferculo, tunc demum ista odorifera herbæ *Siao* concrematio fiebat. In omni Ceremonia *cy* id diligentissimè satagebant, Nam quia vitalis animæ aura in Cælum, & organizata corporis forma in terram revertitur (scilicet dum homo moritur), ideò Ceremonia *cy* est quædam ratio conquirendæ rei ad quietem *Yn* & ad motum *Yam* spectantis. Hactenus textus. Dein Interpres *Chin hao* sic: Imperatores Familiæ *Cheu* maximi faciebant suffitum; & in Ceremonia *cy* primùm rem ad quietem *Yn* pertinentem conquirebant; idcircò antequam pecudes mactarentur, vinum odoriferum scypho infundebant & in terram effundebant ad conquirendum Spiritum seu Defunctum. Utebantur autem illâ herbâ *Cham*, quia

quia est optimi odoris: propterea dicitur: *utebantur bene fragranti vini ex herbis Cham confecti odore.* Insuper huic vino immiscebant herbæ *To*, aliter *Kin biam* dictæ, succum, ut uberiorem optimi odoris copiam exhalaret. Paulò infrà sic: vinum ex herbis *Cham* confectum, inquit Doctor *Xe leam uam*, in terram effundere, est suffire seu odore prosequi rem ad quietem *Tn* pertinentem, nempe Defuncti corpus; & herbæ *Siao*, aliter dictæ *Hiam kao* (nempe immixtæ cum adipe pecudis & milio) concrematione suffitum sursum emittere, est suffire, seu odore prosequi rem ad motum *Yam* pertinentem, nempe Defuncti Animam.

Deinde paulò pòst: Hic Ritus non spectabat ad primarios Præfectos & Litteratos, sed tantùm ad Imperatorem & Regulos. Vide etiam hîc infrà num. 26. & 27. litterâ S.

S. 26. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 15. *Kiao te sem*, sic Interpres *Chin hao*: Dum visibilis Majorum Defunctorum species seu organizatum corpus in terram revertitur, id dicitur res ad quietem *Tn* pertinens. Pulmo comparatus cum quinque primariis principiis universalibus (scilicet terra, igne, aqua, ligno, metallo), spectat ad metallum; metallum & aqua sunt etiam quid pertinens ad quietem *Tn*; idcircò in Ceremonia *cy* additur pulmo & aqua munda, ut cum rebus ad quietem *Tn* pertinentibus grates persolvantur Intelligentiæ rei ad quietem *Tn* pertinentis, (nempe animæ quatenus olim corpus vivificanti; vel potiùs, corpori quatenus olim viventi vitâ sensitivâ). Deinde adeps in vase focario incenditur; dùmque præsentatur caro cocta, tunc herba *Siao* cum milio mixta concrematur. Milium est quid pertinens ad motum *Yam*, pecudisque caput est etiam pars ad *Yam* pertinens. Jam verò quia animæ aura vitalis dum in Cælum revertitur, dicitur res pertinens ad motum *Yam*, ideò cum rebus ad motum *Yam* pertinentibus grates persolvuntur Intelligentiæ rei ad motum *Yam* pertinentis, (nimirum animæ, quatenus olim viventi vita rationali).

S. 27. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 24. *Cy y* sic: Positis igitur his duabus rebus, (scilicet hominis corpore & Anima), instituti sunt duo Ritus. Primus, est matutinum opus, quo pecudis adeps mixta cum odorifera herba *Siao* comburebatur ad gratias agendas vitali Auræ, seu Defuncti Animæ. Hoc enim modo instruebantur po-

puli recolere suam originem, ex qua nati erant. Secundus, est post matutinum opus, quo præsentabantur milium, jecur, pulmo, caput, cor, cum duabus vini novi amphoris; & insuper in terram effundebatur, vel præsentabatur vinum ex odoriferis herbis *To* & *Cham* confectum, ad gratias agendas Defuncti corpori.

Ad hunc locum sic Intepres *Hoam* in suo commentario *Li ky kiam y*, id est, interpretatio Libri *Ly ki*: Id quod per istam & adipis & herbæ odoriferæ *Siao* vel *Hao* combustionem intendebatur, erat suavis exhalatio & bonus odor. Odor & exhalatio cùm sit quid ad motum *Yam* pertinens, erat id, quo Spiritui producenti (nempe Animæ) serviebatur, & vitali Auræ olim viventi gratiæ agebantur; atque ita docebantur populi suam originem recolere. Appositio milii, jecoris, pulmonis, capitis, cordis cum duabus vini novi amphoris; & odoriferi vini in terram effusio, vel humi depositio in principio Ceremoniæ adhibita, sunt quid spectans ad gustum & saporem. Gustus autem & sapor cum sit quid spectans ad quietem *Yn*, erat id, quo serviebatur Spiritui destruenti seu abeunti, & corpori olim viventi gratiæ agebantur.

T. 28. Vide hîc suprà num. 15. litterâ I.

V. 29. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom. 3. *Chun quon*, art. *Su vu*, sic: Præfectus *Vu* seu *Su vu* in quovis funere curet servari Ritum demittendi Spiritûs. Tum Interpres *Chin gin sie* sic: Dum homo moritur, corpus in terram, anima in Cælum revertitur; idcircò in agendis funeribus Præfectus *Su vu* præest demittendo illius Spiritui.

Forsitan dices, ut inquit Doctor *Ho*: Sub priscis Imperatoribus, dum recta vivendi ratio ac doctrina vigebant, pravàque dogmata aberant, ubinam sanè habebantur ista officia Præfectorum qui præerant demittendis Spiritibus, & pro vindicta invocandis? si Princeps *Cheu kum* illa præscripsit, ad quid servit ista cura? ita ille. Ego tamen arbitror aliter rem se habere; cùm enim in Libro Annalium Imperialium (scilicet tom. 4. Cap. *Kin tem*) dicatur Præfectus Annalium accepisse Libri formulam; cúmque in Libro productionum ac mutationum (scilicet parte *Xue qua*, art. 11.) Præfectus *Vu* quasi mixtim inter alia appareat; hinc infero Præfectos *Su vu* olim fuisse; sed prisci demittendis Spiritibus Præfecti

cti non erant, ut isti moderni. Liber *Chun cieu que yu* sic: Cum hominis, inquit, mens est attenta nec distrahitur, internámque pacem ac reverentiam servat, tunc ejus intellectus potest ritè res superiores & inferiores inter se componere; ejus perspicacitas longè latéque se diffundere; ejus claritas radiare; ejus intelligentia intelligere, atque ita Spiritum demittere. Quidnam igitur hîc simile est cum istis pravis artibus, quas falsi demittendis Spiritibus Præfecti ac Sectarii (scilicet Sectæ *Tao su*) cum suis pactis, schedulis, chirographis, cúmque sua aqua ad eos superandos, posteà introduxerunt?

X. 30. Liber *Ven hien tum kao* tom. 92. sic: Isti Præfecti *Vu*, vel *Su vu* præsidebant tantùm Ceremoniæ *cy* Spirituum cæli ac terræ, non Ceremoniæ *cy*, quæ in Parentali Majorum Defunctorum domo fit.

Z. 31. Vide hîc suprà num. 29. circa finem, litterâ V.

W. 32. Lib. product. ac mutat. part. *Xam chuen*, art. 8. sic: si res, inquit Confucius, humi deponatur, potest esse secura; si insuper herbis *Mao* involvatur, quid mali tunc potest timeri? hæc enim maxima, quæ adhiberi potest, cura est. Ista herba *Mao* licèt sit quid valde tenue ac leve, ejus tamen usus magni faciendus. Unde ejus artem diligenter attende. Nam Sapiens, qui in agendo eâ utitur, (nempe qui utitur vigilantiâ & cautelâ) potest à culpa se immunem reddere.

Ad quem locum recta hujus libri explicatio sic: Vasa in loco securo posita non periclitantur; contrà in loco non securo. Si autem aliqua res humi deponatur, potest esse secura; multò magis si insuper herbis *Mao* quasi calatho involvatur, ecquod tunc labendi periculum? sic rem involvendo, non tantùm quælibet cura, sed & summa cura ostenditur. Quamvis ista herba *Mao* sit quid tenuissimum & levissimum, dum quis tamen eâ utitur ad rem involvendam, tunc res potest à labendi periculo esse secura, & sua erga eam vigilantia, cura, existimatio ostenditur. Idcircò ejus usus est magni faciendus.

Y. 33. Lib. Rit. tom 5. Cap. 11. *Kiao te sem*, sic: ad colandum Ceremoniæ *cy* vinum, herbis *Mao* illud involvatur.

AA. 34. Liber. Rituum Imperii *Cheu* tom. 3. *Chun quon* artic. *Su vu*, agens de subalterno præfecto *Vu* sic: Undequaque advocet, adhibito herbarum

barum *Mao* fasciculo. Dein Interpres *Chin gin sie* : Vagæ animæ carentes Posteris, possunt debacchari & damna afferre; ideò adhibito herbarum *Mao* orientalium (in istis partibus orientalibus inveniuntur) fasciculo advocantur, & eis fit Ceremonia *cy*.

Sed nota : Hic Interpres fortè loquitur juxta mentem Sectariorum *Tao su*.

PUNCTUM VII.

De Invitatione seu exhortatione ad epulas.

PRæsentato seu apposito vino & escis, uti jam dictum est in præced. Puncto, idem Liber Rituum domesticorum sic pergit, & hunc Ritum, quem vocat invitationem seu exhortationem ad epulas, præscribit: Paterfamilias seu filius Parentans ante omnes Tabellas implet vino scyphum; Materfamilias seu nurus Parentans infigit cochlear in scutellas orizæ, ante easdem Tabellas appositæ. Deinde binâ exhibitâ reverentiâ omnes egrediuntur; portâque clausâ, vel vimineo velo demisso, tantisper quiescunt. Lector seu quidam Ceremoniarum Præfectus tussienti similis, ter lugubrem oris sonitum edit, Sinicè *Y hin*, (*Y*, est vox suspirantis; & *Hin*, est vox significans desiderium, quo optaretur, ut Spiritus seu Defunctus res præsentatas spectaret aut gratas haberet); aperitur porta, & Parentantes ante omnes Tabellas deferunt potum *Cha* (A).

Motivum Institutionis & intentio Operantis sic:

Si animæ Defunctorum, juxta Sinarum mentem, nec Ceremoniæ *cy* intersint, nec ad illam veniant, ut jam partim vidimus, & expressiùs adhuc posteà videbimus, liquet id non fieri, ut illæ comedant ac bibant res appositas; sed esse simplex desiderium defunctis Parentibus alimenta præbendi, sicut vivis præbebant. Hanc autem Ceremoniam ortam esse arbitror, ex eo quòd antiquitus Parentantes, primò filius, dein nurus, posteà Consanguinei personato Puero Patrem defunctum repræsentanti, vinum ter præsentarent, & epulas ei apponerent (C). Deinde Lector, Parentantis Patrisfamilias nomine eum hortabatur & excitabat ad fruendum epulis (D); idque Parentans præstabat ad explendum suæ filialis observantiæ munus (E). Jam verò cùm pridem non adhibeatur ampliùs ille Puer personatus, remansit

sit similis hic Ritus, quo Parentans coram Tabella lignea monstrat suum erga Patrem affectum, sicut olim coram Puero personato (F); & quemadmodum olim dum comedebat Puer personatus, Defuncti non comedebant; ita nec nunc. Deinde dum Interpres explicat vocem *Hin* eo modo, quo jam dixi, originalis libri textus ibi agit de serico volumine quod Imperatori defuncto præsentabatur (G); atque adeò præsentans ibi non cupiebat, ut rei præsentatæ, id est, serici voluminis, vaporem comederet. Hujus ergo Ritûs motivum & intentio ad politicam tantùm observantiam etiam spectare videtur.

Eodem modo explicandæ, vel intelligendæ variæ locutiones, quibus Parentantes alloquuntur Tabellam ligneam tamquam Defuncti Spiritum, seu potiùs Defunctum; vel certè illas explica de Parentum defunctorum Spiritu, quem ut præsentem sibi in mente proponunt, sicut infrà dicam.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. Domestic. tom. 7. *Cy li* sic: Fit invitatio seu exhortatio ad epulas, &c. ut suprà in contextu.

B. 2. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 7. *Cem tsu uen* sic: Discipulus *Cem* interrogans Magistrum suum Confucium: Si Imperatore, inquit, moriente, nascatur filius heres, quid faciendum? vicario Imperii Administratore, reponit Confucius, cum aliis Præfectis stante apud occidentalis scalæ gradus facie ad boream versa, primus Ceremoniæ *cy* formularum Præfectus seu Lector solemni habitu indutus accipiat sericum volumen, & à parte occidentali ascendat ad ultimum usque scalæ gradum; aulam tamen (nempe in qua depositum est Defuncti feretrum) non subeat; ibíque jubeat non plorandum. Dein ternum oris sonitum edendo faciat denuntiationem Imperatori defuncto sic: Filius Imperatricis N. natus est: Id tibi nuntiare audeo. Quibus dictis, præsentatum sericum volumen deponat super mensulam fultricem ad partem sandapilæ orientalem.

Ad hunc locum sic Interpres *Chin hao*: Postquam Lector ter vocem *Y hin* edidit ad excitandum Spiritum seu Defunctum, ut audiat, tunc ei facit denuntiationem, (nempe nati filii). Ista vox *Y* est

est vox suspirantis & dolentis, & vox *Hin* significat desiderium, quo Parentans optat, ut Spiritus seu Defunctus præsentatum munus spectet, aut gratum habeat, Sinicè *Hiam.*

C. 3. Lib. Rit. tom. 9. Cap. 30: *Fam ki* sic: Puer personatus bibit ter, & omnes invitati hospites semel, ad ostendendum discrimen superiorem inter & inferiorem. Dein Interpres *Chin bao* sic: *Puer personatus bibit ter*, id est, filius Parentans, nurus Parentans, & omnes invitati hospites, singuli semel unum vini haustum præbent Puero personato; posteà filius Parentans omnibus invitatis hospitibus unum haustum offert, seu illis semel propinat; atque ita dicuntur omnes invitati hospites semel bibere.

D. 4. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem*, sic Interpres *Chin hao*: Parentantis adjutor, est ille, qui admonet exhortando, nempe Puerum personatum. Cur autem admoneat exhortando Puerum personatum, est quia exoptat, ut hæc præsentata seu apposita fercula excipiat, grata habeat, gustet.

D. 5. Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *Tsu tsu*, sic compendiosa Interpretum compilatio: Excipitur Spiritus personatus in conclave, & illi fit reverentia ad eum tranquillandum. Deinde apponuntur epulæ, & Lector Parentantis nomine illum excitat, hortaturque ad comedendum: Id est, sic olim fiebat.

E. 6. Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *Sin nan xan*, sic eadem compendiosa Interpret. compilatio: Illud vinum & illam escam nostro personato Spiritui Defunctum repræsentanti dabo, eum omninò tranquillabo, eum hortabor ad edendum, ut meum filialis observantiæ munus expleam. Postquam autem ter vini haustus illi præsentatus fuerit, tunc nostris invitatis hospitibus Ceremoniæ adjutoribus ea etiam dabo, propinandi ac respondendi Ritum servabo, ut meam reverentiam exactè exhibeam.

F. 7. Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 21. Doctor *Vam* sic ait: Dum non adhibetur Puer personatus Defunctum repræsentans Sinicè *Xi*, inquit Libri *Y li* Capitulum *Su yu li*, (v. gr. in morte pueri); Ceremoniarum Præfectus *Cho* claudit portam & fenestram, non aliter ac dum Puer personatus *Xi* brevem accipit refectionem. Deinde rursus sic ait: Præfectus *Cho* ternum edens vocis sonitum *Y hin*, aperit portam.

Jam

Jam verò cùm in Ceremonia *cy* non adhibeatur ampliùs puer iste personatus *Xi*, ideò illius Ritûs articulum proponi necesse fuit.
G. 8. Vide hìc suprà num. 2. litterâ B.

PUNCTUM VIII.

De bibendo faustitatis vino & excipiendo escæ ferculo.

PEractis iis, quæ in superioribus punctis recensuimus, tunc ut habet idem liber Rituum Domesticorum, epotatur felicitas, & præsentatæ rei ferculum excipitur sic: Famuli stoream sternunt ante mensam odoramentorum, ubi Paterfamilias seu filius parentans facie ad boream versâ, flexis genibus plenum è manu Lectoris scyphum vini, qui ante Abavi Tabellam priùs exstabat, accipit; facit Ceremoniam *cy*, id est vini tantillum in terram effundit, & tantillum degustat. Idem Lector acceptæ in catino tantillum orizæ, quæ ante ligneas Parentum Tabellas priùs etiam exstabat, defert ad latus lævum Patrisfamilias, ubi legit hanc apprecatoriam verborum formulam: Avi defuncti jubent me internuncium tibi nepoti obsequioso, quam communices tuis nepotibus obsequiosis, felicitatem sine termino deferre, ita ut à Cœlo Magistratum seu Magistratûs stipendia accipias, optimam ex agris messem colligas, & longissimam vitam ducas. Vide nè hunc Parentalem Ritum negligas, sed eum Posteris tuis transfunde. His dictis Paterfamilias deponit humi scyphum vini ante stoream, factísque solitis corporis inflexionibus, rursus genua flectit, & orizæ ferculum è manu Lectoris excipit, & tantillum degustat (A).

Motivum Institutionis & intentio Operantis sic:

Primò quod attinet ad istud vinum faustitatis & orizam; filius Parentans illud bibit, & hanc comedit tamquam paterni epuli reliquias, peracto convivio (B); uti in vita facit filius bene morigeratus. Illius enim vini & orizæ ante ligneas defunctorum Parentum Tabellas appositio, repræsentat communis mensæ inter vivos appositionem. Unde & reliqui consanguinei atque Posteri collecta appositarum

rum epularum fercula etiam comedunt ac vinum bibunt ut reliquias (C); nec tantum ut reliquias, sed etiam ut quoddam liberalitatis ac beneficentiæ munus (D). Atque ita dum Præfectus in fine Ceremoniæ *cy* Confucii excipit vini scyphum & carnis ferculum, illa excipit ceu quoddam liberalitatis ac beneficentiæ à Magistro profectum munus. Quocircà nihil cum Idolothyto commune. Idque clare colligitur ex eo quod dicitur: Si vinum aut escæ in Parentali Progenitorum Ceremonia appositæ non sufficiant ad distribuendum iis, qui interfuerunt, Parentans seu Paterfamilias aliud vinum & aliam carnem curet addi (E). Certè hæc caro addita & vinum, quæ in Ceremonia *cy* non fuerunt apposita, non possunt dici Idolothyta. An forte aliquis volet istud vinum, & carnem cum aliis misceri, ut evadant Idolothyta? id sanè curant Sinæ. Nec obstant voces illæ: *Epotatur faustitas* seu *felicitas*, cùm non vox, sed intentio vocis in communi sensu acceptæ rem in sua specie constituat; per illam autem vocem *felicitas* in Ceremoniis *cy*, Sinæ intelligunt operis perfectionem, rectitudinem, &c. (F), ut dicam infrà. Jam verò quod attinet ad præfatam apprecatoriam verborum formulam; olim personatus Puer jubebat Lectorem tamquam Internuncium illam recitare (G); nunc cùm non adhibeatur ampliùs Puer personatus, Lector Defunctorum nomine tamquam Internuntius illam legit. nimirum sicut Pater aut Avus in vita multam apprecabatur felicitatem filio, aut nepoti obsequenti ac bene agenti; ita nunc iste internuntius Lector, induens Patris aut Avi defuncti benevolum animum, illam filio ac nepotibus eorum nomine apprecatur, ita ut non sit Parentans, qui illam petat.

Esse autem hunc sensum colligitur ex eo quod immediatè sequitur: Parentali enim Ceremonia *cy* peractâ, mox Pater & Materfamilias, ut habetur in eodem libro & tomo Rituum Domesticorum, sedent in medio aulæ; liberi, nurus, nepotes, aliique Posteri ac consanguinei easdem, quas Defunctis exhibuerunt, corporis inflexiones eis exhibens. Dein illorum unus natu grandior accipit vini scyphum & flexis genibus eum illis præsentat, intereà dum Lector hanc verborum formulam recitat: quandoquidem Parentalis Ritûs opus sit peractum, Majoréſque defuncti gratum munus habuerint, submissè exoptamus, Parentes venerandi, ut quintuplicem felicitatem perfectè recidiatis

piatis, (scilicet longam vitam, divitias, sanitatem, virtutem, finem optimum), totámque nostram familiam protegatis, ac rectè componatis. His lectis, vini scyphum tradit famulo, & famulus eum apponit ante venerandos Parentes, móxque ipse surgens factâ leviori reverentiâ redit ad locum, ubi cum aliis omnibus consanguineis unam leviorem, & quatuor alias corporis inclinationes profundiores eis exhibet, nempe omninò ut fit Defunctis. Tum Paterfamilias: Quandoquidem, inquit, Parentalis Ritûs opus sit peractum, quintuplicis felicitatis bonum vobis omnibus commune facio. Quo dicto, rursus iteratæ corporis inflexiones. Dein viri in exteriori, mulieres in interiori aula præsentatas dapes, sive peracti convivii reliquias edunt & bibunt (H).

Hic vides & ipsum Lectorem Parentibus, & ipsos Parentes suis Liberis ac Nepotibus etiam bene apprecari. Sic etiam in Ceremonia, in qua primus pileus solemniter imponitur Adolescentis capiti, invitatus hospes & Ceremoniarum Præfectus illi recitat apprecatoriam verborum formulam (I). Præterea ejusmodi faustæ apprecationes inter epulas in laudem convivarum illustrium olim à Musicis sæpe decantabantur (K). Unde hoc non est quid particulare in Parentali Ceremonia *cy*, nec superstitiosum; dummodò Parentantes à Parentibus nihil aut petant aut sperent, de quo infrà.

Sed quidquid sit de hac apprecatoria verborum formula, nunc saltem exolevit, nec ampliùs adhibetur (L). Et quamvis in Ceremonia *cy* Confucii etiamnum epotetur felicitatis vinum, & carnis ferculum excipiatur, ut suprà vidimus; nulla tamen recitatur apprecatoria verborum formula; quia nempe tractatur ut Magister, non ut Parens. In Parentû Ceremoniis *cy* etiam ipse epotandæ felicitatis & orizæ excipiendæ Ritus jam pridem exolevit, nec ampliùs fit. (M); sed peractâ Ceremoniâ *cy*, inter eos, qui illi interfuerunt, dumtaxat distribuuntur res in Parentali aula appositæ. Non est ergo opus de relati Ritûs intentione ac motivo ulteriùs inquirere. Imò ex dictis sat patet illum ad meram observantiam politicam, & obsequiosam urbanitatem referri.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. Domest. tom 7. *Cy li* sic: Epotatur felicitas, &c. ut suprà in contextu.

S 2 B. 2. Lib.

B. 2. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 25. *Cy tum* sic: in Parentali Ceremonia *cy* habentur reliquiæ; hæ reliquiæ sunt ultimum Ceremoniæ *cy* opus, adeóque earum notitia negligi non potest. Unde antiquo proverbio dicitur: ut principium, sic finem ritè ac bene perfice. Hoc proverbium reliquiarũ edendarum Ritui aptissimè convenit. Quocircà olim viri sapientes dicebant: Ipsemet personatus Spiritus etiam Spiritûs reliquias comedit ac bibit. Cùm verò hic reliquiarum comedendarum ac bibendarum Ritus sit quoddam liberalitatis ac beneficentiæ genus; ideò ritè regendi ratio potest inde spectari. Postquam igitur Spiritus personatus à mensa surrexit, tunc Princeps cum suis quatuor primariis Ministris illius reliquias comedit ac bibit. Postquam hi surrexere, tunc sex primarii Præfecti comedunt ac bibunt reliquias; id est, subditi reliquias sui Principis. Postquam hi sex Præfecti surrexere, tunc litterati viri octo comedunt ac bibunt reliquias; id est, Ignobiles reliquias Nobilium. Paucisque interjectis sic pergit: Ceremonia *cy* est beneficiorum maximum. Dum ergo Princeps præstat beneficium maximum, aliquid ex eo in suos subditos transfundat necesse est. Dein ibi sic Interpres *Chin hao*; ubi mactata est pecus, præsentabatur Spiritui sanguis & caro cruda; posteà dum in lance præsentabatur caro & cruda & condita, tunc tantùm incipiebat bibere ac comedere Spiritus personatus, ideóque dicebatur comedere ac bibere Spiritûs reliquias.

C. 3. Lib. Rit. Domest. tom. 7. *Cy li* sic: Comeduntur ac bibuntur Ceremoniæ *cy* reliquiæ. Tum Glossâtor *Xin yam*: Hoc Ceremoniæ *cy* die, Paterfamilias inspicit illius reliquias, tum consanguineis & amicis, tum Ceremoniarum Præfectis distribuendas. Si hæ non sufficiant, aliud vinum & carnem superaddat.

D. 4. Vide hîc suprà num. 2. litterâ B.

E. 5. Vide hîc suprà num. 3. litterâ C.

F. 6. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 25. *Cy tum* sic: Dum dicitur: *Sapientis Ceremonia cy suam haud dubiè recipit felicitatem*, non intelligitur illa, quam Mundus vocat felicitatem. Hæc felicitas, perfectio est. Perfectio, est omnimodæ obsequentiæ ac morigerationis vocabulũ.

F. 7. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 9 *Ly yun* sic: Communem illam & antiquam verborum normam, seu formulam, qua Lector nomine Parentantis in principio Ceremoniæ *cy* facit denuntiationem Spiritui·

seu

ſeu Defuncti Tabellæ; & nomine Spiritûs (ſcilicet perſonati) in fine bene apprecatur Parentanti, non audere immutare, id dicitur magna felicitas. Tum Interpres *Chin hao* ſic: *Magna felicitas* idem ſignificat ac id, quod in ſuperiori articulo *magna proſperitas* dicitur. (In dicto autem articulo *magna proſperitas*, inquit idem Interpres, idem eſt ac *rectitudo*, *probitas*, *bonitas*. Vide etiam infrà in hoc eodem Capite, Quæſt. 3. §. 4. n. 6. littera C.) Vult ergo dicere: Qui ſervat Ritum ex ſe naturaliter ſervandum, hic naturaliter habet felicitatem. Hæc felicitas profectò magna eſt.

G. 8. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 7. *Cem tſu uen*, ſic Interpres *Chin hao*: Poſtquam undecim fercula Spiritui perſonato appoſita fuerunt, Parentans ſeu Paterfamilias illi offert vinū ad os abluendum, & Spiritus perſonatus Patrifamilias propinat. Quo facto, jubet Lectorem Patrifamilias bene apprecari his verbis: Imperialis Spiritus perſonatus jubet me internuncium tibi nepoti obſequioſo, quam tuis communices nepotibus obſequioſis, felicitatem ſine termino deferre ſeu nuntiare, ita ut è Cælo Magiſtratûs ſtipendia ſeu Magiſtratum accipias, optimam ex agris meſſem colligas, longiſſimam vitam ducas. Vidè nè hunc Parentalem Ritum negligas, ſed cum Poſteris tuis transfunde. His dictis, binâ profundâ uſque ad terram capitis demiſſione Spiritum perſonatum reveretur Paterfamilias. Quemadmodum verò olìm dum quis vice alterius faciebat Ceremoniam *cy*, non audebat illam felicitatis apprecationem admittere, nec tunc illa adhibebatur; ita nunc, quia in Ceremonia *cy* fugitur Præſidis titulus, illa felicitatis apprecatio non adhibetur.

H. 9. Lib. Rit. Domeſtic. tom. 7. *Cy li* ſic: Comeſtio & epotatio reliquiarum in hunc modum fit: Ceremoniâ *cy* peractâ, Pater & Materfamilias ſedent in medio aulæ facie ad auſtrum verſâ; omnes liberi ac nurus ad gradus aulæ in ſuo quique ordine diſpoſiti quater profundam uſque ad terram capitis & corporis demiſſionem illis exhibent. Deinde unus ex iis natu grandior accipit vini ſcyphum; accedit ad Patrem & Matremfamilias inter utriuſque ſedem, ac flectit genua. Si hic ſit filius aut nepos, ſedendo excipitur; ſi autem frater natu minor, ſtando excipitur. Interim Lector hanc verborum formulam recitat: Quandoquidem &c. ut ſuprà in contextu.

 I. 10. Lib.

I. 10. Lib. Rit. Domestic. tom. 2. *Quon ly*, sive in Ceremonia, qua primus pileus solemniter imponitur Adolescentis capiti, vel Puellæ ornatus capitis, Lector seu invitatus Ceremoniarum Præfectus hanc illi apprecatoriam verborum formulam recitat: Hujus felicis mensis optimo die, indue tandem primum Adultorum habitum; puerilis ætatis mentem ac sensa exue; virtutis tuæ perfectioni obsequenter & prosperè stude; longissimam vitam feliciter age, ad magnam & excellentem felicitatem. Et paulò pòst idem sic rursus: Hujus felicis mensis optimâ horâ tuam tandem vestem tibi impono; omni diligentia tuam gravitatem ac modestiam serva; sedulam tuæ virili virtuti operam nava, florenti ætate mille & mille annos vive, longáque ac magna felicitate perfruere.

K. 11. Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *Nan xan*, sic Princeps hospiti Principi inter epulas apprecatur, nempe musici canentes: Virtutis amans, Princeps, in æternum vive, in æternum vive.

K. 12. Lib. Carm. tom. *Ta ya*, odâ *Him guei*, Consangvuinei peractâ Majorum suorum Ceremoniâ *cy*, simul convivantes sic sibi invicem fausta apprecantur: magno cratere propinetur ad longã vitam sperandam; longa vita vigeat ad reciprocum virtutis profectũ. Prospera veniat senectus ad magnam & excellentem felicitatem.

K. 13. Lib. Carm. tom. *Ta*, odâ *Ki tsui*, sic convivæ fausta apprecantur Imperatori convivium danti: Cùm simus tuo vino satiati, tua virtute repleti, mille annos, Princeps, vive; magna felicitate perfruere. Et paulò pòst: Cælo tibi Posteros dante, hi excipiant tuam dignitatem; magna Cæli lex mille annis tibi, Princeps, Imperium continuet.

L. 14. Vide hìc suprà num. 8. litterâ G.

M. 15. Interpres *Lieu cham* in Libro *Sim li ta ciuen* tom 21. sic ait: epotandæ felicitatis, (inquit Doctor *Han guei* in suo libro dicto *Kum kia cy*,) & carnis excipiendæ Ritus jam pridem exolevit, nec in praxim deducitur. Nunc ergo sufficit, ut residuas Parentationis escas ac vinum inter consanguineos seniores & juniores ad edendum & bibendum tantùm distribui jubeat Parentans.

PUN-

PUNCTUM IX.

De sensu vocum *Xam biam*, quibus Parentalium Ceremoniarum formulæ solent terminari.

UT istis minutim enumeratis Defunctorum Ritibus finem impo-nam, hæc pauca adhuc addo de duabus vocibus *Xam biam*, quibus fere omnes Parentalium Ceremoniarum formulæ solent terminari. Ista vox *Xam* significat *quasi*, *vix*, *penè* (A); est vox optantis, non sperantis (B); est etiam vox submissionis (C). Vox autem *Hiam* primò significat Ritum convivalis solemnitatis, ab incolis unius loci celebrandæ ad publicam bonæ disciplinæ instructionem, in quo Ritu sine esu & haustu offertur esca & potus (D); licèt tunc post hunc Ritum peractum, parumper & bibatur, & edatur. De hac solemnitate vide etiam suprà Cap. 3. Quæst. 1. num. 11. & 12. litterâ I.) Significat etiam consimilem Ritum, in quo ad excipiendum nobilem hospitem præsentatur esca, sed non comeditur; præsentatur vinum, sed non bibitur (E). De hoc Ritu etiam vide suprà puncto 6. num. 2. litterâ B. Quod in hoc Ritu maximè spectabatur, & plurimi fiebat, erat ille vini bene fragrantis odor, Sinice *Ki*; ibidem. Unde dum subinde dicuntur Spiritus seu Defuncti *Hiam ki*, *Hin ki*, &c. *gratum habere odorem*, nempe exhibitæ Ceremoniæ, *illum excipere*, *illo delectari*; vel *utinam gratum habeant odorem*, *illum excipiant*, *illo delectentur!* &c. ista & similia debent intelligi per respectum ad præfatum Ritum, & juxta humanum loquendi modum. Vox ergo *Hiam* aut *hin* ex se non significat comedere, aut bibere res appositas, vel earum odore seu vapore frui. Et patet; quia de cæli Domino, Sinicè *Xam Ti*, de montium ac fluminum Spiritibus dicitur etiam *Hiam* (F); cùm tamen nec comedant nec bibant, ut habetur Tract. 1. Cap. 2. Quæst. 5. num. 20. litterâ T. Imò de serico volumine præsentato dicitur *Hiam* vel *hin* (G); & dum Spiritus dicuntur gratam habere alicujus virtutem vel illâ delectari, id etiam vocatur *Hiam* (H). Clarum est, quòd vox *Hiam* ibi non significet comedere

dere aut bibere. Insuper vox *Hiam* significat *spectare* (I). Denique vox *Hiam* juxta dictionarium significat Ritum unius loci convivalem, & gratum habere exhibitæ Ceremoniæ odorem, uti jam dixi; significat *gaudere*, *delectari*, *optare*, *appetere*, *præsentare*, *præbere*, *excipere*, *pertingere*; significat Ceremonialis convivii honorarias exhibitiones, & conjuncta cum voce *Ten* ipsum reale convivium (K).

Itaque cùm vox *Xam* significet *quasi*, & *Hiam* significet *spectare*, *gratum habere*, & similia; ideò huc usque istas duas voces *Xam hiam* simul junctis, quibus Parentales verborum Formulæ finiuntur, semper explicui aut verti, ac deinceps explicabo aut vertam per has: *Penè* vel *quasi id gratum habebitis*; nimirum Parentans exoptat, ut Defuncti, non secus ac si adhuc viverent, *quasi* aut *penè* respiciant & gratum habeant id, quod præsentatur aut apponitur (L). Qua in re nullum veræ postulationis vel spei indiciū, sed purum dumtaxat demonstrandæ suæ gratitudinis, amoris, obsequii desiderium videtur contineri.

Itaque hæc sufficiant de motivo Institutionis, & de intentione Operantis quoad omnes actus Parentalis cultûs singillatim sumptos; in quibus patet, ut vidimus, excepto uno aut altero accidentali suprà relato, nihil superstitionis ex illa parte contineri; sed solam civilis cultûs observantiam reperiri; adeóque totam istorum actuum Parentalium collectionem, sublatis vel omissis illis paucis, qui videntur aliquid superstitionis redolere, ex se esse honestam concludere possumus. Sed ut hæc conclusio magis adhuc dilucida reddatur, inspiciamus universale motivum & Institutionis & Operantis quoad omnes istos actus Parentales generatim sumptos. Itaque sit sequens Paragraphus.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 11. *kiao te sem*, sic Interpres *Chin hao*: Ista vox *Xam*, significat *Xu ki*, id est, *vix*, *penè*, aut *quasi*, sic: Dum fit Ceremonia *cy* ad portam Parentalis ædificii, annon *penè* quæri potest Spiritus in loco remoto? vide etiam dictionarium Sinicum *Ta tsu guei*.

A. 2.

A. 2. Lib. Rit. tom. 2. Cap. 3. *Tan kum xam*, Discipulus Confucii *Tsu yeu* conspicatus aliquem Principis delegatum, licet tardè ad funus Ducis *Uen tsu* appulsum, appositè tamen juxta funerales Ritus ab ejus Filio exceptum fuisse, sic ait: Iste Filius Ducis *Uen tsu* numquid *penè* (Sinicè *Xu ki*) vero Ritu virum sine Ritu venientem excepit? certè illius actio prudens & rationi consentanea fuit. Deinde Interpres *Chin hao* sic: Ista bina vox *Xu ki*, idem est ac *propè* aut *penè*.

B. 3. Lib. Carm. tom. *Cheu tsum*, odâ *Chin lu* sic: Dum illic versantur, carent odio; dum hîc existunt, carent fastidio; atque ita illorum laudes *penè* (Sinice *Xu xi*) possunt de die in diem continuò perennare. Tum compendiosa Interpr. compilatio: Ista vox bina *Xu ki*, est vox optantis, non sperantis; seu significat desiderium, non spem.

C. 4. Dictionarium *Ta tsu guei* in littrra *Xam*, præter alia multa significata, sic: Ista vox *Xam* & *Chim* sunt nomina, quibus Inferiores erga Superiores utuntur. Nimirum vox *Xam*, id est, magni æstimo aut veneror; vox *Chim*, id est, excipio aut capesso.

D. 5. Dictionarium *Ta tsu guei* in littera *Hiam* sic: Hæc vox *Hiam*, est eadem ac alia vox *Hiam* (aliter nempe formata, de qua jam dicam); significat convivalis solemnitatis Ritum, ab unius loci incolis in schola publica celebrari solitum; (hic Ritus describitur in Libro Rituum tom 10. Cap. 45.) significat etiam idem ac vox *Hin*. Vox *Hin* in eodem dictionario significat Ceremoniæ *cy* suffitum gratum haberi à Spiritu, gaudere, delectari, optare, appetere. Vox verò *Hiam* aliter formata in eodem dictionario significat præbere vel præsentare, facere Ceremoniam *cy*; idem ac vox *Hin* jam dicta, excipere, pertingere. Significat Ceremonialis convivii honorarias exhibitiones; & juncta cum voce *Ten*, ipsum etiam reale convivium.

Deinde idem Dictionarium ibidem sic pergit: Istæ honorariæ, inquit Doctor *Tu yu*, Ceremonialis convivii exhibitiones ex multis honoris signis ac urbanitatibus componuntur: Exponitur fultrix parva mensa, sed illi non incumbitur; vini scyphus impletur, sed illud non bibitur; carnis siccatæ ferculum apponitur, sed illa non

comeditur. Atque hæc fiunt ad docendam reverentiam, urbanitatem, temperantiam.

E. 6. Vide hîc suprà præcedentem num. 5. litterâ D.

F. 7. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 6. *Tue lim* sic: Pecus his quinque conditionibus ritè præparata, dum offeretur; haud dubiè supremus cæli Dominus *Xam Ti* excipiet & gratam habebit, Sinice *Hiam*, vel *Hin hiam*. Quantò magis addit Interpres *Chin hao*, cetera Spirituum turba?

G. 8. Vide hîc suprà punct. 7. num. 2. litterâ B. & num. 7. litterâ F.

H. 9. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 10. *Li ki* sic: Qui Ritus servat, hujus virtutem gratam habent Spiritus; qui eos negligit, gratam non habent, Sinicè *Hiam*. Dein Interpres *Chin hao*: Viri sapientis pietati seu rectitudini omnes ultrò se subdunt, & ejus virtute Spiritus delectantur, Sinicè *Hin*.

I. 10. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 24. *Cy y* sic: Solus vir sapiens ac virtute præstans potest ritè *Hiam* cæli Domino; & solus filius obediens, observantiâque pollens potest ritè *Hiam* Parentibus defunctis. *Hiam*, id est, *spectare*; qui spectat, is posteà potest ritè *Hiam*. Vide etiam hîc suprà num. 5. litterâ D.

K. 11. Vide hîc suprà num. 5. litterâ D.

L. 12. Lib. Rit. Domestic. tom. 8. circa finem, in quadam Ceremoniæ *cy* formula ad sepulturam sic: Te, simplicissima Intelligentiæ species, non aliter ac si adhuc subsisteres, *penè* ut respicias & hoc gratum habeas, rogo.

Paragraphus III.

An cultus Parentalis sit superstitiosus ex universali motivo suæ Institutionis, aut ex universali fine Operantis quoad ejus actus generatim sumptos?

Respondeo & Dico 1. Universale Institutionis Motivum, seu Originalis finis ac primitiva intentio horum omnium Rituum atque actuum Parentalium fuit, ut impedirentur liberi, aliique, quominùs suos Parentes, statim atque mortui essent, fastidirent,

rent, contemptui haberent, inhonorè projicerent. Ideò varia instituta sunt ornamenta ad involvendum cadaver, ad decorandum feretrum, ad honestandas exequias (A). Hoc autem motivum est honestum, intentio pia, nihil superstitiosum; ergo &c.

Dico 2. alius primarius ac universalis istorum omnium Rituum & actuum Parentalium finis ac motivum tum quoad Institutioonem, tum quoad Operantem est, ut animi gratitudo erga suos Progenitores aut Benefactores defunctos demonstretur, illis grates persolvantur, externæ & internæ reverentiæ cultu recolantur. Ideò varia instituta sunt cibi & potûs fercula, sericorum munerum præbitiones, multæ corporis inflexiones ac prostrationes, magnus Ceremoniarum apparatus (B). Sed & hoc motivum est honestum, nec superstitiosum.

Dico 3. alter finis huic assimilis est, ut Vivi suum ostendant desiderium adhuc inserviendi Mortuis, sicut iis vivis inserviebant; & eos post mortem reverendi, sicut eos in vita reverebantur (C); ita ut dicant deesse debito amori eum filium, qui Parenti mortuo tamquam mortuo persolvit exequias (D). Unde illa escarum fercula, potûsque munera non iis exhibentur ad usum, sed ad honorem; sive non exhibentur ad comedendum & bibendum, sed ad repræsentandum modum, quo ista iis in vita offerebant; aut rursus ea lubenter præberent, si adhuc in vita subsisterent (E). Nec obstat quod in vita dum illis inserviebant aut illos reverebantur, non uterentur voce *Cy*; quia vox diversa non immutat naturam rei & essentiam cultûs, si ipsa vocis significatio, & loquentis intentio non sit diversa essentialiter. Illa autem vox *Cy*, (præter alia, quæ jam diximus suprà) sumpta pro Parentali Ceremonia, tantùm significat id, quo recordamur alimentorum, quæ non possumus ampliùs dare Parentibus; & id, quo continuamus filiale obsequium nondum priùs perfectè expletum (F). Sic etiam varia fiunt ornamenta, vestes, vasa, instrumenta, quæ tantùm serviunt ad præstandum cultum Patri mortuo, non viventi (G); nimirum, ut indicetur cultum reddi Patris animæ separatæ, nec unitæ cum suo corpore (H). Jam verò nec in hoc motivo ulla superstitionis species intervenit, sed tantùm vehemens inserviendi Parentibus desiderium & amor, qui ut sic honestate non caret; modò nihil aut Divinitatis aut relationis ad Divinitatem illi admisceatur. Unde

Dico 4. finis, quo coluntur defuncti Parentes aut Benefactores, longe diversus est à fine, quo colitur supremus cæli Dominus seu *Xam Ti*. Primò enim quod attinet ad Parentes; specificum Parentalis Ceremoniæ nomen, est diversum à specifico nomine litaminis *Xam Ti*, ut dixi suprà Cap. 3. quæst. 1. num. 16. 17. 18. 19. Deinde pecus, quæ apponi debet, est diversa & magnitudine & alendi curâ; idque fit, ut ostendatur diversitas cultûs quo colitur *Xam Ti*, & quo homines Defuncti coluntur; uti expressis verbis dicit liber Rituum (I). Deinde modus peragendi utramque Ceremoniam est diversus (K); apparatus ac pompa diversa. Denique finis litandi Cælo seu cæli Domino, est summæ venerationis testimonium; Parentandi Parentibus defunctis, summæ pietatis (L). Ex his, ut alia multa omittam, satis patet utriúsque Ceremoniæ aut solemnitatis specifica diversitas; & inprimis certum est, quòd Sinæ in celebrandis istis Parentalibus honoribus, non pro supremo cæli Domino *Xam Ti* suos defunctos Parentes agnoscant. An verò motivum aut finis, quo eos colunt, habeat aliquam affinitatem cum fine, quo Sancti coluntur; sive an aliquid ab iis petant aut sperent, dicetur in Quæstione sequenti.

De fine, quo defuncti Benefactores coluntur, jam dictum est suprà, tum in Tractatu 1. Cap. 2. quæst. 4. num. 33. 34. 35. 36. tum in hoc Tract. Cap. 2. quæst. 2. §. 1. 2. & 3. agendo de Priscis Magistris & Sapientibus, ac maximè de Confucio, de quo adhuc agemus in Quæstione sequenti, §. 3. circa finem.

Quare ex dictis per totum hujus Quæstionis decursum patet, quòd in omnibus istis Parentalis cultûs actionibus, universale & particulare motivum sive Institutionis sive Operantis, dumtaxat spectet civilem observantiam & naturalem grati animi memoriam; ac proinde istæ actiones sint à superstitione aut Idololatria immunes.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. tom. 2. Cap. 4. *Tan kum hia*: sic: Olim, inquit Confucii discipulus *Tsem tsu*, ubi quis obierat, statim fastidio, & horrori erat; cùm enim omni vi & potentiâ destitutus esset; ideò contemptim projiciebatur ac dereliquebatur. Ob hanc causam prisci

prisci sapientes Imperatores sancivere varia linteaminum involucra, & tabulas instar ventilabri efformatas exposuere ad efficiendum, ut vivi mortuos fastidio, & horrori non haberent. Quare statim atque aliquis obierat, exsiccatæ & conditæ carnis fercula ei apponebantur. Ubi ad sepulchrum deferendus erat, dapum munus ad valedicendum præsentabatur. Post sepulturam fiebat ei alimentorum appositio; neminem tamen huc usque reperies, qui unquam viderit mortuum ista apposita seu præsentata excipere, vel delibare. Ceterum ab omni retrò antiquitate numquam hæc omissa fuerunt; quia nempe Ritus volunt efficere, ut Vivi Mortuos contemptim non projiciant, nec derelinquant.

Dein Interpres *Chin hao*: Quandoquidem sic dicat *Tsem tsu: Ubi quis obierat, statim fastidio & horrori erat; cùm enim omni vi & potentiâ destitutus esset, ideò contemptim projiciebatur ac derelinquebatur*, ego arbitror antiquitus, dum nulli adhuc habebantur Ritus, complures sic egisse. Hinc conjicio primam priscorum Sapientum, qui Ritus instituerunt, mentem, hanc dumtaxat fuisse, ut vivos compellerent ad mortuos fastidio & horrori non habendos, nec eos contemptim projicerent ac derelinquerent. Et paulò pòst: Ecquis sanè unquam vidit mortuos præsentata excipere, aut delibare? verùm ex quo primùm Ritus olim instituti fuerunt, numquam audivi ista aliquando neglecta, aut omissa fuisse. Hæc igitur servant homines, ut habeant cogitationem, suæ vitæ origini grates persolvendi, & suum principium recolendi, non valendo aliter facere, & affectum suum reprimere.

B. 2. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 10. *Li ki* sic: Ritus sunt id, quo recordamur eorum, ex quibus nati sumus. Deinde Interpres *Chin hao*: Omnes res suam à Cælo trahunt originem, homines suam ab Avis. Quod Ritus spectant, est grates nostræ origini persolvere, nostrum principium recoler, nec unquam oblivisci eorum, ex quibus nati sumus.

B. 3. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 25. *Cy tum* sic: Ceremonia *cy* est id, quo pristina alendorum Parentum cura recolitur, & filialis in eos observantia continuatur. Continuare filialem observantiam, est defunctos Parentes mente fovere; sequi autem dictamen rectæ rationis, nec naturali humanæ conditionis ordini (hic est quintuplex, & primus quidem est ordo amoris inter Patrem & filium) adversari, est mente

illos fovere. Idcircò triplex est modus ac norma, quâ filius obsequiosus Parentibus inservit. Dum vivunt, eos alit; dum obierunt, eis justa persolvit, post justa persoluta eis facit Ceremoniam *cy*. In eis alendis suam morigerationem, in justis persolvendis suum luctum, in facienda Ceremonia *cy* suam reverentiam, & hanc quidem statis cujusque anni temporibus patefacit. Hæc tria accuratè adimplendo, filii obsequiosi munus adimplet.

Dein Interpres *Chin hao*: *statis cujusque anni temporibus*, id est, stato quoque anni tempore illos cogitare ac recolere.

B. 4. Lib. Rit. tom. 2, Cap. 4. *Tan kum hia* sic: Ante sepulturam in apponendis epularum ferculis adhibentur vasa omni ornatu expertia; quia Parentans gerit intimum animi dolorem omni ornatu expertem. Triennali autem luctu peracto, dum Ceremoniam *cy* peragit, tunc omni cum ornatu omnes sui muneris partes explet; sed quamvis sic agat; qui sanè sciat, quidnam gratum habeat Spiritus, seu Defunctus? hoc ergo Parentans etiam facit, ut intimum suæ æquitatis & reverentiæ animum demonstret. *Ad patefaciendum*, inquit ibidem Interpres *Chin hao*, *suum animum & nihil aliud*.

B. 5. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 24. *Cy y* sic: Vir sapiens antiquitatis memor, & gratus erga suum principium, non potest oblivisci eorum, ex quibus vitam accepit; idcircò quam potest maximam, affert reverentiam; omnem animi sui affectum prodit, totas suas vires in quavis re ritè peragenda exerit. Ut enim grates Parentibus persolvat, omnes sui muneris partes non implere non audet.

C. 6. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 24. *Cy y* sic; Dum Princeps *Ven vam* faciebat Ceremoniam *cy*, (scilicet Parentibus defunctis); inserviebat mortuis, sicut vivis inserviisset; cogitabat mortuos perinde ac si non optâsset ipse vivere, illisque commori desiderâsset. Anniversario obitûs die intimum suum dolorem singulariter demonstrabat, & ita Parentum defunctorum nomen proferebat, quasi eos vidisset. Adeò vera & sincera erat ejus Parentantis observantia.

C. 7. Lib. Rit. tom. 6. Cap. 15. *Sam fo Siao ki*, sic Interpres *Chin hao*: Ad faciendam Ceremoniam *cy* adhibere illos Ritus, qui erga vivos adhibebantur, illud est adimplere verum filii munus. Hinc Spiritus personatus, ut Defuncti Spiritum repræsentaret, utebatu

ipsi

ipsis Defuncti vestibus. Et lib. *Uen hien tum kao* tom. 91. sic: Spiritus personatus debebat induere exteriores Defuncti vestes ad repraesentandum eum, uti in vita erat.

Vide etiam hic infrà num. 17. littera L.

D. 8. Lib. Rit, tom. 2. Cap. 3. *Tan kum xam* sic: Qui funus persolvit, inquit Confucius, & Defunctum tractat ut Defunctum, seu Defuncti Ritibus, hic pietate caret, & amori deest; ideóque id non decet fieri. Contrà, qui funus persolvit, & Defunctum tractat ut viventem, seu viventis Ritibus, hic intelligentiâ caret, & prudentiae deest; ideóque nec id decet fieri. Ob hanc causam vasa cannea (nempe pro funere persolvendo) non sunt curiosè elaborata, vasa fictilia non sunt cerussata. Haec autem dicuntur intelligentiae vasa, quia spiritus, seu intellectus hominis ea adhibet pro Spiritu seu Defuncto. Vocantur intelligentiae vasa, addit Interpres *Chin hao*, quia tractatur Defunctus ut Spiritus intelligens, sive ut anima à corpore separata.

E. 9. Lib. Rit. tom. 7. Cap. 19. *Io ki*, sic: Quocircà florida illa Musicae symphonia non fit ad suavem vocum sonum audiendum; nec illa aestivae Ceremoniae (qua omnibus Imperatoris Avis defunctis in Parentalis Familiae Conditoris aula epulae simul apponebantur) solemnitas fit ad degustandos ciborum sapores.

E. 10. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem* sic: Ea, quae in vasis canneis & ligneis praesentantur, sunt tum aquatiles, tum terrestres fructus; sed absit, ut escae vulgares, & vilis saporis assumantur; imò & illarum copia magni fit. Porrò ratio, cur communicatio cum Spiritibus intelligentibus, aut Defunctis habeatur, non est ad comedendas dapes.

Vide hîc suprà num. 1. litterâ A. num. 3. litterâ B. num. 4. litterâ B. Et infrà num. 16. litterâ K

F. 11. Vide hic suprà num. 3. litterâ B.

G. 12. Vide hîc suprà num. 8. litterâ D.

H. 13. Vide hîc suprà num. 8. litterâ D.

I. 14. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 5. *Uam chi* sic: Vitulus destinatus ad offerendum Caelo ac terrae, habeat cornua instar bombycini glomeris, aut castaneae, (nempe sit vitulus parvulus); destinatus

autem

autem Avis defunctis, habeat cornua quatuor digitis alta; destinatus hospitibus, habeat cornua pede uno alta.

I. 15. Lib. Rit tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem* sic: Vitulus destinatus ad offerendum cæli Domino, debet per trimestre spatium in mundo caulæ loco ali; vitulus autem pro defuncto Principe *Heu cie*, quilibet obvius adhiberi potest; atque id fit, ut distinguatur cultus quo servitur cæli Spiritui, à cultu quo servitur Homini defuncto.

K. 16. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem*: In litamine Cæli sub dio, primò sanguis, dein caro cruda, posteà caro semicocta, denique caro penitùs cocta offertur. In Parentatione, quæ plurimis Avis simul fit, primò sanguis & caro simul præsentatur Spiritui personato; deinde caro semicocta; posteà penitùs cocta.

Et paulò pòst: Dum summa reverentia exhibetur, escarum sapores non degustantur vel non excipiuntur; sed tantùm odorifer, ac bene fragrans suffitus spectatur & æstimatur. Alia vide in eodem Capite ejusdem libri. Item Tract. 1. de Cognitione primi Entis, Cap. 2. Quæst. 5. num. 3. litterâ B. & alibi.

L. 17. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 10. *Li ki* sic: facere litamen cæli Domino sub dio in suburbano terræ aggere, illud est summæ venerationis; parentare Majoribus defunctis in Parentali eorum Aula, est summæ pietatis; Defunctis exequias juxta Ritus persolvere, est summæ fidelitatis testimonium. Tum Interpres *Chin hao*: Quia Ritus litandi Cælo sunt paucissimi, simplices, summè venerabiles, absque ornatu; ideò dicuntur esse summæ venerationis testimonium. Vera pietas, est inservire Parentibus. Quia autem illis non subsistentibus inservitur, sicut subsistentibus inserviebatur, ideò hoc dicitur esse summæ pietatis testimonium.

QUÆSTIO III.

An Parentalis Ceremonia *cy*, quam Sinæ Defunctis faciunt, sit superstitiosa ex motivo alicujus circumstantiæ?

PEr circumstantiam hîc intelligo aliquod auxilium aut favorem à Defunctis petitum aut speratum. Quæritur ergo, an Sinæ faciendo

faciendo Defunctis Parentalem Ceremoniam *cy* aliquid auxilii ac beneficii ab iis rogent, petant, aut sperent? ut quæstio clariùs & distinctiùs solvatur, agam primò de Ceremonia *cy* in genere, & non Parentali. Secundò de Parentali antiqua. Tertiò de Parentali moderna; videbimúsque, an in his tribus Ceremoniarum *cy* speciebus interveniant preces? Quartò de Ceremoniæ *cy* felicitate.

Paragraphus I.

De Ceremonia *cy* in genere, & non Parentali.

Resp. & dico 1. Ceremonia *cy* in genere ex se nullas continet preces (A); adeóque non tantùm non est Ceremoniæ *cy* essentialis & intrinseca, sed nec ordinaria quidem postulatio; quin imò illæ oblationes, in quibus aliquid rogatur, parvæ Ceremoniæ *cy* solent vocari (B).

Dico 2. quando aliqua particularis subest causa, Ceremonia *cy* potest habere secum annexam postulationem (C). Unde datur Ceremonia *cy*, quâ rogatur frugum ubertas à cæli Domino *Xam Ti* (D); & olim erant duo Præfecti sibi invicem subalterni, qui inter alia præsidebant precationum formulis (E). Deinde liber Rituum, ut dixi; [illegible]t tres Ceremoniæ *cy* species, quarum altera est ad roganda bona, altera ad ex[illegible]llenda mala, altera & ordinaria ad gratias agendas (F). Sed juxta libros quos ibi citat Interpres *Chin hao*, non agit de Parentum Defunctorum Ceremonia *cy*; liber enim Rituum Imperii *Cheu*, quem citat, agit de officio istorum duorum Præfectorum qui præsidebant precationum formulis; & hæ formulæ, ut colligitur, referuntur ad cæli Dominum, & ad tutelares Spiritus (G). Deinde alibi agit de primo agriculturæ Authore, à quo petitur anni ubertas (H). De hoc etiam liber Carminum agit, uti & ibidem agit de quinque aliis viris, qui olim promovendæ agrorum fertilitati operam navârunt; quique, dum tutelaribus terrarum Spiritibus fiebat Ceremonia *cy*, eos concomitabantur; id est, concomitanter fiebat etiam eis aliqua Ceremonia (I). Sed hæc Ceremonia vel fiebat tantùm pro gratiarum acti-

U one

46

one; uti in eodem libro Carminum dicitur cæli Dominus, seu *Xam Ti* jussisse Principem *Heu cie* colendorum agrorum artem tradere Posteris; & huic Principi *Heu cie* debere populi acceptum referre, quòd haberent, unde vivant (L): vel pro intercessione apud *Xam Ti*; uti posset intelligi, dum dicitur Princeps *Xin num*, seu spiritualis Agricola rogari frugum ubertatem. Vel fortè dubitari posset, utrum Sinæ per illum spiritualem Agricolam, de quo hìc, intelligerent aut intelligant priscum Imperatorem Sinensem, dictum *Xin num*; an potiùs cæli Dominum, primum Agriculturæ Authorem? quia liber *Ta mim hoei tien* tom. 91. dum præscribit Ceremoniam *cy* faciendam antiquo Agricultæ Authori, Sinicè *Sien num*, jubet eam fieri in terræ aggere, uti nempe solet fieri Spiritibus cæli; & jubet, ut sericum volumen quod præsentatur, sit cærulei coloris, ejusdem nempe coloris cum sericis voluminibus, quæ pro Cæli litamine præsenbuntur. Dein in odâ, dum præsentatur istud sericum volumen, dicitur: cæli Dominus, (id est, *Xam Ti*) exiit in actum à symbolo *Chin* seu motûs, & Cælum rei agrariæ prosperitatem protulit, seu inchoavit. Sed quidquid per hoc intelligatur, parum refert; quia saltem nec in hoc, nec in aliis omnibus supradictis locis agitur de Parentali Ceremonia *cy*, in qua aut defuncti Parentes, aut Confucius aliquid rogetur. Et de hac est tantùm quæstio.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 10. *Li ki* sic: Ceremonia *cy*, inquit vir sapiens, caret postulatione & precibus. Dein Interpres *Chin hao*: Ceremonia *cy* habet suos ordinarios & statos Ritus; non fit ad rogandam particularem aliquam felicitatem seu bonum. Quod ergo præscribit Liber Rituum Imperii *Cheu* his verbis: *Primus Præfectus* Cho *præsit sex. precationum speciebus; secundus Præfectus* Cho *teneat formulas ad precandum felicitatem ac prosperitatem*; hoc utrumque intelligitur, dum causa particularis subest; nec istud in ordinariis ac communibus Ceremoniæ *cy* legibus comprehenditur.

B. 2. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 6. *Iue lim* sic: Hoc secundo Veris mense in Ceremonia *cy* non adhibetur pecus. Non adhibetur pecus, inquit

inquit Interpres *Chin hao*; quia nempe est parva Ceremonia *cy*, quæ fit ad aliquid rogandum.

C. 3. Vide hìc suprà num. 1. litterâ A.

D. 4. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 6. *Yue lim* sic: Hoc primo Veris mense, prima die dicta *Sin*, Imperator rogat cæli Dominum pro frugibus.

E. 5. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom. 3. *Chun quon* artic. *ta cho* sic: Primarius Præfectus *Cho* præsit sex verborum formulis ad serviendum cæli ac terræ Spiritibus, vel Spiritui, (Sinæ enim carent numeri pluralis & singularis notâ distinctivâ) rogando felicitatem ac prosperitatem, postulandóque assiduam vitæ rectitudinem. Dein Interpres *Chin gin sie*; Ista vox *Cho*, id est Præfectus, qui præest verborum formulis. Verborum formulæ, quibus fit denuntiatio Spiritibus, vocantur *Cho*. Cæli auxilium vocatur felicitas; & id quod producit felicitas, vocatur prosperitas.

E. 6. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom. 3. *Chun quon* art. *Siao cho* sic: Secundarius Præfectus *Cho* præsit parvis Ceremoniis *cy*, & vocabulis formularum, quæ adhibendæ sunt ad vicinam felicitatem, & malorum expulsionem rogandam ante rei eventum, ad gratias agendas post rei adventum, ad rogandam felicitatem & prosperitatem.

F. 7. Liber Rit. tom. 5. Cap. 11. *Kiao te sem* sic: Ceremonia *cy*, alia ad faciendam precationem, alia ad gratias agendas, alia ad expellenda mala. Dein Interpres *Chin hao* sic: explicando Ceremoniæ *cy* Ritus hoc diffusiori modo, dantur insuper istæ tres species; uti id, quod dicitur in libro Rituum Imperii *Cheu*: Deprecari felicitatem ac prosperitatem; postulare assiduam vitæ rectitudinem, rogare anni fertilitatem à primo agricultræ Authore; uti & quod dicit liber Carminum: Vere & Æstate facere deprecationem pro frugibus. Hæc & similia sunt ad faciendam precationem.

Nota: Citatus ab hoc Interprete Sinico liber Rituum Imperii *Cheu* & liber Carminum, sunt loca quæ hìc cito num. 5. 6. 9. 10. 11.

G. 8. Vide hìc suprà num. 5. litterâ E.

H. 9. Lib. Rit. Imperii *Cheu* tom 3. *Chun quon* art. *To cham* sic: In quolibet Regno rogetur primus agriculturæ Author anni ubertatem. Tum Interpres *Chin gin sie*: Primus agriculturæ Author est *Xin num*, seu spirtualis Agricola.

L. 10. Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *fu tien*: tunc, inquit noster Princeps, illam mundam orizam, & unicolorem agnum offeram quintuplicis terræ Spiritibus vel Spiritui, & quinque Præfectorum quatuor terræ plagarum Spiritibus. Copiosa enim illa agrorum messis, est agricolarum faustitas. Posteà eum lyris, citharis & tympanis excipiam primum agriculturæ Authorem ad rogandam dulcem pluviam. Ad hunc locum compendiosa Interpretum compilatio sic: Dum fiebat Ceremonia *cy* terræ Spiritibus vel Spiritui, prisci homines magnis meritis eximii, illi adungebantur; & simul fiebat eis Ceremonia. Sic, quia Principis *Kum kum* filius dictus *Keu lum*, pro officio habuit agris præsidere; ideò dum fiebat Ceremonia *cy* terræ Spiritui, illi adjungebatur, istíque *Keu lum* etiam fiebat Ceremonia. Dum fiebat Ceremonia *cy* quatuor plagarum terræ Spiritibus, Præfectus *Keu nam* erat in Oriente, (nempe lignea ejus Tabella, vel aliud signum in parte orientali positum); *Cho yum* in Austro, *Jo xeu* in Occidente; *Hiuen mim* in Septentrione. Juxta capitulum *Kio li* libri Rituum, unicuique illorum solebat fieri Ceremonia *cy* in singulis quatuor anni tempestatibus. Hic tota messe collecta in Autumno, illis (nempe quinque) generaliter simul fiebat Ceremonia *cy*; ideò quatuor terræ plagæ simul nominantur. Quintuplex autem terra, id est terra vel montibus, vel rivis, vel collibus, vel scabrosis altitudinibus, vel humidis declivitatibus scatens; unde hîc facere Ceremoniam *cy* terræ Spiritibus, est eam facere harum quinque rerum Spiritibus; non magnæ terræ Spiritui, seu *Heu tu*. Primus agriculturæ Author, inquit Interpres *Chun*, est is, qui primus cœpit docere agriculturam, in initio dictus primus Sator, posteà spiritualis Agricola, Sinicè *Xin num*; diversum quidem nomen, sed una & eadem res.

L. 11. Lib. Carm. tom. *Que fum*, Cap. *Pin fum*, odâ *Cie yue* sic: quarta mensis die, manè Princeps præsentabat agnum, & quamdam porrorum speciem, Sinice *Kieu*. Præsentabat agnum, inquit compendiosa Interp. compilatio, & legumina *Kieu*; quia nempe faciebat Ceremoniam *cy* Spiritui frigoris; id est, Præfecto *Hiuen mim*. Id intellige, ut suprà.

L. 12. Lib Carm. tom. *Cheu ssum* odâ *Su uen* sic: Certè vasta Principis

cipis *Heu cie* virtus potest Cælo æquiparari. Quod enim omnes illi nostri populi habeant quo alantur, illi acceptum referre debent. Cæli Dominus jussit illum nobis frumenti & hordei sementem transmittere, ut sic omnes ali possemus. Tum compendiosa Interp. compilatio sic: Cùm ergo adeò vasta ejus virtus fuerit; dum Cælo litatur, nisi simul ei etiam fiat respectivè Ceremonia *cy*, quî sanè possint debitæ illi grates persolvi? dum dicitur Cælo æquiparari, non intelligitur, quòd illa sit æquè magna, ac Cælum; sed quia antequam exstitisset Princeps *Heu cie*, omnes agri erant inculti ac steriles. Postquam verò ille exurrexit, tunc perfecta rectè vivendi disciplina cœpit florere, ita ut videatur Cælum quasi non potuisse non sibi habere Principem *Heu cie*; illoque habito, tunc contentum fuisse; ideò dicitur potuisse illi æquiparari.

Paragraphus II.

De antiqua Parentali Ceremonia *cy*.

Dico 1. antiqua Parentalis Ceremonia *cy* nullas ex se continebat preces. Sequitur ex prima præcedentis paragraphi assertione; & probatur ex ipso libro Rituum, qui dicit: Filius dum facit Ceremoniam *cy* Parentibus Defunctis, non quærit *propter quid*; id est, non quærit aut petit bona (A). Patet etiam ex dictis, & rursus ex dicendis patebit, ubi nulla postulatio, nullæ preces inveniuntur.

Dico 2. In Parentali antiqua Ceremonia *cy*, liber Rituum tam pro privatis, quàm pro publicis Imperii necessitatibus nullas preces peragendas præscribit. Probatur, quia id in nullo loco asseritur, uti ex objectionum solutione patebit; imò è contrario dicitur filius obsequiosus in facienda Parentali Ceremonia *cy* nihil quærere; nullam quærendi alicujus Boni mentem habere; uti jam diximus. Ergo &c. sed videamus objectiones, quæ contra hanc assertionem possunt fieri.

Objicies 1. Liber Ritunm tom. 3. Cap. 6. *Yue lim* præscribit, ut Imperator ultimo Veris mense, quasdam flavas vestes priscis Imperatoribus

ribus (putà, iis, qui olim plantarum virtutes, & bombycum opera ad hominum vestitum & victum aptandi artem invenerunt; uti *Xin num*, *Hoam Ti*, &c.) præsentet. Et ibi Interpres *Chin hao* addit: Ad rogandum pro felici bombycum successu (B).

Idem liber in eodem Cap. præscribit, ut Imperator jubeat omnes suæ Imperialis ditionis Præfectos, præteritis Regulis, Principibus ac Magistratibus defunctis, qui olim de populo bene meriti sunt, facere suspiriosam Ceremoniam, Sinice *Yu*, ad rogandum pro frugum maturitate (C). Ergo in antiqua Parentali Ceremonia *cy* preces præscribuntur.

Resp. 1. ibi non agi de Parentali Parentum Ceremonia *cy*; illi enim, de quibus ibi agitur, non erant Parentes.

Resp. 2. ista debere intelligi non de petitione, sed de gratiarum actione, sic: Quando litabatur cæli Domino ad eum rogandum pro frugum maturitate & bonis terræ (D), fiebat etiam illis Defunctis Ceremonia *Yu* vel *Cy* ad grates pro antiquis suis meritis persolvendas; id quod videtur indicare ibidem Liber Rituum: immediatè enim ante illam suspiriosam Ceremoniam *Yu*, de qua in objectione, sic dicit: in magna suspiriosa Ceremonia *Yu*, quæ fit cæli Domino Sinice *Xam Ti*, florens ac plena Musica adhibenda est (E). Nisi quis forsan velit illos antiquissimos Heroas habitos à Sinis ut sanctos, & rogatos, ut intercessores apud *Xam Ti* seu cæli Dominum agerent, juxta id, quod dixi suprà cap. 3. quæst. 2. §. 1. Sed hoc nil facit ad communes Parentum defunctorum Ceremonias *cy*, pro quibus nullibi præscriptas preces reperire est.

Objicies 2. in eodem Cap. *Yue lim* libri Rituum, dicitur Imperator præsidere captandis piscibus *Quei*, ad eos præsentandos Parentibus defunctis in Parentali eorum aula; tunc enim pro frumenti maturitate orat (F).

Item ibidem Imperator jubet ab omnibus aliquid conferri ad faciendam Ceremoniam *cy* supremo cæli Domino *Xam Ti*, ceterisque Spiritibus, ac Majoribus defunctis, ad roganda pro populis bona (G). Ubi vides, *ad roganda pro populis bona*, Majores defunctos cum supremo cæli Domino, & aliis Spiritibus etiam poni. Ergo præscribuntur preces pro Parentum defunctorum Ceremoniis *cy*.

Resp.

Resp. Neg. consequentiam. Ista enim de præmonitione, non de oratione ad Parentes facienda intelligi debent, sic: Dum Imperator volebat facere Ceremoniam *cy* cæli Domino ad eum rogandum sive pro frumenti maturitate, sive pro alia re, priùs adibat Parentalem Majorum defunctorum aulam, eisque Ceremoniam *cy* faciebat ad suam eis voluntatem declarandam, & quasi facultatem ab iis petendam perinde ac dum vivebant; nihil ausus ex suo proprio arbitrio agere. Et id videtur claré dici in libro *Ven bien tum kao* sic: Reges Regni *Lu* quotiescumque debebant litare *Xam Ti* seu cæli Domino, priùs faciebant hujus rei denuntiationem suæ Familiæ Conditori *Heu cie* in Parentali aula *Puon kum*, ut jussa ejus capesserent (H). Unde præmonitio, non oratio ad Parentes, ut vides, fiebat. Et adhuc clariùs id habetur in libro *Ta mim hoei tien* his verbis: Nepos obsequiosus Imperator N. cùm nunc exeat pernoctaturus in suburbio ad reverenter servandum magnæ gratiarum actionis Ritum (nempe litando cæli Domino in suburbano aggere); ideò reverenter accedit ante omnium Majorum suorum, excellentium Imperatorum defunctorum seu Spirituum Tabellas, ut priùs omni cum reverentia eis faciat denuntiationem (I). Vel etiam ista & similia intelligi possunt de præmonitione, quam Imperatores forté faciebant vel Familiæ Conditori, vel alicui ex antiquioribus suis Avis, dum volebant ligneam ejus Tabellam concomitanter apponere cum Tabella *Xam Ti* in suburbano Cæli litamine, uti habetur in eodem libro sic: Obsequiosus filius Imperator N. audeo palam dicere augusto Avo defuncto, cognomento *pio*, perfecto Imperatori, quòd primo mensis die N. venerabundè simlitaturus supremo cæli Domino, & magno terræ Spiritui in magnarum Ceremoniarum *cy* aula. Reverenter te rogo, auguste Ave, ut Spiritum concomiteris, (nempe in convivali Ceremonia); hoc, quæso, scias; reverenter præmoneo (K). Id est, alloquitur ligneam Tabellam.

Deinde animadverte istud capitulum *Yue lim* ab ipsis Sinicis Interpretibus non magni fieri, & judicari valde refarcitum ac permixtum (L).

Objicies 3. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 23. *Cy fa* præscribit pro Imperatorum Avis in octavo gradu generationis, dum illis fit Ceremonia *cy*, erigendum esse terræ aggerem; & in nono gradu effodiendam scrobem, nec illis facien-

faciendam esse Ceremoniam *cy*, nisi alicujus precationis occasione (M). ergo preces præscribuntur, &c.

Resp. 1. ut suprà id intelligendum de prævia parentum denuntiatione, antequam oraretur *Xam Ti*, non de oratione ad illos fundenda.

Resp. 2. ibidem dici ab Interprete *Chin hao*, quòd præteriti Doctores numquam meminerint istius aggeris, & scrobis (N); adeóque id videtur esse quid fabulosum, Idem Interpres alibi dicit non esse adhibendam valde magnam fidem iis, quæ præscribuntur in isto capite *Cy fa* (O).

Objicies 4. Lib. Rit. Imperii *Cheu*, ut dictum est in præcedenti §. num. 5. litterâ E, assignat duos Præfectos, ut præsint verborum formulis ad rogandam felicitatem ac bona. Ergo &c.

Resp. ut ibidem dixi, non agi ibi de Parentalibus Parentum Ceremoniis, sed de Ceremoniis *cy*, quæ fiunt cæli ac terræ Spiritibus &c.

Deinde iste liber, juxta ipsosmet Sinas, multa habet exotica, & classicis Libris dissona, ita ut nunc proscriptus sit è numero sex librorum classicorum.

Objicies 5. In libro *Xu kim*, seu Annalium Imperialium refertur Princeps *Cheu kum*, cum graviter ægrotaret ejus frater natu major *Vu vam* Imperator, rogâsse suum Patrem *Ven vam*, suum Avum *Uam ki*, suum Proavum *Tay uam* defunctos, ut pro recuperanda fratris valetudine apud Cœlum intercederent; imò offerendo se ipsum pro illo ad mortem (P). Ergo rogantur defuncti Parentes.

Resp. nullam ibi fieri mentionem de Parentali Ceremonia *cy*; sed tantùm dicitur Princeps *Cheu kum* erexisse tres aggeres ad repræsentandos defunctos Patrem, Avum, & Proavum; atque ipse in opposito aggere consuetam honoris tesseram in manu tenens, illos precatoriâ verborum formulâ admonuisse de intercedendo apud Cœlum pro fratris salute (Q). Hoc autem factum particulare non indicat fuisse præscriptas preces pro communibus defunctorum Parentum Ceremoniis *cy*; imò quasi indicat contrarium, cùm ipse Princeps *Cheu kum* noluerit ire in Parentalem Majorum domum, in qua solent fieri illæ Ceremoniæ *cy*, uti ibidem dicitur. Jam verò sic illos oravit, quia fortè

fortè eos, ut Sanctos, habebat, & ob suam sapientiam ac virtutem apud cœli Dominum posse intercedere arbitrabatur. Illos in vita fuisse sapientiâ & virtute inclytos refert liber immutabilis Medii, & liber Carminum (R). Imò hic dicit illos tres in Cælo existere (S).

Objicies 6. In publicis calamitatibus, isti antiqui Sinæ non tantùm ad cæli Dominum, sed etiam ad Parentes & alios Defunctos confugiebant; uti in libro Carminum, postquam conquesti sunt se à cæli Domino non sublevari, conqueruntur etiam de suis Majoribus, & de priscis Sapientibus defunctis, quòd se non adjuvent, séque tantis malis opprimi patiantur (T); & in libro Annalium Imperialium, Imperator *Puon kem* minatur suos Proceres ac populum, si suo jussui non obsecuti fuerint, à Parentibus & Majoribus defunctis puniendos (V). Ergo &c.

Respondeo 1. rursus ut suprà, non ibi agi de communibus defunctorum Parentum Ceremoniis cy. Quamvis enim liber dicat à loco suburbano, ubi litatur cæli Domino, iri ad Parentalem Principis *Heu cie* domum; non tamen dicit fusas fuisse preces Principi *Heu cie*; contrà, dicit cæli Dominum posse istas ærumnas tollere, sed Principem *Heu cie*, licèt vellet, non posse (X). Si hic autem non poterat, multò minùs alios Defunctos posse judicabant; adeóque posset dici itum dumtaxat fuisse in Parentalem Principis *Heu cie* domum, ut fieret ei solita denuntiatio; vel ut peteretur facultas rursus litandi cæli Domino, ut suprà; maximè cùm Interpres explicans hæc verba: *Nullus est Spiritus qui non colatur*, ea applicet tantùm cæli Domino, aliisque cæli ac terræ Spiritibus, non autem defunctis Parentibus, nec Principi *Heu cie* (Z). Sic Imperator peracto Cæli litamine, rursus adit Parentalem Majorum aulam, ut id denuntiet (W). Deinde si tunc fortè in ista occasione rogârint Principem *Heu cie* & alios Defunctos, idem dic ac suprà, de tribus Principis *Cheu kum* Majoribus.

Resp. 2. ista libri Carminum verba esse tantùm poëticas hominum afflictorum, gementiúmque figuratas locutiones, quibus alloquuntur Defunctos, non secus ac si adhuc in vita superstites essent.

Simili modo intelligenda sunt verba Imperatoris *Puon kem*; id est, de solis minis, quibus suos proceres ac populum terrebat, dicendo ipsorum Parentes, ac Majores defunctos iis succensere, non secus nempe ac si illi adhuc in vita fuissent. Olim enim, inquit In-

X terpres

terpres, semper mos fuit servire Mortuis sicut Vivis, & non subsistentibus, sicut subsistentibus; & quia tunc sub Imperio Familiæ *Xam*, magis quàm prioribus temporibus, Defunctorum cultui dediti erant; ideò Imperator *Puon kem* dicit se vehementer à præteritis Imperatoribus, & à populi procerúmque Parentibus, ac Majoribus defunctis argui peccati, minásque intentari, ut sic eos in suam voluntatem attraheret (Y). Et quamvis dicat se illis Defunctis fecisse Ceremoniam *cy*, non tamen dicit se illis preces fudisse.' Idem fortè dici posset de Principe *Cheu kum*, quòd orâsset tantùm illos suos Majores Defunctos, tamquam si vivos allocutus fuisset; monens eos debere intercedere apud Cælum pro recuperanda fratris sanitate; quia scilicet, more loquendi Sinico, Imperatores Sinici censentur filii Cæli; & horum est tantùm solemni Ritu venerari & orare Cælum. Sed de his satis.

Nullas itaque in istis libris classicis reperire est præscriptas precees pro communibus Defunctorum parentum Ceremoniis *cy*.

Quod attinet ad priscorum Magistrorum & Confucii Ceremonias *cy*; multò minùs, ullas in iis præscriptas preces invenias; numquam enim isti libri classici vel minimum verbum de precatione loquuntur, quando præscribunt Ceremoniam *cy*, priscis Magistris ac priscis Sapientibus faciendam. Sed veniamus ad modernas Parentum ac Benefactorum defunctorum Ceremonias *cy*; de quibus est tantùm quæstio ac difficultas, non de antiquis. Licèt enim reperirentur casus particulares, in quibus antiqui aliqui rogâssent Parentes defunctos; id tamen non facit legem pro modernis Ceremoniis *cy*, ac pro praxi præsenti, de qua esto sequens Paragraphus.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 25. *Cy tum* sic: Quod in facienda Ceremonia *cy* filii obsequiosi animus spectat, est non quærere *propter quid*. Tum Interpres *Chin hao*: *non quærere propter quid*, inquit Doctor *Ym*, id est, non habere intentionem quærendi felicitatem, seu aliquod bonum; atque hoc est, quod alibi idem liber Rituum dicit: Ceremonia *cy* caret postulatione & precibus.

B. 2. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 6 *Yue lim* sic: Hoc mense Imperator præsentat flavas vestes priscis Imperatoribus. Prisci Imperatores, inquit Interpres *Chin hao*, sunt præteritorum sæculorum Imperato-

peratores, qui virtute clari, plantarum & arborum usum promoverunt; præsentat autem istas vestes ad Spiritum seu Defunctorum thronum, ut roget pro bombycum operibus.

Nota: *Thronus*, id est loculamentum, in quo erant Imperatorum Tabellæ.

C. 3. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 6. *Yue lim* sic: In magna suspiriosa Ceremonia, Sinice *Yu*, (ista vox *Yu* significat suspirium) quæ fit cæli Domino, florens ac plena musica adhibenda est. Tunc Imperator jubet omnes suæ Imperialis ditionis Præfectos præteritis Principibus ac Magistratibus defunctis, qui olim de populo bene meriti fuerunt, facere suspiriosam Ceremoniam *Yu*, ad rogandum pro frugum maturitate.

D. 4. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 6. *Yue lim* sic: Tunc Imperator, primo die occurrente dicto *Sin*, orat *Xam Ti*, seu supremum cæli Dominum, pro frugibus terræ.

E. 5. Vide hìc suprà num. 3. litterâ C.

F. 6. 6. Lib. Rit. tom. 3. Cap, 6. *Yue lim* sic: Tunc Imperator ascendens navim præsidet captandis piscibus *Guei*, ad eos præsentandos Parentibus defunctis in Parentali eorum domo; tunc enim pro frumenti maturitate orat.

G. 7. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 6. *Yue lim* sic: Hoc mense Imperator præcipit, ut Præfecti montium, lacuum, sylvarum, & fluminum unà cum aliis omnibus suæ Imperialis ditionis Præfectis, præscriptum curent pabulum ad alendas pro Ceremoniis pecudes; útque omnes populi, pro suis quisque viribus, aliquid conferant ad colendum supremum vastissimi cœli Dominum ac Rectorem, celebriumque montium, magnorum fluminum, & quatuor orbis partium Spiritus, ad faciendam Ceremoniam *cy* Majoribus suis defunctis in Parentali ipsorum palatio, agrorúmque ac frugum Spiritibus, ad rogandam pro populis felicitatem ac bona.

H. 8. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 71. Doctor *Yam* sic: Quod attinet ad hunc textum: *Dies litandi Cælo, forte eligitur*; *in Parentali Avi aula jussum capessitur, seu licentia accipitur*; *in Parentali Patris aula testudo inspicitur*, Doctor *Kia* citans istum libri Rit. Cap. *Li ki* locum: ad eum probandum sic ait: Reges Regni *Lu* quando debebant cultum præstare cæli Domino, priùs præstabant suum cultum in Paren-

 tali

tali aula *Puon kum*. Quem locum ulteriùs explicans Doctor *Chim* sic: Cùm Reges, inquit, Regni *Lu* propter Principem *Cheu kum* suum fundatorem, habuissent licentiam litandi cœli Domino; idcircò priùs præstabant suum cultum in Parentali aula *Puon kum*; id est, faciebant denuntiationem Principi *Heu cie*, seu mentem suam ei declarabant. *Suum cultum præstabant*; id est, mentem suam declarando, faciebant ei Ceremoniam *cy*. Cœli litamen erat quid honorabilissimum; & ideò ad honorandum suum Avum, dum Cælo litabant, etiam ei Ceremoniam *cy* faciebant; ideóque priùs ei suam mentem declarabant, & ejus jussum capessebant. Posteà sorte eligebant diem in Parentali Patris aula. Idem vide tom. 69. ejusdem libri.

I. 9. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 82. sic: Imperator optimo habitu indutus facit præmonitionem in Parentali Majorum aula, eo modo, quo dum inspicit litaminis Pecudes. præmonitionis verba, sunt hæc: Nepos obsequiosus &c. ut suprà in contextu.

K. 10. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 81. sic: *Præmonitio in Majorum Parentali aula*: Duobus diebus ante ipsam Ceremoniam *cy*, accipiuntur vinum & fructus cum verborum formula, ad ea deferenda in priscorum Imperatorũ aulam, ut præmoneatur Avus cognomento pius, in suburbano litamine comitaturus supremum cœli Dominum & magnum terræ Spiritum. Verborum formula est hæc; Anno N. mense N. die N. obsequiosus filius, Imperator N. &c. ut suprà in contextu.

L. 11. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 6. *Tue lim*, sic Interpres *Chin hao*: In hoc capitulo (scilicet *Yue lim*) etiam multa sunt, quæ non videntur Ritibus, & classicis Sapientum libris satis cohærere, &c.

M. 12. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 23. *Cy fa*, sic: Pro Imperatoribus defunctis in octavo consanguinitatis gradu ad faciendam iis Ceremoniam *cy*, erigitur glebæ agger; in nono effoditur scrobs. In hoc aggere & scrobe, dum occurit aliqua deprecatio, fit iis Ceremonia *cy*; dum non occurrit, non fit. Deinde Interpres *Chin hao* hoc refellens, sic: Præteritorum Doctorum, qui Parentalis ædificii leges ac Ritus accuratè singillatimque explicuerunt, nemo umquam de isto aggere ac scrobe locutus est; illi enim tres aggeres, ac scrobs, quam princeps *Cheu kum* suis Majoribus Defun-

ctis

ctis erexit (Lib. Annal. Imperial. Cap. *Kin tem*), non habent hunc sensum, &c.

N. 13. Vide hîc suprà præcedentem numerum 12. litterâ M.

O. 14. Lib. Rit. tom. 3. Cap. 5. *Uam chi*, Interpres *Chin hao* agens de septem Ceremoniæ *cy* speciebus, quæ præscribuntur in Cap. *Cy fa* sic: Quæ dicuntur in isto Cap. *Cy fa*, non est iis adhibenda valde magna fides.

O. 15. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 23. *Cy fa*, in quo præscribuntur septem species Ceremoniæ *cy* pro Imperatore; quinque pro Regulo; tres pro primario Præfecto; duæ pro viro litterato; una pro plebeio; (in his speciebus una est pro Defunctis, qui Posteris carent); sic de hoc agens Interpres *Chin hao*: Ista expositio septem, quinque, trium, duorum, & unius Ceremoniæ *cy*, omninò in dubium revocanda est.

P. 16. Lib. Annal. Imperial. tom. 4. Cap. *Kin tem* sic: tunc Princeps *Cheu kum* ratus se ex officio teneri, erexit tres terræ aggeres cum una scrobe ad infigenda repræsentativa defunctorum Parentum signa; & ex opposita australi parte alium terræ aggerem pro se erexit, in quo ipse stans facie ad Boream versa, & depositâ humi Principum onychinâ tesserâ, aliam manu tenens, Proavo suo *Tay uam*, Avo *Uam ki*, Patri *Ven vam* suum animum declaravit hac verborum formulâ, quam in Annales referre historiographum jussit: Cùm nunc vester nepos Imperii successor N. (scilicet Princeps *Vu vam*) vehementi morbo laboret; vos tres Principes prædecessores (*Tay uam*, *Vam ki*, *Ven vam*), debetis apud Cælum intercedere, ut suo filio, id est, Imperatori, adsit; ego autem *Tan* (est nomen Principis *Cheu kum*) lubens pro illo moriar. Dein ibi Interpres *Chin hao*: Cùm Imperator *Vu vam* sit cæli Filius, id est, Imperatoris dignitatem gerat, tres Prædecessores tenentur pro ejus protectione & conservatione, apud Cælum intercedere, ut non jubeat illum mori; si autem velit illum mori, rogent, ut ego *Tan* pro isto fratre meo *Vu vam* moriar. Posteà idem Interpres, sic addit: Infra hæc verba: *suo filio* seu Imperatori *adsit*, ego opinor aliquid in textu deesse.

Q. 17. Vide hîc præcedentem numerum 16. litterâ P.

R. 18. Lib. Immutab. Medii, art. 18. sic quotidiana quatuor librorum

rum explicatio, tom. 2.: Princeps *Vam ki* Pater Principis *Ven vam*, fuit *sapiens*; Princeps *Vu vam* filius Principis *Ven vam* fuit *Xim*, id est, virtute & doctrinâ excellens. Princeps *Vam ki*, upote Pater *sapiens*, priùs jecit Monarchiæ Familiæ *Cheu* fundamenta; posteà Princeps *Vu vam*, utpote filius *Xim*, hæc subsecutus, universam monarchiam complevit: uterque priùs & posteriùs virtute eximius; idcircò Princeps *Ven vam*, & hinc & inde contentus, non habet quod ipsi doleat.

R. 19. Lib. Carm. tom. *Ta ya*, odâ *Mien mien* sic: Quamvis Princeps *Tay uam* (Proavus Principis *Vu vam*) non potuerit effugere exterarum gentium vicinarum iram; nihil tamen inde de sua fama amisit. Dein compendiosa Interpretum compilatio sic: In principio hujus odæ, dicitur Princeps *Tay uam*, quamvis non potuerit sibi subjcere illas exteras gentes, nihil tamen de sua fama amisisse; in ejus autem fine dicuntur istæ exteræ gentes se ultrò subdidisse Principi *Ven vam*; quia nempe ejus virtus singulariter effulgebat; atque ita intra prineipium ac finem ejusdem odæ, Avus *Xim* seu virtute & sapientiâ eximius, & Nepos *Spiritualis* seu virtute interiori & occultiori singularis, sibi invicem verè correspondent, & se mirificè referunt.

R. 20. Lib. Carm. tom. *Ta ya*, odâ *Hoam y* sic: Cæli Dominus Principem virtute conspicuum transtulit in istum locum. *Principem virtute conspicuum*, inquit Interpres *Chu hi*, id est, Principem *Tay uam*. Et ibidem paulò pòst memoratur etiam sapientia ac virtus Principis *Vam ki*, qui illius Principis *Tay uam* filius fuit.

S. 21. Lib. Carm. *Ta ya*, odâ *Hia vu* sic: Tres Principes existunt in Cælo. *Tres Principes*, inquit interpres *Chu hi*, id est, Princeps *Tay uam*, *Uam ki*, *Uen uam*. *Existunt in Cœlo*; id est, postquam obierunt, subtilissimus illorum Spiritus ascendens, Cælo se junxit.

T 22. Lib. Carm. tom. *Ta ya*, odâ *Yun han*, tempore publicæ calamitatis, sic: A loco suburbano (ubi nempe litatur Cœlo) curritur in Parentale Palatium; sive sursum offerendo, sive deorsum defodiendo (nempe rem oblatam), nullus est Spiritus, qui non colatur. Princeps *Heu cie* non potest, (scilicet nobis succurrere). Cæli Dominus non advenit, seu non nos excipit. Et paulò pòst: Non est quò oculos, & vota vertamus. Turba illa priscorum Principum ac Præ-

ac Præfectorum, qui olim de populo bene meriti sunt, non nos adjuvat; quin imò Parentes ac Majores nostri quomodo sanè nos ita premi sinunt? Dein ibi compendiosa Interp. Compilatio sic: In Parentali palatio nullus est venerabilior Spiritus seu Defunctus Principe *Heu cie*; hic quidem nos excipit ac cogitat, sed vires illi non suppetunt ad expellendas calamitates. In suburbano terræ aggere nullus est venerabilior Spiritus cæli Domino; huic vires ad expellendas calamitates suppetunt, sed non vult nos excipere & cogitare. Paulò pòst: Nostri autem Parentes ac Majores sunt adhuc nobis magis conjuncti, & in nos affecti, utpote unum corpus & una vitalis aura; quomodo ergo patiuntur nos istis malis premi, nec nobis opitulantur?

Ibidem paulò pòst sic: In libro Rituum Imperii *Chen* habetur Præfectus *Ta tsum pe* ad litandum cæli Domino in magnis necessitatibus; Præfectus *Siao tsum pe*, qui in magnis calamitatibus curat, ut cæli ac terræ inferioribus Spiritibus fiat Ceremonia *cy*; Præfectus *Ta cho*, qui magnis calamitatibus & in immissis cælitus malis, pro horum expulsione facit Ceremoniam *cy* regionis ac frugum Spiritui; Præfectus *Siao cho*, qui præest verborum formulis, quibus utendum est in precatoriis Ceremoniis *cy* vel imminente felicitate, vel premente calamitate, ad excipiendam pluviam congruam, aut aëris siccitatem sistendam. Deinde Interpres *Tso chuen*: Tempore, inquit, nimiæ aut pluviæ, aut siccitatis, aut morborum contagiosorum, colendi sunt Spiritus montium aut fluminum; tempore nivis, pruinæ, tempestatis, pluviæ incongruæ, colendi Spiritus solis, lunæ, stellarum. Hæc autem omnia explicant quid sit: *Nullus est Spiritus, qui non colatur.*

V. 23. Lib. Annal. Imperial. tom. 3. Cap. *Puon kem* sic: Imperator *Puon kum* in oratione, in qua exhortatur suos, ut secum aliò transmigrent, sic: Jam verò ego meis prædecessoribus Imperatoribus magnum præsentandi Ritum peregi, simul & vestris Majoribus. Sive ergo attulero bona, sive mala; nullam certè vobis injustitiam inferre ausim. Dein in sequenti articulo idem sic: Jam pridem hic bonum regimen periit. Abavus meus *Tam* vehementer me peccati arguit. Quare, inquit, in meos populos sævis? vos autem omnes vix vivere potestis; idem ergo mecum sentite. Alii mei prædecef-

decessores Imperatores etiam vos vehementer peccati arguunt. Quare, inquiunt, unanimes parvulum meum nepotem non sequimini, & idem cum illo non sentitis? idcircò vos iniquè agitis. Si ex alto illi vos puniant, vos non potestis pœnam effugere. Quia olim mei Prædecessores Imperatores fatigârunt vestros Avos & Parentes; ideò vos omnes simul effecti estis populi, quos alo; si quod malum in corde versatis, mei Prædecessores Imperatores in mentem revocant vestros Avos & Parentes; hi certè vos abjicient, nec vos à morte servabunt. Jam verò si ii, qui mecum gubernant, vestras opes corradant; vestri Avi ac Parentes acriter meum Abavum admonebunt, ut me suum nepotem graviter castiget; atque ita inducent meum Abavum ad immitendas maximas adversitates, seu pœnas.

Deinde ad hunc locum Interpres *Tsay xin* sic: Ab Imperio *Cheu*, & antè, semper servitum est mortuis sicut vivis, & non subsistentibus sicut subsistentibus; hinc solebant homines magnam diligentiam in colendis Spiritibus, seu Defunctis adhibere. Sub Imperio autem *Xam*, ut ex libris classicis cognosci potest, majorem adhuc, quàm aliis sæculis, adhibebant diligentiam. Idcircò Imperator *Puon kem* ad suos admonendos proceres ac populum, consultò dicit vehementer peccati argui à Prædecessoribus Imperatoribus, & à populi & procerum Avis ac Parentibus, ut sic eos juxta bonum morem dirigeret, & in suam voluntatem pertraheret.

X. 24. Vide hîc suprà num. 22. litterâ T.

Z. 25. Vide hîc suprà num. 22. litterâ T. sub finem.

W. 26. *Ta mim hoei tien* tom. 82. de Cæli sacrificio in aggere, Sinicè *Hoam kieu*; quo peracto, hoc præscribit: Imperator ad Parentalem Majorum aulam, ut universalem reverentiam quater exhibeat, vadit eodem modo, quo priùs pro inspiciendis litaminis animalibus iteratò ivit. Deinde sic verborum formulam præscribit: Obsequiosus Abnepos, Imperator N. peracto magnæ gratiarum actionis erga Cælum Ritu, omni cum veneratione accedo ante omnium Majorum defunctorum sapientium Imperatorum Tabellas, universalem seu communem quater submissè exhibiturus reverentiam.

Y. Vide hîc suprà num. 23. litterâ V. sub finem.

Para-

Paragraphus III.

De moderna Parentali Ceremonia *cy.*

De hac tantùm moderna Parentali Ceremonia *cy*, & quæ nunc in usu est, propriè controversia movetur. Quidquid enim olim, aliisve temporibus actum fuerit, si nunc Sinæ nihil orent Defunctos, & nihil ab eis sperent, omnia ista præterita aut antiqua acta particularia nullam pro praxi præsenti pariunt difficultatem. Quæritur ergo, utrùm hisce temporibus Sinæ facientes Ceremoniam *cy* Parentibus defunctis aut Confucio, aliquid ab iis petant, aut sperent? videamus id primò de Parentibus; postea de Confucio. Itaque

Resp. & Dico 1. Sinæ moderni dum statis anni temporibus Ceremoniam *cy* faciunt Parentibus defunctis, vel aliis Ceremoniis illos colunt, nihil ab iis petunt, aut sperant.

Probatur 1. ex formulis verborum, quibus Sinæ declarant suam mentem seu intentionem, quâ faciunt illis Ceremoniam *cy*, aliùmve cultum exhibent; ex formulis, inquam, libri Rituum domesticorum, Sinicè *Kia li*, qui nunc sat Sinis communis est; ita ut alium ejusdem nominis in pluribus Chinæ provinciis apud bibliopolas invenire non potuerim; non tamen omnes omninò ejus Ritus, utpote nimium diffusos aut exoletos Sinæ sequuntur, & in praxim deducunt; sed sæpius compendio utuntur. Ex hoc igitur libro excerptas præcipuarum Ceremoniarum Parentalium formulas ordine & strictim hîc infrà appono, in quibus nullum omnino aut postulationis, aut precum, aut spei vestigium apparet. itaque sic se habent istæ verborum formulæ:

Primò, dum quis longè abiturus est, sic: Obsequiosus nepos N. procul in locum N. profecturus, audet (vel audeo) annuntiare (nempe meum discessum). Reversus autem sic: Die N. ex loco N. reversus audeo me coram sistere (A).

Secundò, accepto Magistratu sic: Cum Imperator singulari beneficio mihi Magistratum N. contulerit, cùmque obsequendo pristinis vestris documentis, eam dignitatem velut vestræ relictæ prosperitatis appendicem consecutus fuerim; incredibili impulsus studio ad pro-

dendam meam reverentiam, hoc vini ac fructuum munere id vobis annuntio (B).

Parens solemniter impositurus filio primum pileum, vel eum in matrimonium collocaturus, quoad ultima verba, eamdem penè formulam adhibet. Ibidem.

Tertiò, genito primo filio aut nepote, sic Parens: cùm uxor N. filium N. genuerit, audeo hìc coram vobis me sistere. (C).

Quartò, amicus, seu consanguineus veniendo in domum Defuncti, & præsentando munera, sic: Indignus consanguineus N. hoc mundum vinum, & hæc vulgarium escarum fercula reverenter appono ad faciendam Ceremoniam *çy* mei consanguinei sandapilæ, seu cadaveri in sandapila posito. Id penè gratum habebis, Sinicè *Xam hiam* (D).

Quintò, ipso die sepulturæ peractæ, Parentans domum reversus, coram lignea Defuncti Tabella, sic: Filius orphanus audet defuncti Patris (vel matris) Spiritui, seu defuncto Patri hæc palam nuntiare: Diebus ac mensibus assiduè currentibus, tandem advenit tempus primæ tranquillitatis Ritum peragendi. Manè surgendo, & vespere quiescendo præ tui mœrore ac desiderio quietus esse non potui. Nunc reverenter cum hac munda capra, cum his farinæ atque orizæ ferculis, cum hoc mundo vino, solatii obsequium tibi gemebundus exhibeo. Id penè gratum habebis (E).

Sextò, dum filius Parentans ligneam defuncti Parentis Tabellam ad latus ligneæ Avi & Aviæ Tabellæ apponit, sic: Obsequens pronepos reverenter cum hac ove (vel capra) munda, & cum hoc orizæ, farinæ ac puri vini munere accedens, ad tuum latus, præclare Proave, familiæ domine, (vel Proavia) nepotem defero. Id penè gratum habebis (F).

In anniversario obitûs die, penè eadem formula, paucissimis verbis mutatis, adhibetur. Ibidem. Deinde post secundum anniversarium obitûs diem, dum mutantur inscriptiones lignearum Tabellarum, auferendo è domo Parentali Tabellam Abavi, ad introducendam Tabellam Patris recèns defuncti, (in Parentali enim domo ponuntur tantùm ligneæ Tabellæ pro quatuor generationibus, scilicet pro Abavo, Proavo, Avo, Patre; atque ita dum infertur nova Patris recèns defuncti Tabella, aufertur Tabella Abavi, & mutantur inscriptiones, id est,

inscriptio Proavi in Abavum, Avi in Proavum, & Patris in Avum mutatur), sic habet formula: Cùm tempus transferendæ Patris defuncti Tabellæ in Parentalem domum juxta Ritus jam advenerit, Abavíque defuncti extra quatuor generationum numerum nunc positi Tabella auferenda sit, & Proavi Spiritûs seu defuncti Tabella mutanda in Abavi Tabellam, Avi in Proavi, Patris in Avi; ob has sibi invicem succedentes generationum vicissitudines, incredibili affectus mœrore, cum hoc vino & fructibus ad patefaciendam meam submissionem, vobis reverenter id nuntio. Id penè gratum habebitis (G).

Deinde dum lignea Tabella ablata debet humo infodi, sic: Prisci Imperatores ita Ritus instituerunt, ut solis Parentibus intra quatuor generationes conclusis fieret Ceremonia *cy*. Quamvis igitur animi affectus sit inexhaustus; leges tamen suos habent limites; ideóque cùm nunc vestra (nempe Abave, & Abavia) Tabella sit è domo Parentali auferenda, incredibili mœrore afficior. Itaque hoc vini, & fructuum munere vos revereor, vobísque valedico. Id penè gratum habebitis (H).

In die, qua funebris vestis deponitur, penè eadem formula habetur (I). Ibidem. Posteà Glossator *Tam xin* pro translatione sepulturæ, quam translationem ipsemet fatetur non haberi in libro Rituum domesticorum Doctoris *Chu hi*, sequentes formulas inserit: Pro annuntiando die translationis, sic: Ne fortè inopinato casu commoveatur Spiritus ob incongruam cadaveris Patris N. (vel Matris N.) sepulturam; ideò incredibili affectus mœrore, cùm forte elegerim mensis N. diem N. ad illud transferendum in locum N.; audeo nunc id præmonere. Deinde in die translationis sic: Cùm cadaver jam à tot annis in isto loco sepultum non potuerit esse quietum, nunc mutaturus sepulturam, humiliter opto, ut venerandus Spiritus non tremat, nec pavescat (K). Iste Glossator vel hîc loquitur juxta mentem Sectariorum, qui putant unam ex tribus animabus residere ad sepulchrum; vel juxta id, quod dicam in Quæstione sequenti.

Septimò, in Ceremonia *cy* ordinaria, quæ statis quatuor anni temporibus fit, sic: Obsequiosus Abnepos palam audet Majoribus defunctis hæc dicere: Anni ordo suas assiduè mutat vices. Nunc vernum tempus (vel æstivum, autumnale, &c.) advenit. Dilabentis

ergo anni tempore excitatus ad recordationem, diuturno & vehementi vestrûm desiderio teneor. Idcircò omni reverentiâ cum hac munda pecude, ove, vel capra, vel porco, cum hisce farinæ atque orizæ ceterarúmque rerum ferculis, cum hoc puro vino consuetum annui obsequii munus submissè vobis exhibeo, uti & consanguineo N. vel consanguineis N. N. quos vobis mensæ comites adjungo. Id penè gratum habebitis (L).

Octavò, in Ceremonia *cy*, quæ priscis ultra quatuor generationes Majoribus aliquando, sed raró fit, (imò juxta librum *Sim li ta ciuen*, nunc non fit, tom. 21.) sub Veris initium, sic: Obsequiosus Nepos palam audet prisco Avo N. & priscæ Aviæ N. hæc dicere: Cùm nunc Ver, nascentium rerum principium, incipiat; diuturna vestri memoriâ commotus ad grates nostræ origini persolvendas, statos Ritus omittere non ausim. Ideò omni cum reverentia istum mundum porcum, istam limpidam aquam, istud vinum defæcatum, annui obsequii munus, submissè vobis appono. Omnes nostri Majores huc adveniant. Id penè gratum habebitis (M).

Liber *Sim li ta ciuen* tom. 21. in quo insertus est iste Doctoris *Chu hi* liber Rituum domesticorum, hujus Ceremoniæ *cy* formulam sic habet: Obsequiosus Nepos N. prisco Avo, & priscæ Aviæ audet hæc palam dicere: Cùm jam Ver, nascentium rerum principium, incipiat, non ausim statos Ritus ad persolvendas nostræ origini grates oblivisci. Idcircò omni cum reverentia istam mundam pecudem, ovem vel capram, ista farinæ & orizæ fercula, istud defæcatum vinum, annui obsequii munus, submissè vobis appono. Id penè gratum habebitis.

Eamdem formulam idem liber ibidem habet pro Ceremonia *cy* dicta *Xi chu*, vel *Tsou*, id est, quæ fit in solstitio hiberno primis Familiæ Progenitoribus, vel primis Avis, quam etiã dicit nunc non fieri. Sunt enim eadem verba, nisi quòd pro *Vere* dicatur *Solstitium*, & pro *prisco Avo & prisca Avia* dicatur *primus Avus & prima Avia*. In ista igitur utraque formula non habentur hæc verba: *Omnes nostri Majores huc adveniant*. Deinde prædictus liber dicit ibi hanc utramque Ceremoniam *sien chu & xi chu*, sive *Sien tsou* & *Xi tsou* nunc non fieri, Sinicè *Kiay pu kan cy*. Et utraque hæc Ceremonia *cy* fuit tantùm novum inventum Doctoris *Chim*, uti ibidem habetur; nec nunc usu receptum.

Nnnnn.

Nonò, in Ceremonia *cy*, quæ Patri ac Matri defunctæ fit sub finem Autumni, sic: Nunc Autumni finem, quando omnes res incipiunt esse maturæ ac perfectæ, instare videns, commoveor ad vestri recordationem ac desiderium. Vastissimum Cœlum caret limitibus (N); (ita nimirum Parentum beneficia). Reliqua, ut in præcedenti formula.

Decimò, in annuo obitûs die, sic: Anni ordo assiduè suas mutat vices; nunc cum recurrat obitûs tui dies, hic me ad diuturnam tui recordationem excitat. Vastissimum Cœlum caret limitibus. Omni igitur cum reverentia hanc pecudem, & vinum ad prodendum meum affectum tibi appono. Id penè gratum habebis (O).

Undecimò, in Ceremonia *cy*; quæ verno tempore fit ad sepulturam, sic: Anni ordo suas assiduè mutat vices. Cùm ros ac pluvia terram irrigârint, ideò visitavi sepulturæ vestræ septum, ut illud purgarem, ac verrerem. Hæc autem sepultura incredibile vestri desiderium in me excitavit. Quare istam mundam pecudem, istud defæcatum vinum, annui obsequii munus, vobis submissè appono vel præsento. Id penè gratum habebitis (P).

Vides, lector, in omnibus istis Parentalium Ceremoniarum formulis, quæ nunc in usu sunt, nullum omninò orationis, aut postulationis, aut spei vestigium apparere; adeóque nunc Sinæ faciendo Ceremoniam *cy* Parentibus defunctis, nihil ab eis petunt, aut sperant.

Probatur 2. Ex verborum formulis, quas idem liber Rituum domesticorum affert ad faciendam Ceremoniam *cy* Spiritui terræ, de quo suprà. Hæ formulæ claris & expressis verbis orationem, ac postulationem continent, sic: Tu, Spiritus, hanc sepulturam protege, adjuva, tuere, ita ut illa nullum malum aut damnum incurrat (Q). Deinde rursus sic: Semper autem hanc sepulturam protege, adjuva, tuere; tuo, Spiritus, favori reapse innitor, &c. Patet ergo magna diversitas, quam iste liber ponit inter formulas pro Parentibus defunctis, & pro terræ Spiritui; nimirum in illis nihil, in his aliquid petitur. Et hoc concordat cum eo, quod suprà. Cap. 2. Quæst. 2. §. 3. num. 13. litterâ M. dixi de Confucio, scilicet quòd fiat Ceremonia *cy* Confucio ad populi instructionem; cœli autem ac terræ Spiritibus vel spiritui ad populi protectionem.

Nec opponas quòd Doctor *Chu hi*, Author hujus libri Rituum domesticorum, in appendice, faciendo denuntiationem Parentibus suis defunctis de abdicando suo Magistratu, dicat: Submissè exopto, ut Avi protegant, adjuvent, respiciant, gaudeant usque & usque sine ullo umquam tædio; hoc ego summoperè cupio, atque ardeo (R). Vel enim ibi in sua particulari verborum formula loquitur juxta sensum ac mentem sectariorum Idololatrarum; vel juxta id, quod dicam in Quæstione sequenti; nempe tamquam si alloqueretur Patrem adhuc in vita degentem, ac præsentem. Unde in subsequenti formula sic matrem suam defunctam alloquitur: submissè exopto, ut tu, Intelligentia benefactrix seu Mens benefactrix, *tamquam si existeres*, hunc verum ac sincerum animi mei dolorem respicias; tum sanè me fortunatissimum judicabo; atque id omni cum reverentia tibi annuntio (S). Cùm ergo dicat, *tamquam si existeres*, non judicabat illam Matris Intelligentiam existere; utpote qui judicat Animas post mortem dissolvi ac perire, adeóque nihil verè ab ea petere poterat. Simile judicium fer de aliis aliorum librorum formulis, si quid fortè in illis subinde videatur peti à Parentibus defunctis; aut certè dic illas exoletas. Deinde illæ formulæ dictæ appendicis, sunt istius Doctoris *Chu chi* particulares, non communes ab eodem præscriptæ, qui videtur, dum esset junior, aliquo modo fuisse addictus doctrinæ Sectæ Fœ.

Probatur 3. dum Imperator adit Parentale ædificium, inquit quotidiana Imperatoris *Kam hi* libri *Ye kim* explicatio, non est ad petendam aut quærendam felicitatem, seu bona (T); dúmque illud adit, oportet, ut suos Majores veneretur; sed cavere debet à facienda Ceremonia *cy* ad quærendam felicitatem seu bona (V). Et formula, quam in communi quatuor temporum Ceremonia *cy* pro Imperatorum Avis præscribit liber *Ta mim hoei tien*, hæc est: Hoc Imperatoris *Hum Vu* anno N. mense N. die N. abnepos Imperator N. audet palam hæc Abavo & Abaviæ, Proavo & Proaviæ, Avo & Aviæ, Patri & Matri defunctis nuntiare: Cùm nunc Ver, (Æstas, Autumnus, Hiems) advenerit; Ritus rigidè exigunt, ut vobis fiat Ceremonia *cy*. Omni igitur cum reverentia istas pecudes, istud vinum, ista omnia dapum fercula ad patefaciendum meæ diuturnæ recordationis, & desiderii

derii affectum, vobis appono. Id penè gratum habebitis (X). Patet ergo ex omnibus istis formulis, quibus nunc Sinæ in facienda parentali Ceremonia *cy* utuntur ad declarandam suam mentem ac intentionem, nihil prorsus peti à Parentibus defunctis; nullum omninò in iis indicium aut orationis aut spei reperiri. Et sic verificatur, quòd Sinæ parentando nihil petant, aut sperent à Parentibus defunctis. Sed nunc probemus idem de Confucio.

Dico ergo 2. Sinæ, ut infrà jam videbimus, in facienda Confucio Ceremonia *cy*, nihil ab eo petunt aut sperant.

Probatur primò. in solemni Confucii Ceremonia nihil ab eo peti, aut sperari, patet ex verborum formula, quam suprà retuli Cap. 2. Quæst. 2. §. 3. & quæ nunc in usu est; hancque unicam præscribit liber *Ta mim hoei tien* tom. 91. penè eisdem verbis, sic: Hoc Imperatoris *Hum vu* anno N. mense N. die N. ipse Imperator misit Præfectos N. N. ad faciendam Ceremoniam *cy* prisco Magistro Confucio, & quatuor ejus comitibus seu Discipulis, hæc dicendo: Tua virtus, Magister, Cælo terræque æquatur. Tua doctrina omnibus novis & antiquis (nempe Sinicis) præcellit. In sex libris classicis expurgandis & explicandis omnia futura sæcula illustrâsti. Idcircò adhibendo istas pecudes, ista serica volumina, istud vinum, istas dapes, ista omnia ferculorum genera, magna cum reverentia juxta veterem normam ordinatim tibi appono mundam muneris exhibitionem, tibique comites adjungo Discipulum *Yen tsu*, verum Magistri exemplar; Discipulum *Tsem tsu*, genuinum Magistri interpretem; Nepotem *Tsu su tsu*, studiosum doctrinæ Avi propagatorem; & *Mem tsu*, alterum à Te *Xim*, seu Sapientem. Id Penè gratum habebis.

Aliam quidem idem liber in eodem tomo continet præscriptam formulam ab Imperatore *Kia cim*, seu *Xi tsum so*, in qua primo aspectu quædam verba videntur parum dubia; sed si bene perpendantur, videbis non à Defunctis, sed à Cælo aliquid sperari. Deinde hæc formula non pro solemni ac consueta Confucii Ceremonia *cy* præscripta fuit; sed pro Ceremonia particulari undecim priscorum Sapientum ac Magistrorum, scilicet *Fo hi, Xin num, Hoam Ti, Yao, Xun*, &c. & ultimo loco ponitur etiam Confucius: Sic autem habet: Imperator N. omnibus excel-

excellentibus seu sapientibus (Sinicè *Xim*) Magistris reverenter hæc dicit: adminiculum, quo debeam uti ad proficiendum in litteris, & ad mores componendos, ego vestrorum discipulorum ultimus, Viri excellentes, arbitror esse libros illos, quos posteritati transmisistis. Cùm igitur crastina die schola aperiatur, submisse cogito spiritualem vim motricem (nempe Cæli, non istorum Sapientum) occulto modo agentem mihi vestrorum discipulorum ultimo intellectum aperturam, ut sincerum meum studium ac opus non irritum fiat; útque ultima pacifici regiminis perfectio possit haberi; & ut populi excellentis vestræ doctrinæ fructum perpetuò percipiant. Ideò ista specialiter ad id vobis nuntiandum appono. Cogito vos, excellentes Magistri, hoc spectaturos. Omni cum reverentia id annuntio (Z).

Vides igitur, Lector, à Cælo, non à Defunctis aliquid sperari.

Præterea dici potest, quòd iste Imperator *Kia cim* ibi loquatur juxta mentem Sectariorum, multùm ipse Sectariis deditus; & ideò fortè nonnullæ Ceremoniæ *cy*, quas ipse in eodem libro præscripsit, posteà rejectæ sunt, ut ibidem habetur tom. 86. Deinde ista formula erat tantùm formula particularis pro ipso Imperatore, non pro aliis. Denique illa in communi Confucii Ceremonia *cy*, de qua est quæstio, non adhibetur.

Secundò, id etiam patet ex libro *Ven hien tum kao*, sub finem Imperialis Familiæ *Yuen* in lucem edito, & sub sequenti Familia *Ta mim* rursus impresso. Hic etiam describit totam solemnem Confucii Ceremoniam *cy*, nec ullas omninò preces refert aut apponit isti Ceremoniæ *cy*. Formula, quam affert, jam pridem præscripta ab Imperatore *Hiuen tsum* Imperialis Familiæ *Tam* in annis sui Imperii dictis *Kay yuen*, sic habet: vastam, Magister, intelligendi facultatem, naturalémque notitiam, liberalissimè Cælum Tibi donavit; hinc Ritus & Musicam bellissimo ordine disposuisti; liberales artes, honestámque vivendi rationem perspicuè tradidisti; aliáque præclara gesta ac mores transmisisti, qui etiam nunc post tot sæcula suspiciuntur, faciunt, ut ego tuorum Discipulorum ultimus, honestati & litteris acquirendis possim vacare. Idcircò omni cum reverentia, ac diligentia adhibendo ista serica volumina, istas pecudes, istud vinum, ista omnia dapum fercula juxta priscam normam, ordinatim mundam muneris exhibitionem tibi appono, priscúmque Magistrum *Yen tsu*, & reliquos tibi comites adjungo. Id penè gratum habebis (W).

Iterum

Iterum vides in ista formula nihil prècum, nihil orationis, nullum omninò spei indicium haberi. Unde idem liber sic ait: Dum dicitur virorum virtute & sapientiâ excellentium (Sinice *Xim hien*) intelligentia esse in Cælo, id certè non est sicut Secta *Fæ* & *Lao*, quæ innumeris Spiritibus facit Ceremonias *cy* vel spe bonorum, vel metu malorum (Y).

Tertiò. Baccalaureus Christianus *Li kien kum* in suo Tractatu dicit Confucii Ceremoniam *cy* nullo modo fieri ad rogandam ullam felicitatem aut bona, sed tantùm ad gratias pro meritis persolvendas (AA). Alius Baccalaureus Christianus *Yen*, nomine Paulus, in suo Tractatu idem dicit (BB). Item alius Christianus Baccalaureus Mathias *Hia* etiam idem dicit; nimirum nec in Confucii, nec in Parentum Ceremonia *cy* quidquam rogari (CC).

Quartò. His omnibus adde testimonium ejusdem Imperatoris *Kam hi*, aliorúmque Procerum, ac Doctorum Sinensium, qui asserunt Sinas faciendo Ceremoniam *cy* Parentibus Defunctis ac Confucio, nihil ab iis petere; uti retuli in fine Tractatûs primi de Cognitione primi Entis.

Insuper his etiam adde maximam Christianorum litteratorum Sinensium multitudinem, qui interrogati, idem jurejurando, missóque ad summum Pontificem suo juramento, affirmârunt; præter alios multos Ethnicos Sinas, qui idem etiam suâ syngraphâ confirmârunt, ut alibi in authenticis Actis impressis videre est.

Quare liquet nunc Sinas faciendo Ceremoniam *cy* sive Parentibus defunctis, sive Confucio, nihil ab iis petere, aut sperare. Si fortè subinde sperent, vel erit unius alteriusvè particularis error, vel erit tantùm illa felicitas, quam referam in sequenti paragrapho, nimirum omnia naturali Cælestis Providentiæ cursu bene sibi successura propter ritè adimpletum Filii obsequentis erga Parentes defunctos munus. Unde

Dico 3. Nullam nunc Sinæ in Defunctis agnoscunt potestatem (DD;) cùm enim putent hominum Animas post mortem dissipari aut perire, inesse aliquid in iis potestatis ac virium existimare nequeunt. Sed nunc de hoc. Itaque

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. Domestic. tom. 1. sic: Abeundo domo, & domum redeundo fiat denuntiatio (nempe Parentibus defunctis) sic: Paterfamilias stans ad gradus scalæ, binâ usque ad terram exhibitâ reverentiâ, accedat ad odorum mensam, genua flectat, odoramenta incendat, dicatúrque: Obsequiosus nepos N. &c. ut suprà in contextu.

B. 2. Lib. Rit. Domestic. tom. 1. sic: obtento Magistratu, nuntietur &c. formula verborum sic; Hoc anno N. mense N. obsequiosus abnepos palam audet nuntiare præclaris Abavo & Abaviæ, Proavo & Proaviæ, Avo & Aviæ, Patri & Matri, illis Præfectis N. N. his cognominatis N. N. sic: Cùm Imperator anno N. die N. singulari beneficio mihi Magistratum N. &c. ut suprà in contextu.

C. 3. Lib. Rit. Domest. tom. 1. sic: Genito filio Parentale ædificium invisatur .... Paterfamilias flectat genua, & dicatur: Cùm uxor N. cognomine N. anno N. mense N. die N. horâ N. genuerit filium primogenitum, vel secundogenitum N. ego audeo vel N. audet hîc coram vobis se sistere. Deinde corporis inclinationes &c.

D. 4. Lib. Rit. Domest. tom. 5. de exequiis, & sepultura sic: Ceremoniæ *cy* formula hæc est: hoc anno N. &c. indignus consanguineus Præfectus N. cognomine N. &c. hoc mundum vinum &c. ut suprà in contextu.

E. 5. Lib. Rit. Domest. tom. 5. de Parentali Ceremonia *Tu*, verborum formula sic: Hoc anno N. &c. filius orphanus N. audet defuncti Patris &c. ut suprà in contextu.

F. 6. Lib. Rit. Domest. tom. 6. de exequiarum Ceremoniis. Verborum formula pro apponente Patrem apud Avum &c. sic: Hoc anno N. &c. obsequiosus pronepos reverenter cum hac &c. ut suprà in contextu.

G. 7. Lib. Rit. Domest. tom. 6. de exequiarum Ceremoniis. Post secundum anniversarium obitûs diem verborum formula sic: Hoc anno N. mense N. &c. Nepos obsequens N. palam audet Præfecto N. &

N. & dominæ N. cognomento N. &c. hæc dicere: Cùm tempus transferendæ &c. ut suprà in contextu.

H. 8. Lib. Rit. Domest. tom 6. de exequiarum Ceremoniis. Pro infodienda lignea Tabella verborum formula sic: Hoc anno N. &c. obsequiosus Abnepos N. palam audet Abavo N. Præfecto N. & Abaviæ N. cognomento N. hæc dicere: Prisci Imperatores &c. ut supra in contextu.

I. 9. Lib. Rit. Domest. tom. 6. de exequiarum Ceremoniis. Pro deponenda lugubri veste verborum formula sic: Hoc anno &c. orphanus Filius N. palam audet hæc præclari Patris, Præfecti N. domûs Domini defuncti Tabellæ dicere: Funebris quidem habitûs gestatio habet suum præscriptum temporis spatium; sed diuturna Parentum defunctorum recordatio caret termino. Nunc ergo omni cum reverentia hoc vinum purũ,& has comũnes escas submissè tibi præsento pro vestis funebris deponendæ munere. Id penè gratum habebis.

K. 10. Lib. Rit. Domest. tom. 6. de exequiarum Ceremoniis. Pro sepulturæ mutatione verborum formula sic: Ne fortè inopinato casu &c. ut suprà in contextu.

K. 11. Lib. Rit. Domest. tom. 6. de exequiarum Ceremoniis. Pro sepultura aperienda verborum formula sic: Cum cadaver Præfecti N. nomine N. jam à tot annis &c. ut suprà in contextu.

L. 12. Lib. Rit Domest. tom. 7. Ceremoniæ cy Ritus. Ceremoniæ cy formula sic: Hoc anno N. mense &c. obsequiosus abnepos Præfectus N. cognomine N. nomine N. palam audet præclaris Abavo, Proavo, Avo, Patri, Præfectis N. N. domûs Dominis; & præclaris Abaviæ, Proaviæ, Aviæ, Matri, cognominatis N. N. cognomine N. N. hæc dicere: Anni ordo assiduè suas &c. ut suprà in contextu.

M. 13. Lib. Rit. Domest. tom. 7. Ceremoniæ cy Ritus. Sub initium Veris pro priscis Avis, Ceremoniæ cy formula sic: Hoc anno &c. obsequiosus Nepos N. palam audet prisco Avo N. Præfecto N. domûs Domino; & priscæ Aviæ N. cognomento N. cognomine N. hæc dicere &c. ut suprà in contextu.

N. 14. Lib. Rit Domest. tom. 7. Ceremoniæ cy Ritus. Sub finem Autumni, pro Patre ac Matre defunctis, Ceremoniæ cy formula sic: Hoc anno &c. obsequiosus filius N. palam audet præclaro Patri, Præfecto N. domûs Domino; & præclaræ Matri, cognomento N. cogno-

gnomine N. hæc dicere: Nunc Autumni finem &c. ut suprà in contextu.

O. 15. Lib. Rit. Domest. tom 7. Ceremoniæ *cy* Ritus. In annuo obitûs die Ceremoniæ *cy* formula sic: Hoc anno &c. obsequiosus filius N. (vel nepos, pronepos &c.) palam audet Parenti N. Præfecto N. domûs Domino hæc dicere: Anni ordo &c. ut suprà in contextu.

P. 16. Lib. Rit. Domest. tom. 7. Ceremoniæ *cy* Ritus. Ad sepulturam, Ceremoniæ *cy* formula sic: Hoc anno &c. obsequiosus filius N. (vel nepos, pronepos &c.) palam audet Parentis N. Præfecti N. domûs seu familiæ Domini sepulchro hæc dicere: Anni ordo &c. ut suprà in contextu.

Q. 17. Lib. Rit. Domest. tom. 5. de exequiis, & sepultura. Pro Spiritu terræ, Ceremoniæ *cy* formula sic: Hoc anno &c. Præfectus N. cognomine N. nomine N. palam audet hujus loci Spiritui hæc dicere: Quia nunc meditor Patri N. Præfecto N. &c. (vel Matri &c.) sepulturam hîc constituere; tu, Spiritus, illam protege, tuere, adjuva, ita ut nullum malum, aut damnum incurrat. Idcircò omni cum reverentia hoc purum vinum, & hanc carnem exsiccatam ac condîtam, submissè tibi, Spiritus, præsento. Id pene gratum habebis.

Q. 18. Lib. Rit. Domest. tom. 7. Ceremoniæ *cy* Ritus. Postquam facta est Ceremonia *cy* Parentibus ad sepulturam, statim etiam fit Ceremonia *cy* istius loci terræ Spiritui. Extenditur storea, & ciborum fercula apponuntur. Hujus Ceremoniæ *cy* formula sic: Hoc anno, mense, die, horâ, Præfectus N. cognomine N. nomine N. audet palam hujus loci terræ Spiritui hæc palam dicere: Cùm ego annuum debiti obsequii & observantiæ opus ad Parentis vel consanguinei N. Præfecti N. domûs Domini sepulturam compleverim; tu hanc semper protege, tuere, adjuva; tuo, Spiritus, favori verè innitor. Audeo igitur ad te, Spiritus, colendum, hoc vinum & has escas apponere, tibique offerre. Id penè gratum habebis.

R. 19. Lib. Rit Domest. tom. 8. diversæ Ceremoniæ. In formula qua Doctor *Chu hi* facit denuntiationem Parentibus suis defunctis de

de abdicando magistratu, sic ait: submissè exopto, ut Avi &c. ut suprà in contextu.

S. Ibidem idem Matrem defunctam sic alloquitur: Submissè exopto, ut tu, Mens benefactrix, &c. ut suprà in contextu.

T. 20. Lib. mutat. ac product. symbolo *Tsui*, quotidiana hujus libri explicatio tom. 10. sic: Dum textus dicit: *Imperator adit Parentale Majorum Palatium*, istud non agit, ut petat aut quærat felicitatem ac bona. Ista Parentalium palatiorum erectio, rectam colendi Parentes normam continet. Imperator enim illa adeundo, verà totius sui cordis filialem observantiam affert, ut omnem præsentandi rationem expleat.

V. 21. Lib. mutat. ac product. symbolo *Huon*, quotidiana hujus libri explicatio tom 13. sic: Adire Parentale palatium modo non recto, istud est Spiritibus seu Defunctis adulari; quapropter illud adeundo, oportet veram Avis ac Majoribus venerationem præstare, nec audere Ceremoniam *cy* facere ad quærendam felicitatem, seu bona. Transire flumen modo non recto, istud est se periculo exponere; quapropter illud transeundo, oportet Cælo obsecundare, & hominibus obsequi; nec audere temeraria consilia moliri. Hæc duo dum recto modo fiunt, tunc emolumento sunt; alioquin nec Spiritus seu Defuncti gratum habebunt munus, nec hominum corda devincientur. Quomodo ergo dispersio possit sortiri suum collectionis effectum? Itaque hæc dispersio seu hoc dispersionis symbolum duplicem continet sensum; alterum, quo populi dispersi colliguntur seu uniuntur, & illud est *adire Parentale palatium*; alterum, quo publicæ in Imperio calamitates disperguntur, & istud est *transire flumen*.

X. 22. Lib. *Ta mim hoei tien*, tom. 86. artic. *Xi hiam*, Ceremoniæ *cy* formula sic: Hoc Imperatoris *Hum vu* &c. ut suprà in contextu.

Z. 23. Lib. *Ta mim hoei tien*, tom. 91. artic. *Sien xim sien su*, Ceremoniæ *cy* formula sic: Hoc anno, mense, die, Imperator N. &c. ut suprà in contextu.

W. 24. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 44. de Ceremonia *cy* Confucii. artic. *Tam kay yuen ls* &c. formula Ceremoniæ *cy* sic habet: Hoc anno, mense, die Præfectus N. nomine N. missus ab Imperatore ad vinũ præsentandũ audet palam prisco excellenti Doctori Confucio hæc dicere: Vastam, Magister, &c. ut suprà in contextu. Eadem ibidem formula præscripta habetur pro ipso Imperatoris filio, Imperii herede.

Y. 25. Lib. *Ven bien tum kao* tom. 43. in fine sic: Sed dum dicitur virorum virtute ac sapientiâ excellentium (Sinicè *Xim bien*) intelligentia esse in Cælo, id certè non est sicut *Fo* & *Lao*, quæ innumeris Spiritibus facit Ceremoniam *cy* vel spe bonornm, vel metu malorum, dementátque rude vulgus dicendo illos esse Spiritus; quia nimirum optat illorum fana amplificare.

AA. 26. Baccalaureus *Li kieu kum* in suo Tractatu *Li so mim pien*, sic: Petes: Dum fit Ceremonia *cy* Confucio, aut Parentibus defunctis, rogantúrne ab illis aliqua bona, an non? Resp. A principio trium primarum Familiarum Imperialium, & ante, in China omnes Litterati nôrunt servire Cælo, &c. ideò dum loquuntur de doctrina, mox dicunt eam suum trahere a Cælo principium: Dum loquuntur de bonis aut malis, mox ea referunt ad Cælum &c. nondum sanè audivi potestatem immittendi bona aut mala, attribui Confucio & Parentibus defunctis &c. dum ergo Ceremoniam *cy* Confucio faciunt, eam tantùm faciunt ad venerandam ejus doctrinam, & ad gratias pro meritis persolvendas. Similiter dum faciunt Ceremoniam *cy* Parentibus defunctis, verè eam tantùm faciunt ad recordationem alimentorum, quæ non possunt ampliùs eis subministrare, & ad gratias pro generationis beneficio persolvendas; non verò ad rogandam felicitatem ac bona.

Idem in suo Tractatu *Chim li tsui*, sic: Itaque ex his omnibus patet illam Confucii Ceremoniam *cy* nullo modo fieri ad rogandam aliquam felicitatem, aut bona; sed tantùm ad gratias pro meritis persolvendas; uti nec eam fieri defunctis Parentibus ad postulanda bona; sed &c.

BB. 27. Baccalaureus Paulus *Ten* in suo Tractatu *Tiao nen cie ta*, sic: Fit Ceremonia *cy* Spiritibus, quia nobis præsunt; Parentibus defunctis, quia nos genuerunt; Confucio, quia nos docuit. Confucio Ceremoniam *cy* semper fecerunt Sinæ ad ostendendam dumtaxat suam reverentiam & honorem; nec unquam ulla rogandæ felicitatis, aut bonorum mens fuit.

CC. 28. Baccalaureus Mathias *Hia* in suis scriptis responsionibus ad Patrem Gabiani S. J. sic: Petes: In Ceremoniis *cy* Confucii ac Parentum defunctorum rogatúrne ab illis aliqua felicitas ac bona? Resp.

Nec

Nec in his nec in illis rogari ullam felicitatem ac bona &c. ex istarum Ceremoniarum *cy* formulis sat potest cognosci Sinarum mens & intentio.

DD. 29. Lib. Carm. tom. *Ta ya*, odâ *Uen vam* sic: Qui assidua cogitatione cæli legi adhæret, ipse sibi multam quærit & accersit felicitatem, ac bona. Deinde compendiosa Interp. compilatio sic: *Quærere felicitatem*, dumtaxat consistit in adhærendo Cæli legi. Dum ergo dicitur: *Ipse sibi quærit*, clarè patet magnum Cælum (vel potiùs cæli Dominatorem) carere omni affectione particulari, & Majores defunctos omni potestate.

Paragraphus IV.

De felicitate Ceremoniæ *cy*.

Respondeo & Dico: Quod attinet ad illam felicitatem Ceremoniæ *cy*, vel sunt tantùm verba benè apprecatoria, quæ olim Lector, vel quidam Internuncius nomine Spiritûs personati, seu Pueri Actoris Parentem defunctum repræsentantis, deferebat ad filium Parentantem, uti suprà diximus in Cap. 3. Quæst. 2. §. 2. punct. 8.; vel sunt tantùm quædam festivæ versuum strophæ, quæ à Musicis decantantur tempore Ceremoniæ *cy*, sicuti & similes sæpius decantantur tempore conviviorum, prout videre est in classico libro Carminum (A). Unde istæ strophæ non sunt Parentantis oratio, quâ sibi istam felicitatem aut petat, aut speret à Parentibus defunctis; sed sunt faustæ acclamationes & vota vel canentium Musicorum, vel aliorum (B).

Deinde Ceremoniæ *cy* felicitas, non est illa quam mundus vocat felicitatem, ut jam suprà dixi; sed est operis perfectio, morum rectitudo, vitæ honestas, ex qua naturaliter bona tum virtutis, tum fortunæ sequuntur (C). Quasi diceretur: Quia in facienda Parentibus defunctis Ceremonia *cy*, filialis observantiæ munus accurate adimplevisti; idcircò manet tibi magna felicitas tum virtutis, tum bonorum temporalium, quæ solent ex accurata sui muneris adimpletione sequi. Atque ita ista felicitas, quam olim prisci Parentanti exoptabant, non à Parentibus, sed à Cælo sperabatur (D).

Discri-

Discrimen, inquit Interpres Sinicus, inter Ceremoniæ *cy*, & mundi felicitatem, est hoc: Felicitas, quam Sapiens recipit (nempe parentando), est quid jam habitum ante Ceremoniam *cy*; id verò, quod mundus vocat felicitatem, est quid respondens post Ceremoniam *cy* (E). Ita ille. Unde olim dicebat Confucius: Dum milito, vinco; dum facio Ceremoniam *cy*, recipio felicitatem, quia rectum teneo istorum operum modum, seu viam (F). Quare ista vox *felicitas*, & aliæ similes in Ceremonia *cy*, vel faustas quasdam acclamationes & vota, vel ipsius operis, quod exercetur, honestatem ac perfectionem significare seu indicare tantùm videntur.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Carm. tom *Cheu sum*, odâ *Cien* sic: Omnes illi pisces, (nempe *Chen*, *yve*, *tiao*, *cham*, *yen*, *li*) sunt ad Parentandum, ad præsentandum, ad magnam felicitatem.

A. 2. Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *Tien pao*, conviva hospes suo Principi sic apprecatur: Dum facies Parentalem Ceremoniam *cy*, Spiritus adveniens multam tibi felicitatem relinquat; sint, inquam, populi tui sinceri ac recti.

A. 3. Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *Tsu tsu*, sic: Dum meæ lobæ, ac milii messis uberrima fuerit, horreáque penitùs plena; tunc esca, & vinum habebitur ad Parentandum, ad præsentandum (scilicet Majoribus Defunctis), ad pacandum (scilicet Spiritum personatum), ut securè & tranquillè sedeat; ad eum hortandum ut ampliùs comedat; ad magnam felicitatem. Dein paulò pòst: Ceremoniæ *cy* opere exactè peracto, tunc Majores Defuncti instar Principum magni, seu augusti videbuntur; pacatus Spiritus personatus gaudebit, Nepos obsequiosus felicitate potietur, eritque merces ad magnam felicitatem; mille & mille vitæ anni sine termino, seu vita longissima. Rursùs paulò pòst sic: Tunc Lector, Spiritûs (nempe personati) verba deferendo, ibit apprecaturus Nepoti obsequioso sic: Cum tuum filialis observantiæ munus fuerit mundissimum ac fragrantissimum, Spiritus tuo cibo ac potu valde oblectatus est; hinc omne felicitatis genus tibi dat, ita ut promptissimè & ordinatissi-

natiſſimè veniat; cúmque tua Rituum & cultûs obſervantia fuerit ritè concinnata, prompta, recta, modeſta, *ſummam* ubique & ſemper *perfectionem tibi dat*, & uſque & uſque copioſiorem. Rurſus paulò pòſt idem Lector ſic: Quandoquidem jam omnes Spiritus ſint vino ſatiati, & Auguſtus Spiritus perſonatus ad excundum ſurrexerit; tympana, & campanulæ ad eum deducendum conſonent. Idem paulò infrà: Cùm omnes conſanguinei epulis fuerint ſaturati, parvi & magni demiſſo in terram capite dicant: Quandoquidem Spiritus tuo vino & cibo ſint delectati, te faciant longiſſimam vitam ducere.

Deinde Interpres *Chu bi* ſic: Spiritus carent corpore ac figura; dum ergo dicuntur vino ſatiati rediiſſe, iſtud eſt ſumma veræ ac ſinceræ reverentiæ perfectio, quaſi parentans illos videret. Ibidem compendioſa Interpr. compilatio ſic: Quamvis dum Lector facit Ceremoniam *cy* ad Parentalis ædificii portam, dicatur quæri verè Spiritus, & optare ut ille res præſentatas excipiat, aut gratas habeat; iſtud tamen eſt tantùm aliquid, quo honor & reverentia demonſtratur. Vnde dum eadem compilatio ibidem ſic ait: *Spiritus perſonatus pro ſua agendi regula aſſumit perſonam Spiritûs, ſeu Defuncti; idcircò quando Spiritus eſt vino ſatiatus, ipſe ſurgit ad exeundum: & Spiritus pro ſua repræſentatione ſeu fulcimen aſſumitto Spiritum perſonatum; idcircò quando Spiritus perſonatus deducitur, ipſe redit*; Vel ibi iſte Author juxta hanc externam reverentiæ demonſtrationē loquitur, vel juxta mentem Sectariorum Idololatrarum, uti jam ſæpius dixi; vel potiùs ſicut in theatro perſona repræſentata nititur Actore repræſentante, & Actor repræſentans pro ſua agendi regula ſibi proponit perſonam repræſentatam, ita ut v. gr. Actore ſubſiſtente, dicatur Imperator ſubſiſtere, abeunte abire; ita olim ille puer Actor Spiritum ſeu Defunctum repræſentans, dum abibat, dicebatur Spiritus abire. Nunc ille non ampliùs adhibetur.

Deinde eadem compilatio ibidem rurſus ſic: Non dicitur, *felicitatem tibi dat*; ſed dicitur *ſummam perfectionem tibi dat*; quia Poëta ſeu liber Carminum dum principi felicitatem appreeatur, magna ex parte loquitur de deferenda felicitatis radice ac principio; vir enim Princeps, qui poteſt ſe in ſumma perfectione ſtabilire. mox quin-

tuplex felicitatis genus sibi adsciscit: Et dum dicitur *tibi dat*, est sicut diceretur: *Cælum tibi cor aperiat*. Hinc

A. 4. Lib. Carm. tom. *Siao ya*, odâ *Sin nan xan* sic: In agrorum marginibus serantur cucumeres. Hi bene dissecti & conditi præsentabuntur augustis seu magnis Avis defunctis. Pronepos longissimos annos vivet, Cælique auxilium ac felicitatem excipiet; vel dic: Vivat, excipiat. Paulò infrà sic: Ceremoniæ *cy* opere exactè peracto, tunc Avi instar Principum Augusti erunt; magnæ felicitatis merces dabitur, mille & mille anni sine termino; vel dic: detur.

A. 5. Lib. Carm. tom. *Lu tsum*, odâ *Pi kum*, Regulum *Hi kum* ob reædificatum Parentale Majorum suorum ædificium, quod collapsum fuerat, sic laudat Poëta: Vere igitur & Autumno facere Ceremoniam *cy* non negligas, & cave ne illam faciendo aberres. Maximus cæli Dominus ac Rector præsideat; maximus tuus Avus *Heu Cie* illi comes adjungatur. Si præsentes rubram pecudem, est id quod gratum est, est id quod æquum est. Postquam autem multa felicitas descenderit, Princeps *Cheu kum*, aliique præteriti Reguli te etiam beent. (Nota: Ille color ruber tunc erat in usu, anteà alius.)

B. Deinde Interpres *Chu hi* sic ait: Hic & sequens Articulus recenset summam Reguli *Hi kum* reverentiam in suburbano Cæli litamine, & in Parentali Majorum palatio renitentem; quod autem spectat ad felicitatem, quam Spiritus immittit, eam sic illi exoptat populus. Et paulò pòst, compend. Interpretum compilatio sic: Quod spectat ad obtinendam Ceremoniæ *cy* in Parentali ædificio exhibitæ felicitatem, eam nos omnes sic illi exoptamus, utpote qui istud Parentale ædificium restauravit.

C. 6. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 25. *Cy tum* sic: Dum dicitur: Sapientis Ceremonia *cy* suam haud dubiè recipit felicitatem, non intelligitur illa, quam mundus vocat felicitatem; hæc felicitas, perfectio est. Perfectio est omnimodæ morigerationis & obsequentiæ vocabulum; quia qui in omni re se morigerum, & rationi obsequentem præstat, hic perfectus vocatur; id est, qui intus, omnes sui cordis partes prorsus explet; foris uni rectè agendi viæ diligentissimè adhæret; fideliter Regi, obedienter Parentibus inserviendi, unum & idem credit esse principiū. Denique qui sursum Spiritibus, extra domum Regi

Regi ac Magistratibus, domi Parentibus accuratè obsequitur atque obtemperat, hic perfectus vocatur. Jam verò solus vir sapiens potest sic esse perfectus; qui autem potest sic perfectus esse, hic demum potest facere Ceremoniam *cy*. Idcircò Sapientis Ceremonia *cy* perfectam veritatem, sinceritatem, rectitudinem, reverentiam includit. Suam ipse facit Ceremoniam cum debitis rebus, dirigit cum præscriptis Ritibus, temperat cum recta Musica, distinguit cum diverso tempore; mundo denique ac perfecto corde illam facit, & nihil aliud. Quod enim spectat filii obsequiosi animus, est *non quærere propter quid*. Tum Interpres *Chin hao*: *Non quærere propter quid*, inquit Doctor *Ym*, id est non habere intentionem quærendi felicitatem, seu aliquod bonum; atque hoc est quod idem liber alibi dicit: Ceremonia *cy* caret postulatione & precibus.

D. 7. Vide hìc suprà num. 3. litterâ A in fine; & num. 4. litterâ A.

E. 8. Lib. *Li ki kiam y* seu Interpretatio sensûs libri Rituum tom. 16. in ejusdem libr. Rituum textum, jam præced. num 6. litterâ C. allatum, sic ait: Felicitas, quam Sapiens &c. ut suprà in contextu.

F. 9. Lib. Rit. tom. 5. Cap. 10. *Li ki*, sic olim dicebat Confucius: Dum milito, &c. ut suprà in contextu.

QUÆSTIO IV.

An Parentalis Ceremonia *cy* quam Sinæ Defunctis faciunt, sit superstitiosa ex motivo ipsius objecti culti?

Paragraphus I.
Quædam prænotantur.

Objectum materiale hujus cultûs, est anima Defuncti, seu potiùs ipsemet Defunctus, v. gr. Pater repræsentatus ut adhuc in vita degens, uti jam dicam; ac proinde dignitas & excellentia

lentia v. gr. Patris repræsentati ut adhuc in vita degentis, est objectum formale, sub quo filius Parentans colit Patrem sic repræsentatum. Jam verò quæritur, utrùm Parentalis cultus quatenus tendit in illud objectum, includat aliquam superstitionem? sive utrùm tendat in Animam Defuncti velut realiter præsentem, ita ut putata præsentiæ realitas verè in ipsum cultum influat; nam si se habeat tantùm per modum loci extrinseci, nullo modo in cultum influentis, jam de hoc dictum est suprà Cap. 1. Quæst. 2. túncque videretur quasi frustra moveri hic proposita Quæstio; cùm juxta ibi dicta id reduceretur ad infidelitatem, non ad superstitionem. Quomodo verò ista putata Animæ præsentia possit in cultum influere; an v. gr. per modum motivi, quo cultor credat diversam à vita mortali inesse defuncti Animæ potestatem illic existenti, vel quo credat ei inesse potestatem illuc adveniendi, dum eo Ritu colitur; vel alio quocumque modo, non hîc discutio; sed tantùm quæro, utrùm reverà Sinæ nunc putent Defunctorum Animas ad Ceremoniam *cy* venire, illivè interesse, quomodocumque fingant id fieri? priùs tamen dicendum aut præsupponendum est quid communiter Sinæ de Animæ statu post mortem sentiant. Itaque

Paragraphus II.

De Animæ statu post mortem juxta Sinas.

RESp. & dico 1. Sinæ antiqui videntur agnovisse ac credidisse Animæ nostræ immortalitaem. Antiqui enim & classici eorum libri dicunt multos Principes Imperialis Familiæ *Yn* & *Chen* post mortem in cælo existere (A); defunctum Principem *Ven vam* adstare semper supremo cæli Domino (B); hominem moriendo longè ascendere, & iter inire, ex quo numquam reditur (C); & multa alia similia. Ergo sibi persuadebant post mortem, Animam adhuc perseverare, seu immortalem esse; idque potest etiam confirmari ex hoc, quòd nihil dicant de ejus interitu aut extinctione. Sed licèt isti libri referant de aliquibus Defunctis, (ut jam vidimus,) quòd in ca lo

cælo existant; videntur tamen Sinæ antiqui nescivisse certum Animæ è corpore egressæ locum, cùm dicant, parentando illis, se nescire ubinam sit Spiritus seu Anima Defuncti, prout ostendi supra Cap. 1. Quæst. 2.

Dico 2. Sinæ moderni, circa Animæ nostræ immortalitatem, videntur, saltem ex parte, aliter sentire quàm Antiqui, sibíque quasi persuadere Animam cum corpore perire; aut potiùs vim illam vivificativam quatenus priùs vivificabat corpus, unà cum corpore interire; Nam quoad Rationem, (seu facultatem rationalem juxta Sinas à Cælo homini infusam) quæ, ut aiunt, est aliquid subtile, unum per se, nec per coagulationem nec per dissipationem explicari potest, non videntur dicere eam interire, aut destrui (D).

Itaque sic hi videntur sentire: Dum aliquis obit, caro cum ossibus in terram, sanguis cum humoribus in aquam convertitur; Spiritus autem, seu vis vivificans vel natura vivificans sursum ascendens, destruitur, seu in vitalem auram abit. Unde sicut terra & aqua, in quas hominis defuncti corpus redigitur, non est hominis corpus; ita vitalis Aura, in quam hominis defuncti Spiritus abit aut revertitur, non est hominis Spiritus seu Anima, adeòque hæc extincta periit. Jam verò quid sit ista vitalis Aura, prout accipitur pro primo omnium rerum Principio (E), jam dixi in Tract. 1. de Cognitione primi Entis; nimirum vel est Divina potentia, vel ipse DEUS in quantum est Principium vitale, primum Movens, prima Causa efficiens, &c. Diverso igitur modo juxta illos corpus & Spiritus hominis revertitur in suam causam; corpus in causam materialem, nempe in terram & aquam; Spiritus in causam efficientem, neque in vitale primum Principium (F). Cúmque hoc vitale primum Principium, quod semper existit, nùnc Cælum, nunc Ratio, &c. ab illis etiam vocetur; ideò fortassè dicunt hominis Rationem cælitùs infusam, quæ nec per coagulationem nec per dissipationem explicari potest, non interire, semper persistere, in Cælum redire. Aut potiùs quoad nostræ Animæ immortalitatem, multi ex istis litteratis Sinensibus, utpote fidei luce destituti, videntur palpare in tenebris, nec satis certò scire quid ipsimet debeant sentire; quamvis affirment illam perire, à Cælo venire, in

Cælum redire, &c. Num fortè aliquid simile ei, quod olim Lucretius, ipsi sentiunt? hic enim dicebat hominis Animam interire, sic:

Quapropter fateare necesse est, quod fuit antè,
Interiisse, & quæ nunc est, nunc esse creatam.

Lucretius lib. 3. de rerum natura.

Præterea idem dicebat illam è Cælo venire, & in Cælum redire, sic:

Cedit enim retrò de terra, quòd fuit antè
In terra; sed quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cæli fulgentia templa receptat.

Ego autem arbitror istos recentiores Sinas, qui vident suos libros antiquos tam claris verbis asserere aliquos Defunctos in cælo existere, voluisse servare eumdem modum loquendi, sed eum intelligendo aut explicando juxta suam opinionem; & videtur Idololatrica Secta *Fo* sensim per totam Chinam propagata, dedisse illis occasionem tam malè ac perplexè sentiendi de Animæ nostræ immortalitate. Hæc enim Secta, uti olim græci ac latini Poëtæ, describit & proponit fabulosos Inferos cum suis pœnis, & fabulosum Paradisum cum suis gaudiis. Sinæ cùm istas fabulosas Inferorum pœnas, & fictilia Paradisi gaudia aut præmia explodere cœpissent nec credere voluissent, hinc probabiliter ceperunt occasionem dicendi Animam Hominis post mortem destrui, perire, ac proinde esse subjectum incapax tum illas pœnas, tum hæc gaudia recipiendi (G). Quare cùm juxta illos Anima pereat, non ergo post mortem convertitur in tenuissimum aërem materialem (H). Deinde cùm dicant illas Inferorum pœnas non habere, in quid possint agere post mortem (I); si Anima converteretur in istum tenuissimum aërem, saltem illæ pœnæ possent adhuc vel sic in eum agere, utpote subjectum capax, si non doloris, saltem alicujus mutationis recipiendæ. Præterea, ut dicam in Tractatu sequenti de Ethica Sinensi, Anima dum jungitur corpori, non est quid materiale ac sensibile; ergo post separationem non potest converti in aliquid materiale ac sensibile. Unde dum dicuntur Spiritus quæri, & nullum locum non adire (K): vel sunt modi loquendi antiquorum Sinarum nescientium in quo loco foret Anima, credentiumvè in quovis loco coli posse; vel patefacientium suum desiderium eam colendi, Defunctóque inserviendi in quocumque loco, perinde ac dum vivebat. Pari ratione dum Capitulum *cy fa* libri Rituum præscribit faciendam Cere-

Ceremoniam *cy* Defunctis, qui nullos Posteros reliquerunt, (imò videtur etiamnum in aliquibus locis fieri), dúmque ibidem citatus liber *Tso chuen* dicit illas Animas, quia non habent ad quem spectent seu quo nitantur, damna hominibus forte afferre (L): vel dic istum librum *Tso chuen* esse unum ex antiquis, utpote longè ante Christi nativitatem compositum, & loqui juxta sententiam antiquorum credentium Animas immortales; vel potiùs dic ea, quæ referuntur in isto Capitulo *Cy fa*, esse extraordinaria, vana, nec libris classicis cohærentia (M); vel insolita & monstrosa (N). Unde hoc ad communes ac præsentes Defunctorum leges nihil facit, cùm id passim non credant Sinæ, istásque Defunctorum Animas *Ly*, id est, qui Posteris carent, vocent futiles, sine fundamento excogitatas, & à Sectariis seu Idololatris inventas (O). Itaque Defuncti, quos libri quandoque vocant *Quei xin*, generali scilicet Spiritûs nomine, dicuntur *Quei* in quantum corpus in terra putrefactum perit, & dicuntur *Xin* in quantum Anima in Cælum seu in vitalem Auram revertitur, abit, aut extinguitur juxta recentes Sinas (P). In quantum *Quei*, sunt quid spectans ad quietem *Tn*, seu habent quamdam relationem ad quietem; in quantum *Xin*, sunt quid spectans ad motum *Yam*, seu habent quamdam relationem ad motum (Q); sic tamen ut à parte rei nihil sint aliud, quàm præterita Parentum Anima spectata sub respectu ad motum *Yam*, & præteritum corpus spectatum sub respectu ad quietem *Tn*; atque ita ad corpus & animam sub isto duplici respectù aut relatione simul spectata atque unita, omnes Parentales Ritus ac cultus diriguntur (R); non verò ad istas relationes *Tn* & *Yam*. Denique corpori & Animæ conjunctim repræsentatis debitus honor ac gratiæ persolvuntur. Et in hoc tota filialis observantiæ perfectio consistit. Filialis autem observantia, aiunt, est rectæ disciplinæ radix, ac summa veræ doctrinæ perfectio (S).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Carm. tom. *Ta ya*, odâ *Hia vu* sic: Tres Principes (scilicet *Tay uam*, *Ki uam*, *Ven uam*) existunt in cælo.

A. 2. Lib. Annal. Imperial. tom. 5. Cap. *Chao kao* sic: Complures Defuncti istius Imperii *Tn* Imperatores, intelligentiâ ac prudentiâ inclyti, existunt in cælo.

B. 3.

B. 3. Lib. Carm. tom *Ta ya*, odâ *Ven vam*, agens de defuncto Principe *Ven vam*, sic ait: existens sursum Princeps *Ven vam*, proh! quàm fulgidè in cælo resplendet! Et paulò pòst loquendo de eodem; sic: sive ascendat, sive descendat, semper est à dextris aut à sinistris cæli Domini *Xam Ti*.

C. 4. Lib. Annal. Imperial. tom. 1. Cap. 2. *Kio li hia*, sic Interpres *Chin hao*: Ego autem puto legendum esse *Hia*, id est, *procul, remotè, longè*; vúltque dicere, quòd locus ille, ad quem ascendit (scilicet defunctus Imperator)!, sit valde altus & remotus; sicut id, quod libri Imperii *Han* vocant *magnum iter*; id est, iter, quod successivè initur. Vocatur autem *magnum iter*, quia qui illud semel adiit, non ampliùs redit.

D. 5. Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 28. art. 2. sic Doctor *Chim*: Anima, Sinicè *hoen*, est illa quæ per generationem habetur; sive est hominis generati vita; hæc autem moritur, seu exinguitur. Dum dicitur hæc Anima in Cælum redire, id significat eam destrui seu dissipari. Ibidem sic Doctor *Chu hi*: Dum homo moritur, calidus aër seu aura vivificans sursum exit, éstque id quod dicitur: *Anima ascendit*. Pars inferior paulatim frigescit, éstque id quod dicitur: *Cadaver descendit*. Hanc ob causam dicitur: vivens debet mori, & incipiens debet desinere. Attamen quod coalescit & dissipatur, est aër seu aura vivificans; quod enim spectat ad Rationem, ipsa est aliquid subtile in vitali seu vivificante aura movens, nec ullo modo aliquid coalescens; ipsa est unum per se; totum illud, quod in hominis officio seu natura conjungitur naturali æquitati, istud est Ratio; nec per coagulationem, nec per dissipationem ea explicari potest.

E. 6. Magnum Dictionarium *Chim tsu tum* in littera *Ki* sic Doctor *Chim*: Inexhaustus rerum Effector, est vitalis Aura.

F. 7. Lib. brevis expositio naturæ & rationis tom. 3. art. *Cy su*, Doctor *Hoam* sic: post multos à morte annos quamvis Avorum aut Majorum aër, seu vitalis aura sit destructa; causa tamen Avorum vitalis auræ, numquam cessat agere cælum inter ac terram, sive in mundo. Deinde quamvis perfecta Avorum vitæ species non ampliùs persistat, illa tamen perfectæ vitæ species, quam ego accepi, est perfecta Avorum vitæ forma ac species. Jam verò quando ego utens illa perfecta vitæ specie, quam accepi tracto cum causa Avo-

Avorum vitalis auræ ac Spiritûs; tunc ex utroque illo vitalis auræ concursu Majores defuncti fiunt magnifica specie velut spectabiles.

G. 8. Lib. Doctrinæ Parvulorum pars extrinseca Cap. 5. §. 2. sic Doctor *Su ma uen kum*: Mundani isti homines, qui pellacibus Sectæ *Fæ* mendaciis dant fidem, dum exequias persolvunt, nihil aliud curant, quàm ut munera idolo *Fæ*, cibùmque ejus ministris offerant; qui enim hoc agunt, inquiunt, Defunctorum peccata delent, eósque ad adipiscendam felicitatem adjuvant, ut in Cæli aula, nempe paradiso, omne voluptatis genus recipere possint. Qui autem hoc non agunt, procul dubio isti Defuncti terræ carcerem, nempe Inferos, ineunt, cultris, igne, pistillis petris, molaribus excruciandi, omníque tormentorum & dolorum genere afficiendi. Enimverò post mortem quando corpus putredine destructum est; & Spiritus, venti instar, etiam disperiit: illi non attendunt, quamvis adsint cultri, ignis, pistilli, petræ molares, nihil tamen ampliùs superesse, in quo istæ res vim suam exerant.

H. 9. Lib. *So xu mum yn* tom. 5. Libr. Sentent. artic. 3. sic: Si ille dissipatus aër, quando fit Parentalis Ceremonia *cy*, statim colligeretur; ergo Defunctorum aër seu vitalis aura adhuc occultè in mundo degeret; & qui in mundo assiduè ítque redítque, esset tantùm ille modicus ac tenuissimus aër; adeóque nostri Doctores non deberent Sectam *Fæ* falsitatis omninò condemnare. Et paulò infrà sic: Denique si intimè ac profundè res discutiatur, defunctorum Majorum aër seu vitalis aura vel Spiritus, Sinice *Ki*, reipsa omninò desiit ac periit.

H. 10. Lib. Product. ac mutat. tom. 17. part. *Chuen xam* art. 3. sic recta hujus libri explanatio: Dum homo nascitur, inquit Doctor *Cham*, vitalis Spiritûs aura à non esse transit ad esse; dum moritur, Anima discedens ab esse transit ad non esse, &c.

I. 11. Vide hîc suprà num. 8. litterâ G.

K. 12. Lib. Rit. tom. 2. Cap. 4. *Tan kum bia*, sic Princeps *Ki*: quòd corpus in terram revertatur, istud est vitæ hummanæ status; quod autem ad vitalem Animæ auram spectat, nullus est locus, quem non adeat.

L. 13. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 23. *Cy fa*, sic Interpres *Chin hao*: Prisci Imperatores sine Posteris defuncti, dicuntur *Tay ly*; prisci Reguli sine

li sine Posteris Defuncti, dicuntur *Kum ly*; prisci primarii Præfecti, seu Toparchæ sine Posteris Defuncti, dicuntur *Tso ly*. Defuncti (inquit liber *Tso chuen*, seu interpretatio Authoris *Tso* in librum *Chun cieu*) habentes ad quem spectent, aut quo nitantur, non sunt malefici, seu damna aut mala non afferunt; quia autem illi, qui non habent ad quem spectent, aut quo nitantur, hominibus damna aut mala forte afferrent; ideo iis fit Ceremonia *cy*.

M. 14. Lib. Rit. tom. 1. Cap. 2. *Kio li hia*, sic Interpres *Chin hao*: Dum capitulum *Cy fa*, inquit Doctor *Liu*, præscribit pro Imperatore septem Ceremoniæ *cy* species, inter quas ponit Ceremoniam *cy* pro Præside vitæ, & pro Imperatoribus qui Posteris caruerunt; pro Regulis quinque Ceremoniæ *cy* species, inter quas ponit etiam Cereremoniam *cy* pro Præside vitæ, & pro Regulis qui Posteris caruerunt, absque Ceremonia *cy* Spiritus portæ, ac foci; pro primariis Præfectis aut Toparchis tres Ceremoniæ *cy* species, inter quas ponit Ceremoniã *cy* pro Toparchis, qui Posteris caruerunt, absque Ceremoniæ *cy* Spiritûs meditullii domûs; pro viris litterarum laurea ac Magistratu donatis duas species, nempe Ceremoniam *cy* Spiritûs portæ, ac vitæ: hæc omnia classicis Sapientum libris non cohærent. Et paucis interjectis sic: quæ dicuntur in isto capitulo *Cy fa*, sunt extraordinaria, vana, nec classicis libris conformia; uti & id, quod erigendorum Parentalium ædificiorum normam vocat, etiam libris classicis non cohæret.

M. 15. Lib. Rit. tom. 4. Cap. 7. *Tsem tsu uen*, sic Interpres *Chin hao*: Capitulum quidem *Cy fa* recenset septem Ceremoniæ *cy* species pro Imperatore; sed præteriti Doctores jam pridem dixerunt istud capitulum *Cy fa* non posse facere authoritatem.

N. 16. Lib. *Su xu mum yn*, tom. 5. in libr. sentent. artic. 3. sic: Quod ad hominem attinet, cùm moriendo ejus anima in Cælum, & corpus in terram revertatur, post destructionem omninò perit ac desinit; si quæ enim anima adeò firmiter conjungatur, ut non destruatur, portentum résque monstrosa, aut malefici lemures, aliquidve extra cursum ordinarium, id esse censetur.

O. 17. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 86. sic: Olim, inquit Doctor *Yo*, erant septem Ceremoniæ *cy* species. Imperatoribus, Regulis, primariis Præfectis, qui obierant sine Posteris, fiebat Ceremonia *cy*. Isti Impe-

Imperatores vocabantur *Tay Ly*; Reguli, *Kum Ly*; primarii Præfecti, *Tsô Ly*. Nunc autem ista Ceremonia *cy* exolevit, nec ampliùs fit. Certè cùm ejusmodi Defunctorum Animæ sint futiles, sine fundamento excogitatæ, & à Sectariis seu Idololatris invectæ, annon penè mirandum est eas haberi in libri Rituum Capitulo *Cy fa*?

P. 18. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 24. *Cy y*, sic Confucius: Quicumque vivit, debet mori; mortuus in terram revertitur, & dicitur *Quei*, nempe destructus. Mortuum corpus humo tumulatum convertitur in terram agrestem. Illius autem vitalis aura sursum se prodens, resplendet, metúmque ac reverentiam ingerit. Ibi Confucius probabiliter loquitur juxta mentem antiquorum Sinarum.

Interpres *Tsay hiu chay* in suo libro *Su xu mum yn* tom. 3. art. 16. Immutab. Medii, ad hunc locum sic: Hæc significant cadaver esse *Quei*, nempe destructum; & illius Spiritum, qui movetur metúmque ac reverentiam ingerit, esse *Xin*; nempe quid invisibiliter agens vel in sua causa, vel in mente repræsentantis.

P. 19. Lib. Serm. domestic. Confucii art. 17. *Ngay kum uen chim*, sic discipulus *Tsay ngo* Magistrum suum Confucium interrogat: Ego, inquit, sæpius audivi nomen *Quei xin*, sed necdum scivi, quid significet; id ex te ausim quærere. Cui Confucius: Homo dum vivit, habet aërem seu vitalem auram, & habet animam. Vitalis aura est Spiritûs amplificatio, seu est id quo Spiritus se amplificat vel extendit, & suas operationes exerit. Homo qui vivit, utique debet mori. mortuus autem in terram revertitur, & hoc dicitur *Quei*, (id est juxta Interpretem, quia mortuus in terra sepelitur, ideò dicitur *Quei*). Vitalis autem Animæ aura in Cælum revertitur, & hoc dicitur *Xin* seu Spiritus. Conjungere *Quei*, id est corpus, cum *Xin*, id est Animâ, & utrique Ceremoniam *cy* facere, istud est rectæ doctrinæ summa perfectio; (id est, juxta Interpretem, conjungere *Quei* & *Xin*, ac utrique servire seu cultus obsequiúmque exhibere, istud est tota filialis observantiæ ac muneris perfectio; filialis autem observantia, est id, unde recta disciplina nascitur). Idcircò eriguntur Parentales propinquiorum & remotiorum Avorum domus, Veréque & Autumno iis fit Ceremonia *cy* ad distinguendos suos consanguineos ab extraneis, & ad docendos populos antiquitatem recolere, suæque

origini grates peragere, ita ut numquam audeant oblivisci eos, ex quibus vitam hauserunt.

Q. 20. Lib. brevis Naturæ, ac Rationis expositio tom. 3. art. *Cy*, sic Doctor *Chin*: Vita hominis nil est aliud, quàm unio rei *Cim* cum re *Ky*, nempe unio vel materiæ generativæ cum vitali aura seu anima, vel spiritûs seu animæ cum aëre materiali, id est, formæ cum materia. Homine mortuo, anima scandit in Cælum ad sequendum motum *Yam*; corpus descendit in terram ad sequendam quietem *Yn*; & hoc est quod dicitur: unumquodque suam sequitur speciem. Idcircò prisci Imperatores, Parentalis Ceremoniæ *cy* ritus instituerunt, ut liberi ac nepotes, tota sinceritate ac reverentia milium & adipem cremando cum herba odorifera *Siao* permixtam, illam (nempe animam) quærerent in motu *Yam*; & præsentando vinum ex fragranti herba temperatum, illam quærerent in quiete *Yn*, (nempe quatenus olim animantem corpus). Postquam hujusmodi inquisitio suum scopum attigit, quamvis anima & corpus sint separata, possunt tamen ad conjunctionem reduci (nempe per mentem); ideò liber Rituum dicit conjungere *Quei* & *Xin*, seu animam & corpus Defuncti, est summa rectæ doctrinæ perfectio.

R. 21. Vide hîc suprà num. 16. litterâ P. & num. 20. litterâ Q.

S. 22. Vide hîc suprà num. 19. litterâ P. & num. 20. litterâ Q.

Paragraphus III.
De præsentia Animæ dum fit Parentalis Ceremonia *cy*

RESp. & Dico: Sinæ, qui Litteratorum doctrinam sectantur, dum Defunctis faciunt Parentalem Ceremoniam *cy*, non credunt eorum Animas ibi præsentes existere, ac Ceremoniæ interesse. Sequitur ex conclusione præcedentis Paragraphi, in quo diximus recentiores Sinas Litteratos, quantum ex ipsorum libris potest colligi, existimare Animas post hominis mortem perire ac destrui: Ac proinde id, quod non est ampliùs, non potest ibi adesse. Deinde sic ulteriùs probatur:

Sinæ

Sinæ dum Defunctis faciunt Ceremoniam *cy*, ita sincerè illos reverentur non secus ac si adessent, non secus ac si sursum, dextrorsum, sinistrorsum adstarent (A). Cùm autem dicant *non secus ac si adessent*, ergo illic non adsunt; imò & dicunt verè non adesse: Spiritus, inquiunt, seu Animæ figura, corpore, voce expertes, illic verè non adsunt; sed id quod vera Parentantis sinceritas ac reverentia attingit, est similitudo gemitûs (nempe Parentum) qui videtur audiri, & vultûs qui videtur videri; quæ similitudo naturaliter sic se prodit (B). Nec fortè fingas illic eos adesse præsentia invisibili, de qua nullibi mentionem faciunt Sinæ agendo de Defunctis; cùm enim dicant *verè non adesse*; ergo nec præsentia invisibili adsunt; alioqui verè adessent, saltem invisibiliter. Solùm itaque illos sibi repræsentant tamquam præsentes.

Et hic mos erat priscorum Imperatorum. Illi in exhibenda filiali observantia, defunctorum Parentum vultum à suis oculis, vocem ab auribus, mentem, affectionem, desideria à suis cordibus non amovebant. Et verò qui Defunctos parentes toto corde diligit, hi tamquam adhuc viventes ac subsistentes se ei sistunt (scilicet in mente); quique illos toto corde reveretur, hi tamquam spectabiles se ei reddunt. Qui autem defunctos Parentes tamquam viventes, subsistentes ac spectabiles in corde habet, quomodo sanè possit debitam illis reverentiam non præstare (C)? sola ergo Defunctorum perfecta intelligentia, ac Spiritûs species se menti Parentantis prodit, & eum ad reverentiam ac timorem non secus ac si ipsi illic existerent, impellit (D). Unde dum dicitur Cælum seu cæli Dominus descendit, & adstat à dextris pecudis; Id est, offerens tota mente verè pertingit ad cæli Dominum, quasi ipse penè descenderet, & à dextris pecudis adstaret. Uti & dum dicitur: Princeps *Ven Vam* à dextris adstat ad excipiendum munus Ceremoniæ *cy*; id est, Parentans ita tota mente præsentat Principi *Ven vam* munus, quasi ipse penè descenderet, illud exciperet, ac quasi cerneretur omninò ita esse (E).

Quare dum litando cæli Domino dicitur cæli Spiritus appellere, & faciendo Parentalem Ceremoniam Majoribus defunctis, dicuntur hominum Spiritus illam excipere, seu gratam habere; id totum ex nobis ipsis ad illos attingendos provenit. Si enim adsit cordis sinceritas ac veritas, adest Spiritus (nempe menti objectus); si non adsit,

non adest (F). Quia id quod existit, est Posterorum Spiritus, qui facit Majorum Spiritum persistere (scilicet in mente) (G). Pluribus supersedeo; ex his enim sat patet istos litteratos Sinas non credere quòd Animæ Defunctorum, dum illis faciunt Parentalem Ceremoniam *cy*, sint physicè ac realiter ibi præsentes, reveráque Ceremoniæ intersint. Dúmque dicitur: *Descendit* aut *adstat*; ista verba non sunt strictè, & ut sonant, accipienda (H). Hinc ulteriùs sequitur, quòd dicemus in Paragrapho sequenti.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. sentent. art. 3. quotidiana quatuor librorum explicatio tom. 4. sic: Confucius faciendo Ceremoniam *cy* suis Majoribus defunctis, tantam filialis animi observantiam & attentionem adhibebat, perinde omninò ac si Majorum Animæ illis sursum adstitissent; similiter eam faciendo aliis externis Spiritibus, tantam etiam animi reverentiam & attentionem afferebat, perinde omninò ac si intelligentes Spiritus illic sursum adstitissent. Spiritus & Animæ figurâ, corpore, voce expertes, illic *verè non* adsunt; sed id quod vera Parentantis sinceritas ac reverentia attingit, est similitudo gemitûs qui videtur audiri, & vultûs qui videtur videri; quæ similitudo ultrò sic se prodit.

A. 2. Lib. Sentent. art. 19. eadem quotidiana 4. librorum explicatio, tom. 12. uti & Interpres *Cham kiu chim* etiam tom 12. sic: qui in facienda Parentali Ceremonia *cy* spectat reverentiam ad extendendam longè suam memoriam, & ad tenendam illam sinceritatem ac veritatem non secus ac si adessent Spiritus seu Animæ, hic potest dici litterarum Alumnus.
Vide etiam hîc infrà num. 5. litterâ D.

B. 3. Vide hîc suprà num. 1. litterâ A.
Vide etiam hîc infrà num. 5. litterâ D.

C. 4. Lib. Doctrinæ Parvulorum Cap. 2. §. 2. sic: Parentaturus, inquit liber Rit. (Cap. 24. *Cy y*), internam & externam abstinentiam servat; intra hos abstinentiæ dies recolit defunctorum Parentum habitationem, risum, verba, voluntatem, mentem; recolit id, quo delectabantur & quod appetebant; atque ita post tres abstinentiæ dies,

dies, ii, propter quos abstinentiam præmisit, videntur esse sibi spectabiles ac præsentes, (id est, inquit liber *Sim li ta ciuen* tom. 21. unicè animum applicat ad cogitandum de facienda Parentali Ceremonia *cy*). Ipso Parentalis Ceremoniæ *cy* die, statim atque Parentale conclave ingressus est, tamquam effigie expressum sibi videtur videre Parentem in suo signo, seu Tabella lignea exstantem. Dum ad portam circumit, tamquam gravitate verendi sibi videtur audire Parentis sese moventis strepitum. Dum portâ egressus auscultat, tamquam singultu oppressi sibi videtur audire Parentis profundè gementis vocem. Quocircà prisci Imperatores in præstanda filiali observantia, defunctorum Parentum speciem à suis oculis, vocem ab auribus, mentem, affectionem, desideria à suis cordibus non removebant. Et verò &c. ut suprà in contextu.

D. 5. Lib. Immutab. Medii art. 16. Interpres *Cham kiu chim* tom. 2 sic: Illo Ceremoniæ *cy* tempore dumtaxat repræsentatur illa Spirituum perfecta intelligentia ac species, totum quasi spatium complens ac commovens; ita ut si sursum, illos quasi sursum; si dextrorsum aut sinistrorsum aspicias, illos quasi dextrorsum aut sinistrorsum existere putares. Enimverò Spiritus figurâ, corpore, voce expertes, qui reverà aut suprà, aut à dextris aut à sinistris existant? sola illorum perfecta intelligentia ac species se prodens, potest hominibus reverentiam ac timorem tam fortiter incutere, non secus ac si illic existerent.

Licèt hic Author loquatur generaliter de Spiritibus, videtur tamen isto modo loquendi agere potiùs de Spiritibus hominum defunctorum quàm de aliis Spiritibus. Contrà verò, quotidiana quatuor librorum explicatio tom. 2. ad eumdem locum videtur tantùm agere de Spiritu destruente ac producente. Unde sic dicit: Tunc tantùm animadvertis subtilem illam ac perfectã *Quey xin*, nempe Spiritûs destruentis ac producentis speciem, totum spatium complentem ac commoventem, perinde omninò ac si suprà adesset; quique suprà adest, est *Quey xin*, seu Spiritus destruens ac producens perinde omninò ac si à dextris & à sinistris adesset; quique à dextris & à sinistris adest, est Spiritus destruens ac producens *Quey xin*. Si enim non ageret hîc de hoc solo Spiritu destruente ac producente, sibi ipsi contradiceret; quia numero 1. litterâ A suprà in hoc Paragrapho, agens de Spiritibus hominum defunctorum, dicit quòd verè aut realiter illic non adsint, dum illis fit Parentalis Ceremonia *cy*, sic: *Illic verè non adsunt*. Vide suprà E. 6.

E. 6. Lib. Carm. tom. *Cheu tsum*, odâ *Ngo ciam*: Hanc capram (vel ovem) ac vitulum affero & offero. Illud autem Cælum ad ejus dextram adstat, (id est, inquit Interpres *Chu hi*, annon penè Cælum descendit, & ad hujus vituli ovisque dextram adstat? non enim audet id certò asserere). Transmissas à Parente *Ven uam* regiminis leges sequor atque imitor, ut totum Imperium quotidiana pace ac tranquillitate impleam. Hoc autem beat Parentem *Ven uam*, & ad dexteram existens munus gratum habet. Id est, inquit idem Interpres *Chu hi*, dum ego sequor atque imitor Parentis mei *Ven uam* leges ac Ritus ad pacandum totum Imperium, hoc potest beare Parentem *Ven uam*. Dum dicitur: *descendit, & hic ad dexteram existens gratum munus habet*, istud est quasi cerneretur omninò ita esse.

Ibidem compendiosa Interp. compilatio sic: Nunc sub finem Autumni hanc ovem (vel agnum), & hunc vitulum affero ac præsento. Verè ego tota mente ad te, cæli Domine, pertingens hæc defero, ut patefaciam erga superiorem, meam submissionem. Annon tu, Cælum, quasi descendens ad dexteram hujus ovis adstas? hic est enim ingens meorum votorum ardor. Paucisque interjectis sic: Transmissas ad Posteros à Parente meo *Ven vam* regiminis leges ac normam ego sequor & imitor; nec ausim illas transgredi aut oblivisci. Ut ergo ego imiter Parentis mei *Ven uam* leges, omnésque Imperii populos assidue tranquillem, verè tota mente hæc præsento, iterúmque aliàs præsentabo. Hoc autem cùm possit beare Parentem *Ven uam*, annon *penè* descendit, & hîc ad dexteram existit, ut gratum munus habeat? hæc est ingens meorum gaudiorum summa. Et paulò pòst: Dum Interpres ait: (nempe *Chu hi* hîc suprà) *non audet id certò asserere, & istud est quasi cerneretur omninò ita esse*, vult dicere istius odæ verba hac in re non esse strictè, & ut sonant, accipienda, sive non opus ita accipi.

F. 7. Lib. Sentent. art. 3. sic Interpres *Chu hi*, citans Doctorem *Fan*: Dum dicitur: postquam vir Sapiens, qui Majoribus Defunctis meditatur facere Ceremoniam *cy*, præmisit septem dies diffusæ in exteriori abstinentiæ, & tres absolutæ in interiori, tunc ii, quibus facturus est Ceremoniam *cy*, se velut spectabiles reddunt: id significat summam illius sinceritatem ac veritatem. Quocircà dum litando Cælo seu

cæli

cæli Domino, dicitur cæli Spiritus appellere ; & faciendo Parentalem Ceremoniam *cy* Majoribus defunctis, dicuntur hominum Spiritus illam excipere, seu gratam habere, id totum ex nobis ipsis ad illos attingendos provenit ; si enim adsit cordis sinceritas ac veritas, adest Spiritus : Si non adsit, non adest. Numquid ergo id attentè & diligenter agendum est? nempe actus intellectûs hominis istud opus agentis adest, vel non adest.

G. 8. Lib. Immutab. Medii art. 16. Interpres *Tsay hiu chay* in suo libro *Su xu mum yu* tom. 3. sic: Petes : Postquam à multo tempore Majores obierunt, quamvis Posteri totum suum spiritum, omnésque animi sui vires exhauriant ; enimverò quî fieri possit, ut illi veniant & appellant?

Respondeo. Quamvis Majores tui non ampliùs existant, tu tamen adhuc existis ; hinc ergo Majorum tuorum Spiritus planè existit. Et eadem est ratio pro aliis externis Spiritibus, dum illis fit Ceremonia *cy*; generatim enim est unus tantùm spiritualis aura, & hujus auræ principium est etiam tantùm una ratio, quæ dum juxta suam quæque speciem distribuitur (nempe ratio divina prout creaturis participatur), animus mutuam habet cum hac connexionem ; dúmque animus mutuam cum hac veritatem habet, Spiritus mutuò appellit (nempe Spiritus repræsentatus & repræsentans). Plantis inest radix ; homo pro radice habet animum. Dum facio Ceremoniam *cy* Majoribus defunctis, non liquet illos verè eam gratam habere seu accipere ; sed si hominis radix abscindatur, fieri non potest, ut tunc homo diu conservetur ac persistat ; alioquin erit tantùm vanus & inanis homo, ac frustra vivens. Idcirco Rex, qui Ceremonias *cy* parvi pendit, certo discrimini suum Regnum exponit.

H. 9. Vide hîc suprà num. 6. litterâ E. in fine.

Paragraphus IV.

De Advocatione & appulsu Spiritûs.

RESpondeo & dico : Dum Sinæ faciendo Parentales Ceremonias rogant Spiritum, ut descendat in ligneam Tabellam ; dum

52

dicunt: Excipere Spiritum, deducere Spiritum, Musicæ concentum edere cogitando de Spiritûs adventu, Spiritum venire, appellere, munus excipere, &c. (A), hæc & similia verba videntur significare potiùs solam quamdam affectûs interni, & reverentiæ externæ demonstrationem, quàm veram volendi rationem, & realem Spiritûs appulsum.

Probatur. Iste modus loquendi *Spiritus venit, advenit, appellit*, &c. idem est juxta Sinas ac dicere: *Efformare illum hominem* (nempe Defunctum) *quem mente recolo ac cogito*; sive, ut habet textus originalis, *efformare conceptum*, (B). Ergo non realem, sed intentionalem Spiritûs appulsum intelligunt; videlicet ita sincerè ac vividè sibi repræsentant Defunctum, ut claram ejus imaginem in mente efforment; hócque vocant Spiritûs appulsum. Unde dum Musicæ concentu faciunt denuntiationem cogitando Spiritûs adventum, dicunt: Ita ut istum sonitum *penè* audiat, veniat, appellat, munus gratum habeat, aut excipiat (C). Istud adverbium *penè* satis indicat eos non credere quòd Spiritus *verè* sonitum audiat, *verè* veniat, appellat, munus excipiat. Pari modo dum Parentans dicit: *Respice, ô Ave, istam Parentationem*; his verbis, inquiunt, enixè commendat suum affectum, ut Spiritus seu Defunctus id, quod præsentat, *penè* respiciat (D). Non ergo Spiritus physicè appellit; sed Parentans recolit tantùm Parentum habitationem, verba, risum, vota, desideria; eos sibi in mente repræsentat, perinde ac si illos adhuc videret & audiret; sed quod videt & audit, inquiunt, non existit, seu non adest; id enim ex solo conceptu proficiscitur (E). Sed si istud ex solo conceptu proficiscatur, producitur ergo tantùm actus intellectûs, quo Defunctus repræsentatur; ac proinde Defunctus non physicè, sed intentionaliter tantùm advenit. Nec potest etiam dici advenire præsentia invisibili physicâ; alioquin falsum esset efformari tantùm conceptum, aut id, quod non adest, ex solo conceptu proficisci.

Deinde ut adhuc clariùs pateat ejusmodi verba esse solos modos loquendi Rhetoricos vel Poëticos, etiam ligneam Defuncti Tabellam rogant, ut dignetur exire, & venire ad medium Aulæ pro Ceremonia ei exhibenda (F); sic & Defuncti sepulchro verba faciunt, illíque suam mentem annuntiant (G); cùm tamen probè sciant nec Tabellam posse ex se venire, nec sepulchrum audire.

Itaque

Itaque videtur ex his ſatis colligi prædictos modos loquendi non ad phyſicam Spiritûs præſentiam, ſed ad mentalem ejus repræſentationem tantùm referendos; præſertim cùm ea, quæ objiciuntur pro iſta præſentia vel appulſu Spirituum ſeu Defunctorum, ferè ſint vel verſus libri Carminum, vel alii, qui olim & nunc quandoque decantantur à Muſicis, dum fit Ceremonia *cy*. In ejuſmodi verſibus, vel phraſibus, ut quiſque novit, major eſt dicendi licentia.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. Rit. domeſt. tom. 7. in Ceremonia *cy*, quam gloſſator *Tam* ſub Veris initium poſſe fieri priſcis ultra quatuor generationes Avis aſſerit, (quamvis alius Author ibidem id neget), ſic lector: Nepos obſequioſus N. cum velit priſcis Avis N. N. obſequia deferre, audet rogare venerandam Mentem, ut deſcendens ſit in Spiritûs ſeu Defuncti ſigno ad exhibendam ei reverentiam, & munus præbendum. Vide de hac Ceremonia *cy* in præced. Quæſt. 3. §. 3. num. 8. ubi refertur eam non fieri; & ibi habetur ejus formula.

A. 2. Lib. Annal. Imperial. tom. 1. Cap. *Te cie*, Regius Miniſter *Quei* ſic: In ipſa aula ita pulſandum eſt inſtrumentum muſicum *Mim kieu*, ut cum cithara ac cymbalo conſonet ad concentum perficiendum, cogitando Majorum Defunctorum adventum.

B. 3. Lib. Carm. tom. *Xam tſum*, odâ *Na*, agendo de Parentali Ceremonia, quæ Imperatori *Chim Tam* fiebat, ſic: Ego Imperatoris *Tam* Nepos ter iterato Muſicæ concentu accedo ad Avum, atque *efformato conceptu* ille me tranquillat. Rurſus in ſequenti oda de efformando conceptu, idem repetitur.

Tum ibi compendioſa Interp. compilatio ſic: Parentans hoc Muſicæ concentu vult facere vociferationem & denuntiationem cælum inter & terram, ut eum *penè* audiat, veniat, appellat, munus gratum habeat aut excipiat (nempe Spiritus.) Ibidem Interpres *Chu hi* ſic: *mihi pacem ac tranquillitatem*, inquit Doctor *Chim*, *afferre, efformato illo homine quem mente recolo ſeu cogito*, eſt id, quod dicitur: *intelligens Spiritus venit, advenit, appellit*; uti liber Rituum habet

his verbis: Parentaturus intra dies abstinentiæ quam præmittit, recolit defunctorum Parentum habitationem, risum, verba, voluntatem, mentem; recolit id, quo delectabantur, quódque appetebant; atque ita post tres abstinentiæ dies, ii, propter quos abstinentiam præmisit, videntur sibi esse spectabiles atque præsentes. ipso Ceremoniæ *cy* die, statim atque Parentale conclave ingressus est, tamquam effigie expressum sibi videtur Parentem in suo Signo, seu in Tabella lignea extantem videre. Dum ad portam circumit, videtur sibi audire Parentis tamquam gravitate verendi ac sese moventis strepitum. Dum portâ egressus auscultat, videtur sibi audire Parentis tamquam singultu oppressi ac profundè gementis vocem. Hæc significant *conceptum efformare.* Deinde Doctor *Su* ait: Id quod Parentans videt & audit, non existit; à solo conceptu id progignitur. Hæ duæ explicationes (pergit Doctor *Chu hi*) mihi videntur verisimiles; quia dum in facienda abstinentia cogitatur seu mente recolitur is, cui facienda sunt Parentalia; dúmque ei ita fiunt, non secus ac si ipse videretur & audiretur, tunc certè efformatur homo, nempe in mente, non realiter. Item in fine ejusdem odæ *Na*, sic: Respice istam, (nempe hiemalem vel autumnalem) quam tuus Nepos, ô Ave *Tam*, tibi facit Parentationem. Ad quem locum sic Interpres *Chu hi*: Imperatoris *Tam* Nepos his verbis enixè commendat suum affectum, ut Spiritus seu Defunctus *penè* id, quod præsentat, respiciat.

B. 4. Lib. Carm. tom. *Xam tsum*, odâ *Lie tsu* sic: Eheu! ob tuam præclaram tum virtutem, tum gesta adeptus Imperium, habuisti, Noster Ave, hanc perennem, quam Posteris in perpetuum potuisti transmittere, sceptri felicitatem; ideóque nunc ad hunc tuæ Parentalis domûs locum licet accedere. Hoc mundum vinum scypho infusum mihi dat *efformare eum, quem mente recolo, hominem.* Et paulò pòst: Cùm ego tam vastum exceperim Imperium, & insuper Cælum uberrimâ anni prosperitate me donârit, (ut possim nempe tibi Ceremoniam *cy* facere), te veniente & munus gratum habente, erit mihi transmissa sine fine felicitas.

C. 5. Vide hìc suprà num. 3. litterâ B. circa medium.

D. 6. Vide hìc suprà num. 3. litterâ B. in fine.

E. 7. Vi-

E. 7. Vide hîc suprà num. 3. litterâ B. paulò ante finem.

F. 8. Lib. Rit. Domest. tom. 6. in deponenda triennalis luctûs veste, sic Lector: Obsequiosus filius N. reverenter Ceremoniam cy facturus ad deponendam lugubrem vestem, audet rogare Patris defuncti Tabellam, ut exeat & veniat ad medium aulæ. Quibus dictis, accipitur & defertur ista lignea Tabella.

F. 9. Lib. Rit Domestic. tom. 7. in ordinaria quatuor anni tempestatum Ceremonia cy, uti & in aliis, sic dicitur: Obsequiosus filius N. nunc hoc Vere, (Æstate, Autumno &c.) cùm velit defunctis Majoribus consuetum obsequium præstare; audet rogare Spiritûs seu Defuncti Tabellam ut exeat (nempe ex arcula, in qua reconditur), & veniat in medium aulæ ad reverentiam ei exhibendam, munúsque præbendum.

G. 10. Lib. Rit. Domest. tom. 7. ad sepulturam, Ceremoniæ cy formula, sic: Hoc anno &c. obsequiosus filius N. (vel nepos, pronepos &c.) palam audet Parentis N. Præfecti N. domûs seu Familiæ Domini sepulchro hæc dicere: anni ordo &c. Vide suprà præced. Quæst 3. §. 3. num. 16. littera P.

Paragraphus V.
De collectione Spiritûs dissipati, seu vitæ dissipatæ.

Respondeo & dico: Cùm juxta recentes Sinas in morte hominis pereat & esse desinat Anima, vel potiùs vitalis aura seu vis vivificans, uti suprà dixi in hac Quæst. 4. §. 2. quasi videtur frustra hîc quæri, utrùm adhuc illa colligatur, reuniatur, & redeat ad Parentalem Ceremoniam cy; Quod enim jam est destructum & desiit, quomodo potest naturaliter reuniri, ac reviviscere? hócque clarè negat quidam Author Sinicus sic: *Postquam vitalis Parentum vel Avorum aura semel destructa est, seu vita dissipata est, hanc posse adhuc aliquando colligi, omninò repugnat* (A). *Et alius sic: Cum Parentantes sint istorum* (*Defunctorum*) *nepotes, certè sunt unus idémque Spiritus, seu una eadémque vitalis aura cum iis*, (id est, habent

habent camdem vitam ab illis in se propagatam,) *ideóque datur communis motus; sed id, quod dissipatum est, non denuò colligitur aut reunitur* (B).

Si autem dicas Animam quidem, seu vitalem auram perire ac desinere in morte hominis; sed pereundo resolui in aërem tenuissimum materialem, & hunc posteà motione Sympathica, quæ inter Parentantem & Defuncti aërem seu Spiritum intercedit, rursus colligi, reuniri, & ad Parentalem Ceremoniam *cy* reipsa accedere:

Ad hoc sic Respondeo: præterquàm quòd ista ridicula sympathica motio sit figmentum & phantasma Europæum, de qua nihil in libris Sinicis, dico primò jam probatum fuisse suprà in hac Quæst. 4. §. 2. Animam post mortem juxta Sinas non converti aut resolvi in aërem tenuissimum materialem. Deinde dico secundò, Sinas non sympathiam, sed relationem ponere inter Parentantem & Defunctum, sive inter vitalem Posterorum viventium auram vel vitam quæ persistit, & inter vitalem Parentum defunctorum auram vel vitam quæ desiit. Dúmque Posteri colligunt suam vitalem auram sive vitales suos Spiritus à Progenitoribus acceptos, & in mente sibi repræsentant vitalem Parentum defunctorum auram seu vitam quæ desiit, dicuntur habere communicationem cum vitali Parentum defunctorum aura, vel potiûs (ut suprà dixi in hac Quæst. 4. §. 2. num. 7. litterâ F.) cum causa vitalis Parentum auræ; túncque dicitur vitalis Parentum defunctorum aura colligi; id est, uno verbo, Posteri ejusdem stirpis simul congregantur, colligunt suum animum, & in mente sibi repræsentant Parentes defunctos (C).

Iste modus loquendi, *colligere Spiritum dissipatum*, videtur dumtaxat fundari in duobus symbolis ænigmaticis libri classici *Ye kim*, altero dicto *Tsuy*, id est, *colligere, collectio, unio*; & altero dicto *Huon*, id est, *dissipari, divisio, dissipatio*. Jam verò Sinæ omnia istius libri *Ye kim* symbola ænigmatica reducunt ad sensum allegoricum, ac proinde ea, quæ dicuntur de colligendo Parentum defunctorum Spiritu, videntur reduci ad talem sensum, seu ad solam mentalem Parentantis operationem, non ad realem Spiritûs, vel aëris collectionem.

Probatur ex ipso loquendi modo quem tenent Sinæ in suis libris; sic enim dicunt: Imperator ubi totum suum spiritum ac mentem collegit, tunc potest adire Parentale ædificium, ut dissipatum Majorum

rum

rum Spiritum animi motu revocet ac reuniat (D); (nempe illum sibi in mente repræsentando velut pristino corpori reunitum) & ut illorum virtutes ac gesta celebret, atque coram illis se ipsum sistat, perinde ac si illic adessent (ergo non adsunt); atque ita illorum Spiritus habet quo nitatur seu repræsentetur, nec eò devenit, ut omninò dissipetur (E). Item illud adit, ut colligendo totum suum spiritum ac mentem habeat cum Defunctorum Spiritu communicationem, quasi sursum aut deorsum, dextrorsum aut sinistrorsum illos videret magnifica specie spectabiles (F). Unde ut ostendat suam sinceritatem, verum sui animi affectum, rei præsentatæ æquitatem, pro Parentatione specialis magnitudinis animal assumit (F). Cúmque vita seu vitalis aura liberorum ac nepotum à Parentibus transmissa, sit ejusdem speciei cum vitali defunctorum Parentum aura: mutuam ergo habet communicationem, ideóque dicitur Spiritus munus excipere (G). Si autem Parentans non colligat suum animum, eccui rei innitetur ad explendum suis defunctis Avis cultum, & ad explendam totam suæ filialis observantiæ mentem (H)? Quia Vivorum ac Mortuornm diversa est conditio & status, ideò eriguntur Parentalia ædificia ad colendos Defunctos, ut sic Mortui, ac Vivi mutuam inter se habeant communicationem, & illorum divisio seu separatio uniatur; ad faciendam autem hanc divisionis seu separationis unionem, homo animum suum colligit. Facere enim divisionis seu separationis unionem, consistit in animo hominis colligendo; colligere verò hominis animum, consistit in efficiendo, ut cognoscat à quo res suum trahant principium. Mundi res à Cælo, homines ab Avis suum trahunt principium. Homo cognoscendo Cælum, tunc ob reverentiam quam animo gerit, non audet inferior offendere superiorem; cognoscendo Avos, tunc ob amorem, quem animo gerit, non sustinet mortuos fastidire, derelinquere, atque eos, ex quibus vitam hausit, oblivisci. Atque hæc est maxima ac præcipua pars spiritualis viæ, quam vir sapiens in proponenda ritè vivendi atque regendi disciplina tenere debet (I).

Hæc pauca satis ostendunt quòd colligere defunctorum Parentum Spiritum, non sit colligere aliquem tenuem materialem aërem in quem anteà ille resolutus ac dissipatus fuerat; sed sit mente colligere præteritam illam vitalem auram qua olim Parentes vivebant, & quæ nunc

nunc dissipata est; seu Parentum animam, quæ juxta illos interiit, sibi in mente objicere tamquam rursus suo corpori unitam, atque ita utrumque colere.

Textus Librorum.

A. Lib. *Su xu mum yn* tom. 5. in Libr. sentent. artic. 3. sic: Postquam vitalis &c. ut suprà in contextu.

B. 2. Lib. *Sim li ta cuen* tom. 28. sic Doctor *Chu hi*: Cùm Parentantes sint &c. ut suprà in contextu.

C. 3. Lib. *Kia li*, seu Rituum Domestic. recèns impressus anno 1701. tom. 7. de Parentationis Ritibus erga priscos Avos sic: si fieret Ceremonia *cy* in diversis locis, (scilicet si aliqui Posteri aut Nepotes in uno loco, alii in alio eam facerent), tunc difficulter colligerentur seu unirentur hominum corda in ratione filialis observantiæ, & Parentalium munerum.

Ibidem paulò infrà sic: Dum tota Parentela simul facit suis Majoribus defunctis Ceremoniam *cy*, est id, quo Viventes simul colliguntur, aut adunantur.

Vide etiam hic infrà num. 6. litterâ F.

D. 4. Lib. mutat. ac product. in symbolo *Tsuy*, vera hujus libri explicatio tom. 12. sic: Imperator ubi priùs totum suum spiritum ac mentem collegit, tunc potest adire Parentale palatium ad faciendam Ceremoniam *cy*, ut vitalem Majorum defunctorum auram dissipatam animi motu revocet ac reuniat; scilicet actu intellectûs revocat in memoriam &c.

E. 5. Lib. mutat. ac product. in symbolo *Huon*, quotidiana explicatio tom. 13. sic: Tempore dissipationis seu divisionis, quia novem Parentalia (tot nempe habebant Imperatores) tremunt ac pavent; Imperator debet illa adire, filiali observantia munera præsentando, ad colligendum perfectum defunctorum Majorum Spiritum, ita ut dissipati spiritûs intelligentia suam tranquillitatem recipiat. Et paulò pòst: Hæc dissipatio duplicem continet sensum: Primus est; quia populi sunt dissipati, ac mente divisi, ideò Imperator, ut ostendat quòd velit eos colligere, adit Parentale ædificium; &c.

Nota

Nota: hinc videtur colligi cur ista Parentalia palatia dicantur tremere ac pavere; nempè nè intestinis populorum tumultibus evertantur, ac totum Imperium ruat. Quando huic malo occurritur, Majores defuncti in suis Posteris, vel potiùs ipse Posterorum spiritus suam tranquillitatem recuperat.

Deinde ibidem sic paulò pòst: Dum textus ait: *Imperator adit Parentale palatium*; illud non fit ad vanum splendorem ac pompam; sed illo divisionis tempore cùm perfectus Majorum Spiritus sit dissipatus ac perditus, Imperator totum suum perfectum spiritum ac mentem colligit; & ad Parentale Majorum palatium veniens, dum hinc extollit præclaram illorum regiminis rectæque disciplinæ normam, illinc ostendit pristinum illorum erga suos populos affectum, ita coram illis se sistit *perinde ac si illic adessent*; atque hoc modo perfectus Majorum defunctorum Spiritus habet quo nitatur, nec eò devenit, ut omninò dissipetur.

F. 6. Lib. mutat. ac product. in symbolo *Tsuy*, quotidiana explicacatio tom. 10. sic: Imperator collectionis tempore, utique Parentale suorum Majorum Palatium adit; (nempe colligendo suum spiritum ac mentem); colligere totum suum perfectum spiritum ac mentem ad habendam cum perfecto Majorum defunctorum Spiritu communicationem, ita ut sursum & deorsum, dextrorsum & sinistrorsum quasi illos videret magnifica specie velut spectabiles, illud est debita diligendi Parentes norma. Et paulò pòst: Adeundi Parentalis palatii scopus, est ad habendam cum Spiritu communicationem; sed si Ritus accuratè non serventur, Spiritus id gratum non habebit. Idcircò adhibendum est animal specialis magnitudinis, explendo tum sui animi affectum, tum præsentatæ rei æquitatem ad prodendam suam sinceritatem; atque id est, quo Spiritûs adventus attingitur.

G. 7. Lib. Carm. tom. *Xam tsum*, odâ *Na*, sic compendiosa Interpr. compilatio: Illa eadem inter Avos ac Nepotes vitalis aura intercedens mutuam habet communicationem. Quî sanè Spiritus munus non excipiat, quasi non esset ejusdem speciei ac conditionis?

H. 8. Lib. mutat. ac product. in symbolo *Tsuy* vera hujus Libri explicatio tom 12. sic: Si Imperator accedens ad Parentale palatium non collegerit suum spiritum ac mentem, eccui rei innitetur ad præbendum suis Avis servitium ac cultum? Deinde ibidem sic: Dum textus dicit, *Imperator adit Parentale palatium*, id significat, quòd Imperator ante Ceremoniam cy suum perfectum spiritum ac mentem colligat; idcircò adeundo Parentale palatium ad peragendum Parentationis Ritum, est id, quo suam filialis observantiæ mentem ac recordationem prodit.

I. 9. Lib. mutat. ac product. in symbolo *Huon*, vera hujus Libri explicatio tom. 12. sic: Prisci Imperatores Mundi res à Cælo, homines ab Avis suum trahere principium asserebant. Hoc autem & vir pius, & filius obsequiosus magni faciunt. Diversum tum Cæli, tum hominis est officium; & hoc vocatur eorum divisio, seu separatio. Dum suburbanus terræ agger aditur ad litandum cæli Domino, tunc Cælum & homo mutuam inter se habent communicationem; & sic eorum divisio seu separatio venit ad unionem, seu illi divisi uniuntur Deinde mortuorum & vivorum via, status, conditio est etiam diversa; & hoc vocatur eorum separatio, seu divisio. Dum Parentalia ædificia eriguntur ad præbenda Defunctis obsequia, tunc mortui & vivi mutuam inter se habent communicationem; & sic eorum divisio seu separatio venit ad unionem, seu illi divisi uniuntur; atque in his consistit præcipuum componendæ divisionis seu separationis munus. Dein sic: Libare cæli Domino séque cæli Spiritui unire, sicuti & erigere Parentalia ædificia, mutuámque cum Defunctis Majoribus habere communicationem, est id, quo homo suum spiritum ac mentem colligit ad uniendas res divisas, seu ad faciendam divisionis ac separationis unionem. Divisionis tempore hominis cor est dissipatum; libare autem cæli Domino, & erigere Parentalia ædificia, ad ostendendum in Imperio haberi Dominum, est verè id, quod dat homini maximam colligendi sui cordis occasionem. Rursus paulò infrà sic: Facere divisionis seu separationis unionem, consistit in animo hominis colligendo &c. ut suprà in contextu.

Para-

Paragraphus VI.

De viva Defunctorum recordatione ac repræsentatione.

EX iis, quæ in hac Quæstione dicta sunt, colligitur totam illam Parentalium Rituum pompam penè in hoc tantummodò consistere, videlicet ut filius Parentans ita suum erga defunctos Parentes affectum, reverentiam, sinceritatem expleat quasi essent præsentes & quasi præsentia illorum jussa deberet capessere (A); in quo enim tota Parentalis Ceremonia *cy* fundatur, sunt hæ quatuor virtutes, veritas, sinceritas, rectitudo, reverentia (B). His quatuor virtutibus suam longè recordationem extendit Parentans (C), totámque suam cogitationem ac mentem explet (D). Atque ita omnia ista Parentalia obsequia ad vivam Defunctorum recordationem referuntur.

Textus Librorum.

A 1. Lib. Rit. tom. 8. Cap. 24. *Cy y* sic: Filius obsequiosus dum Parentalem facit Ceremoniam *cy*, ita omnem cordis sui affectum intendit, ut etiam se foris prodat; & ita omnem internam suam sinceritatem ac reverentiam explet, ut simul exteriùs reluceat. Omnes Ritus absque ulla transgressione servat; sive accedat, sive recedat, semper ita se reverentem præstat, perinde ac si ipse esset auditurus Parentum jussa, aut fortè illi aliquid sibi essent præcepturi.

B. 2. Lib. Rit. tom. 8. cap. 25. *Cy tum* sic Interpres *Chin hao*: Veritas, sinceritas, fidelitas, reverentia, hæ quatuor virtutes sunt id, in quo fundatur Parentalis Ceremonia *cy*.

C. 3. Lib. Sentent. art. 20. sic: Quæ autem Imperator *Vu vam* maximè cordi habuit pro suis populis, sunt hæc tria: Alimenta, funera, Parentales Ceremoniæ *cy*. Alimenta, inquit quotidiana quatuor librorum explicatio tom. 12., uti & Interpres *Cham kiu chim* eo-

tomo, sunt ad alendos vivos; funera ad sepeliendos mortuos; Parentales Ceremoniæ *cy* ad extendendam longè suam recordationem.

D. 4. Lib. serm. domest. art. 8. *Chi su*, sic Confucius: Quod attinet ad filialem mei discipuli *Ten* (alio nomine *Tsu lu*) erga suos Parentes observantiam, dici potest vivis inserviendo, omnes suas vires; mortuis inserviendo, omnem suam mentem seu cogitationem explevisse. Dein Interpres sic: Laudat, inquit, filialem ejus observantiam.

Paragraphus VII.

Celebris Doctoris *Tsay hiu chay* sententia circa hos defunctorum Parentum Ritus.

Circa has Parentales defunctorum Parentum Ceremonias controversas, juvat hîc apponere ad longum sententiam cujusdam Doctoris Sinici, libris, fama & Magistratu in China celebris, cognomine *Tsay*, nomine *Hiu chay*. Hic jam ab annis 190. circiter, quo tempore vivebat, penè totam istam controversiam resolvit in interpretatione libri Sententiarum, ad locum in quo dicitur Confucius solitus facere Ceremoniam *cy* Defunctis, tamquam si adfuissent. In suo ergo libro, dicto *Su xu mum yn* tom. 5. sic ait: Quæres: dum quis vero ac sincero filialis animi affectu facit Ceremoniam *cy* Majoribus suis defunctis; veréne illuc Avi adveniunt, ac munus gratum habent?

Respondeo: res difficilis explicatu. Videntur præteriti Doctores id singillatim discussisse. Quod autem ad me attinet, judico istud maximè consistere in sola filiorum ac nepotum, affectum suum reprimere non valentium cogitatione ac mente. Vitalis quidem cæli, terræ, montium, fluminum, agrorum, frugum aura, Sinicè *Ki*, quæ numquam ab omni ævo destruitur (nempe vivens Spiritus), dum dicitur Ceremoniam *cy* quæ ei fit, mox gratam habere, hoc sanè verum est; sed quod ad hominem attinet, cùm moriendo ejus anima in Cælum, & corpus in terram revertatur, post destructionem omninò perit ac desinit.

definit. Siqua enim anima adeò firmiter conjungatur, ut non destruatur, portentum résque monstrosa, aut malefici lemures, aut aliquid extra cursum ordinarium id esse censetur. Dubitari quidem non potest, quin vitalis Parentum aura, in liberorum ac Nepotum corporibus transfusa, etiam post mille annos, adhuc continuetur; sed postquam vitalis Parentum & Avorum aura semel destructa est, tunc posse adhuc aliquando colligi, omninò repugnat. Quod dicitur: *præteritum abiit, & futurum continuatur*, hoc intelligitur de cæli ac terræ Causa efficiente. Si enim ille dissipatus aër, quando fit Parentalis Ceremonia *cy*, statim colligeretur; ergo Defunctorum aër seu vitalis aura adhuc occultè in mundo degeret; & qui in mundo assiduè itque reditque, esset tantùm ille modicus ac tenuissimus aër; adeóque nostri Doctores non deberent Sectam *Fœ* falsitatis omninò condemnare. Porrò id, per quod homo constituitur in esse hominis, est quia ejus animus à bestiis est diversus. Jam verò si vel ipsi Lupi ac Lutræ nôrunt grati esse erga suos Authores; an fortè homo non debebit omni tempore suos Majores mente recolere? dum autem illos mente recolit, mox vero affectu perinde ac si existerent aut adstarent, eos prosequitur; & illa Parentalium domuum erectio, illæ Ceremoniæ *cy* leges, illi abstinentiæ Ritus tantùm ex hoc affectu sese cohibere non valente provenerunt. Quis sanè possit efficere, ut reverà illi veniant & gratam habeant Ceremoniam *cy*, vel non? Prisci quidem dicunt: Parentalis domûs Ceremoniam *cy* gratam habent aut excipiunt Spiritus seu Defuncti; præteriti Imperatores libabant cæli Domino, & erigebant Parentales domos ad colligendum id quod est dissipatum; & multa alia ejusmodi, quæ certè in aliqua ratione fundantur. Sed si ista bene perpendantur ac profundè discutiantur, est id, quod dixi, & illorum primitiva institutio fuit fortè satis æquitati consentanea.

Hæc tamen solis viris rectis, ac filiis obsequiosis, non illis avaris mundi sequacibus communicanda censebam, veritus, ne fortè Priscos offenderem; (nempe dum isti avari hinc occasionem arriperent defunctos Parentes non ampliùs colendi). Posteà tamen à plurimis gravibus ac peritis viris, qui varias mihi difficultates objecerunt, requisitus, hanc tandem meam sententiam, donec aliquid rectius afferatur, expromendam judicavi. Denique si intimè ac profundè res discutiatur, defunctorum Majorum aër aut vitalis aura re ipsa omninò desiit,

fiit ac periit; quòd illi non moriantur, id tantùm facit tum viri recti, tum filii obsequiosi mens seu animus, nempe intellectûs repræsentatio. Et verò numquid id asserunt præteriti Doctores, dum dicunt: si adsit animi veritas ac sinceritas, adest spiritus; si non adsit, non adest? id ipsum sanè est. Sed dices: siquis suum cor dumtaxat conservet, filiali affectu Parentes recordetur, sectandæ virtuti verè se applicet ut illos probro non afficiat; hæc sufficient ad veram filialis observantiæ essentiam; ad quid igitur necesse est istum vanum futilémque Rituum, ac Ceremoniarum apparatum adhibere?

Respondeo id fieri ob Parentantis affectum sese cohibere non valentem. Si quis enim commiserationis sensu caret, hic jam non est homo; cùm ergo homo habeat naturalem illum commiserantis animi affectum, oportet ut externos illos Ritus servet; alioquin non præstaret lupis ac lutris. Deinde cùm viri sapientes sint populis perfectionis exemplar, ac disciplinæ norma: quomodo possunt permittere, ut hominis agendi modus sit idem cum bove & equo? imò non tantùm defunctorum hominum Parentales Ceremoniæ juvant ad patefaciendum interiorem animi affectum; sed etiam illæ, quæ Spiritui cæli, terræ, montium, fluminum fiunt, etiam hunc sensum magna ex parte continent. Ad litandum enim Cælo, unicus tantùm tener vitulus adhibetur; si igitur cæli Spiritus verè veniat & libamen excipiat, quî sanè sufficiat unicus tener vitulus ad cæli Spiritûs mensam? an non potiùs illud etiam fit ad patefaciendum verum animi sui affectum? qui hæc scit, facilè potest de ceteris Ritibus ferre judicium.

Itaque ex hujus Doctoris sententia, sequentia collige:

Primò, Defunctorum Spiritus seu Animæ, utpote quæ evanuerunt, interierunt aut jam esse desierunt, verè & realiter ad Parentalem Ceremoniam *cy* non adveniunt.

Secundò, Defunctorum Spiritus seu vitalis aura, postquam semel periit, seu destructa aut dissipata est, non potest ampliùs posteà colligi aut coadunari, dum fit illis Parentalis Ceremonia *cy*.

Tertiò, isti Parentales Ritus servantur ad patefaciendum interiorem animi sui affectum, & innatum commiserationis sensum homini proprium, referuntúrque ad intentionalem mentis operationem, non ad realem Animarum præsentiam.

Quar-

Quartò denique, omnes istæ Parentales leges sancitæ sunt, ut hominis agendi modus non sit idem cum bestiis, quæ nesciunt filiali affectu mortuos Parentes recolere.

Unde vides hunc Doctorem non pauca, quæ in aliis Authoribus interdum paulò obscuriora reperiuntur, ita claris & apertis verbis explicuisse, ut possint validè ea, quæ variis rationibus & librorum textibus jam suprà stabilivimus, omninò confirmare. Sed quemadmodum Sinensis Imperatoris *Kam hi* nunc regnantis, qui non tantùm est rei litterariæ Caput, legum suarum Judex, Rituum Interpres, sed etiam plures sui Imperii libros classicos vel ipse interpretatus est, vel saltem eorum interpretationem à peritissimis Magistris excepit, authentico testimonio primum Tractatum finivimus, ita etiam hunc secundum ejusdem verbis, declarationibus, decretis juridicè intimatis concludamus. Itaque

Paragraphus VIII.

Authentica Imperatoris Tartaro-Sinici & quorumdam aliorum Testimonia circa parentales Defunctorum Ritus.

Quamvis Imperator Sinensis in decreto anni 1700. quod suprà retuli & ad calcem primi Tractatûs apposui, jam authenticè declaravisset hæc sequentia Rituum capita, quæ maximè in controversiam vocabantur: *Primò*, cultum exhiberi Confucio non ad petenda ab eo bona, ingenium, dignitates, sed dumtaxat ob præclara, quæ ut Sinarum Magister reliquit, vitæ documenta; *Secundò*, Parentalem Ceremoniam *cy*, quæ fit defunctis Majoribus, non intelligi de postulatione alicujus auxilii, sed solùm eam fieri ad testandam filialis observantiæ, quâ Posteri Parentes defunctos recolunt, mentem; *Tertiò*, defunctorum Parentum Animas in lignea Tabella, quæ illis erigitur, non residere, sed illam Tabellam esse tantùm signum exteriùs exhibitum, quo Posteri suis Progenitoribus gratias agere, illósque diuturnâ memoriâ perinde ac si præsentes adessent, recolere possint:
Tamen

Tamen occasione Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Patriarchæ Antiocheni in Chinam appulsi, rursus voluit ista majori energia, claritate, extensione asserere, explicare, publica facere, ut jam patebit ex ejus verbis ac decretis, quæ hìc appono, & quorúm Acta authentica tum Romæ habentur sigillis munita, tum in Pekinensi ipsius Imperatoris Archivo asservantur. Sic ergo:

Primò, Imperator Sinensis annno 1706. jussit deferri ac intimari per Aulicum *Chao cham* Illustrissimo & Reverendissimò Domino Patriarchæ Antiocheno hoc Edictum, eique intimatum fuit die 5. Julii ejusdem anni 1706. coram D. Episcopo Cononensi & pluribus aliis, sic: *Mos Sinensis venerandi Tabellas* (scilicet Parentum defunctorum & Confucii) *non est ad petendam coram illis felicitatem, sed præcisè ad implendam sinceræ reverentiæ intentionem. Et mos iste in Sinis est summi momenti. Exempli gratiâ, si ego Imperator Tibi*, Chao cham, *darem meas veteres crepidas, illas reverenter collocares altiùs, quàm pileum tuum*; (nempe juxta morem Sinicum, quo palam in alto loco appenduntur ejusmodi dona); *An fortè licebit tibi coram crepidis meis petere felicitatem? Aliud sit exemplum: Nunc Patriarcha Antiochenus, quas ipsi dedi res, cum reverentia portabit. Quando pervenerit in Europam, certè eas reverenter attollet, dicens: Hæc sunt, quæ dedit mihi Imperator. Patriarcha honorando istas res, petétne ab illis felicitatem? sed cogitando res istas, sponte sua nascitur in corde talis reverentia. Ex his statim apparet radix reverentiarum & honorum.*

Posteà Imperator præcepit præfato D. Patriarchæ, ut hoc suum edictum ad summum Pontificem Romam mitteret.

Secundò, idem Imperator proprio ore, die 2. Augusti ejusdem anni 1706. coram Illustrissimo & Reverendissimo D. Episcopo Cononensi, & pluribus aliis hæc iterùm declaravit sic: *Jam pridem dixi*, Tien & Tien chu, Cælum & cæli Dominus, *idem significare. Nos honoramus Confucium tamquam nostrum Magistrum, unicè ad exhibendam ei debitam gratitudinem ratione doctrinæ, quam nobis reliquit. Coram Tabellis nec honor nec felicitas petitur. Ecce tria puncta, quæ in disputationem vocâstis: Si vobis hæc displiceant, cogitetis oportet de his terris deserendis; sique illi, qui vestram Religionem amplexi sunt, viderint vos inter vos non agere nisi dissensiones & disputationes, de ea dubitabunt; multò minùs verò alii de illa amplectenda cogitabunt.*

Tertiò,

Tertiò, non contentus Imperator hæc palam voce declarâsse; insuper eadem in suo Edicto, quod jussit eodem die 2. Augusti 1706. intimari præfato D. Episcopo Cononensi, distinctioribus adhuc verbis sic repetit: *Prætereà cùm homines, qui in vestram Legem ingressi sunt, habeant usum vocis* Kim Tien, *Confucium venerandi, coram Tabellis caput tundant, & ad sepulchra faciant actionem* cy, &c. *Ego Imperator, ut viam tibi aperirem, dixi tibi* Kim Tien, (*cole Cælum*), *id ipsum esse, ac quando in Lege vestra dicitis*, Kim tien Chu, *cole cæli Dominum*; *Nos Confucium venerari, quia fuit noster antiquus Magister; coram Tabellis caput tundere, & in sepulchris facere actionem cy, non esse ad petendam felicitatem: sed hoc totum esse ad revocandum in memoriam Defunctos, & ad implendam legem venerationis, & obedientiæ filialis, &c.*

Itaque visis tam claris, tam juridicis, tam authenticis ejusmodi authoritatis testimoniis, potéstne adhuc aliquis dubitare, an aliter istæ res controversæ se habeant?

Omitto hîc alia ejusdem Imperatoris post hanc declarationem edita decreta, quibus severè prohibet, nè Missionarii & Sinæ Christiani audeant istis Ritibus adversari, aut quidquam illis contrarium moliri sub pœna expulsionis, exilii, & ipsius mortis. Nec vana fuerunt hæc Edicta, aut panicus terror ac minæ, cùm multa jam fuerint executioni mandata, atque etiamnum mandentur; uti satis probavit multorum Missionariorum, atque ipsiusmet Patriarchæ Antiocheni è China expulsio. Horum omnium Acta authentica, ut jam dixi, Romæ & in China asservantur.

Nec mirum videri debet Imperatorem tam rigidè ista prohibere; sunt enim Ceremoniæ antiquissimis Imperii legibus sancitæ, & universali consuetudine semper receptæ: In magno legum codice, Capite *Cien xe* &c. sic habetur: *Quicumque projicit aut destruit Progenitorum Defunctorum Tabellas, non secus ac juxta legem latam in eum, qui projicit aut destruit patris vel matris cadaver, capite plectatur.*

Unde vides quanta benignitate & prudentiâ isti Ritus, modò non sint superstitiosi & illiciti, à Christianis tolerandi videantur. Quin imò ipsi Judæi, qui tantoperè abhorrere solent à superstitione seu idololatria, istos Ritus erga suos Progenitores defunctos in China non tantùm tolerant, sed etiam adhibendos positivè asserunt in lapideo monimento, compendium & elogium Mosaicæ legis continente, quod sub Imperatore *Hum chi* circa annum Christi 1487. intra Synagogam urbis *Kay fum*, metropolis provinciæ *Ho nan*, erectum fuit: in eo enim

ſculpta habentur hæc verba: *Eheu! revereri Cælum, & Avorum honorem omittere, non eſt id, quo Defunctis parentandum eſt. Vere & Autumno fiant Avis ſeu Progenitoribus defunctis Parentales Ceremoniæ cy; inſerviatur Mortuis ſicut inſerviretur Vivis; inſerviatur non exiſtentibus ſicut exiſtentibus. Et bos & capra, ſtata iſtius temporis alimenta, præſententur; nec quia Avi defuncti jam prætericrunt, illorum honor ac reverentia omittatur.*

Non repeto hîc authentica, quæ de iſtis Defunctorum Ritibus, Imperatoris frater natu major, Principes, Magnates ac Doctores *So San, Mim, T ſan gha, Cham ym, Han* dederunt teſtimonia. Ea habes ad calcem primi Tractatûs ſummatim relata, & alibi typis excuſa in libello, cui titulus: *Brevis relatio eorum, quæ ſpectant ad declarationem Sinarum Imperatoris* Kam hi *circa Cæli, Confucii, & Avorum cultum, datam anno* 1700. *Accedunt Primatum, doctiſſimorumque virorum & antiquiſſimæ traditionis teſtimonia.*

Inſuper innumera aliorum Sinarum litteratorum, qui hac ſuper re interrogati, unanimi voce & conſenſu aſſeruerunt nihil peti aut ſperari à Defunctis ſive Parentibus, ſive Confucio; nec credi eorum animas in ligneis Tabellis reſidere, & alia ejuſmodi controverſa tum circa hos Ritus, tum circa ſignificationem vocis *Tien* Cæli, & *Xam Ti* ſupremi Domini, poſſem afferre teſtimonia; ſed ea etiam videri poſſunt in impreſſo *Summario noviſſimorum teſtimoniorum Sinenſium*; ubi ex urbe Pekinenſi quadraginta, quorum octodecim ſunt Tribunalis Matheſeos Mandarini; ex urbe Nankinenſi novemdecim, ex urbe *Sum kiam* & *Kia tim* triginta tres, ex urbe *Su cheu* triginta duo, ex urbe *Cham xo* quinquaginta, ex urbe *Tay tſam* quinquaginta ſex, ex urbe *Xam hay* tredecim cum multis aliis generatim relatis, ex urbe *Nan cham* quindecim, ex urbe *Kan cheu* decem, ex provincia *Hu quam* decem, omnes hi Chriſtiani & periti, inter quos nonnulli Doctores, Licentiati ac plurimi Baccalaurei, jurejurando miſſóque Romam ad ſummum pontificem ſuo juramento præfata aſſerunt. Ibidem etiam eadem ſcripto teſtantur litterati Gentiles centum & ampliùs; & ex illis quidem quadraginta & unus, Litteratorum gradibus inſignes, ſingillatim juxta civilem obſervantiam expoſitas Confucii Ceremonias, vnanimiter comprobant.

Poſt tantam ergo Teſtium turbam, poſt tot teſtimoniorum authenticorum conformium multitudinem, poſt tot rationes & librorum claſſi-

classicorum textus hactenus allatos, non videtur prudenti judicio posse dubitari, quin isti Ritus Parentales per totum hujus secundi Tractatûs decursum explanati, sint verè politici & civiles; atque pro suo fine & objecto solum humanæ observantiæ cultum contineant.

Sed nunc ad tertium Tractatum de Ethica Sinensi transeamus.



APPENDIX

De ſcopo Rituum Sinenſium Controverſorum.

SEU

Brevis Analogia Rituum Sinenſium erga Mortuos cum Ritibus Sinenſibus erga Vivos uſitatis.



Um Rituum Sinenſium erga Parentes defunctos & Confucium controverſorum difficultas præſertim dependeat à ſciendo ſcopo & intentione, qua illi olim inſtituti fuerint,& nunc exerceantur; ideò ut iſte ſcopus rurſum clarè appareat, hanc brevem Rituum Sinicorum erga Mortuos cum Ritibus erga Vivos analogiam appono. Inde enim patebit non alia intentione iſta omnia fieri erga Parentes & Confucium, quàm ut exhibeantur Mortuis ii honores civiles, qui Vivis exhiberentur, juxta id quod ſæpiſſimè libri Sinici dicunt: ſerviendum Mortuis, ſicut Vivis.

Contexemus igitur duas Rituum columnas ſibi invicem reſpondentes; alteram Rituum erga Mortuos, alteram Rituum erga Vivos. In prima erunt Ritus erga Mortuos excerpti ex libris, quos jam ſæpiùs citavi. Unde illos hîc non ampliùs citabo. In ſecunda erunt Ritus erga Vivos, excerpti ex libris, quos ſingillatim hîc infrà apponam. Ex concurſu utriuſque columnæ, ſtatim apparebit mortuales iſtos Ritus eſſe tantùm imitationem aut continuationem eorum Rituum, qui pro Vivis exercentur; ideóque ſicut Ritus, qui pro Vivis exercentur, nullam continere ſuperſtitionem vel Idololatriam cenſentur; ita nec ullam continebunt Ritus pro Mortuis. Itaque

Ritus

Ritus erga Mortuos desumpti ex libris Rituum jam sæpè citatis.

1. Erigitur domus Parentalis pro Magistratibus defunctis. Plebeii defuncti in propria domo coluntur. Regum, Principum, Proregum, & similium virorum illustriũ Parentales domus vocantur *Miao*; aliorum verò vocantur *Tsu tam. Tam*, id est, aula; *Tsu*, id est, Parentalis vel ceremonialis.

2. In istis domibus exponitur Tabella lignea, cui inscribitur nomen & cognomen Defuncti, &

Ritus erga Vivos desumpti ex libris, quos infrà appono.

1. Magistratus in publica domo habitant, non in propria; plebeii in propria, non in publica.

Homines in domibus habitant; Spiritus verò nequaquam.

Ideò domus Parentales interdũ vocantur *Miao*, quia repræsentãt hominem olim in domo habitantem. *Miao*, id est, repræsentatio alicujus speciei. Lib. *Su xu mum yn* tom. 4. in Lib. *Chum yum*. Lib. *Xi kim* tom. *Cheu Tsum*.

Domus habens ab Oriente & Occidẽte cubicula lateralia, dicitur *Miao*; non habens hæc cubicula, domus dicitur *Cin*. *Cin*, est locus convivandi & quiescendi. *Miao*, est locus regendi & gubernandi. Lib. *Ulen bien tum Kao* tom. 94. Lib. *Kum miao Ly yo kao* tom. 1.

Sinæ viris benè meritis, dum adhuc vivunt, honorarias erigũnt aulas seu domos, in quibus expositum viventis nomen venerantur; nec ullam aliam in eo agnoscunt potestatem aut dignitatem præter humanam ordinariam; sive illam, quam ipse vivens habet. Praxis communis.

2. In Solstitio hiemali, Imperatoris viventis nomen, Tabellæ inscriptum proni venerantur Magistra.

coram illa suos cultus Defunctis præbent Posteri cum candelis & odoramentis.

gistratus cum candelis accensis, suffitu, odoramentis. Id etiam præstant coram Imperiali sigillo, dum in fine anni Sinici illud recludunt in cistula, & in principio extrahunt. Praxis communis.

Imperatori provincias visitanti eriguntur mensæ in plateis cum candelis accensis, suffitu, floribus. Et cuilibet natalitium diem celebranti, in propria domo erigitur mensa cum ejusmodi candelis, suffitu, floribus. Praxis communis.

Dum Sinæ olim humi super florea sedebant, filii Parentibus apponi curabant humilem parvam mensam ad incumbendum. Lib. *Siao hio* cap. 2.

Item dum Regulus honorificè excipiebat Legatum, eamdem illi mensam apponi jubebat. Inde videtur traxisse originem Tabella Defunctorum. Lib. *Y ly* tom. 8.

3. Præscribitur in libro *Kia ly*, etsi hoc multi non servent, ut in ingressu & egressu domûs, initio añi novi, Solstitio hiberno, primo & decimo quinto die mensis, ante quodlibet opus magni momenti, v. gr. ante Magistratum ineundum, & ante matrimonium contrahendum, fiat istius rei declaratio ante tabellam Parentum

3. Filius dum domo exit, Parentes præmoneat; dum redit, coram illis se sistat. Lib. *Siao hio* cap. 2.

Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 19. sic Doctor *Su ma uen kum:* In Solstitio hiberno, & 1. die anni novi, dum Liberi & famuli fausta Parentibus & Heris apprecantur, exhibeant illis sex corporis inclinationes; primo & decimo quinto die

defunctorum, sicut fieret Vivis.

die cujusque mensis exhibeant quatuor. Si autem Parentes aut Heri non tot admittant, vel prorsus omnes recusent, statim pareant. Dum domus seu Familia nostra erat valde numerosa; in Solstitio hiberno, & 1. ac 15. cujusque mensis die omnes simul conveniebant ad aulam domesticam, ubi omnes simul, viri à sinistris ad Occidentem, mulieres à dextris ad Orientem, in una serie juxta ætatis ordinem dispositi, facie Septentrionem spectante, istas corporis inclinationes Patrifamilias exhibebant. Quo facto, fratres, sorores ac juniores fratribus ac sororibus senioribus easdem ordine præstabant. Deinde mariti & uxores eas etiam excipiebant à suis filiis & famulis.

4. Ad feretrum Defuncti, filius Parentans apponit manè & vespere mensam, cibo & potu instructam, cum aliis utensilibus.

4. Jubetur, ut filii & nurus ad galli cantum surgant, adeant Parentes, offerant pelvim ad lavandum, & alia utensilia; rogent quid cupiant, quid comedere velint; apponant mensam, deferant cibum & potum, ac posteà ipsi comedant. Vespere lectũ sternendum curent; in singulis refectionibus necessaria apponi sollicitè satagant. Lib. *Siao hio* cap. 2. & 3.

Vnde illa matutina, & vespertina Parentum defunctorum fercula repræsentant matutinam & vesp-

& vespertinam viventium Parentum refectionem. Lib. *Li ki* cap. 3.

5. Præscribitur, ut ante Parentalem Ceremoniam *cy* præmittatur abstinentia a variis rebus.

Maritus luctûs tempore vadit in vile cubiculum anterius, separatus ab uxore; rudi cannabe vestitur, duro lecto indormit, luteum frustum pro cervicali adhibet, cingulum non exuit. Uxor etiam in aliquo cubiculo separato degit, lecti siparia, culcitram, & alia ornamenta aufert, &c.

5. Præfectus antequam Regem adeat, præmittit abstinentiam internam qua animum colligit, & externam qua abstinet à variis rebus. Habitat in anteriori aula, separatus ab uxore; corpus abluit. Lib. *Li ki* cap. 13.

Legatus idem servat antequam Regem alloquatur. Lib. *Y ly* tom. 8.

Vir litteratus volens convenire Doctorem Memcium, præmittit similem abstinentiam. Lib. Memc. tom. 1.

Urbiū Præfecti dum in primo die anni, in Solstitio hiberno, in Natali Imperatoris solemniter illi apprecantur faustos & multos vitæ annos, debent abstinentiam præmittere. Lib. *Ta mim hoei tien*, tom 75.

6. Die Parentalem Ceremoniam *cy* præcedente, verritur locus, præ-

6. Die solemne civium convivium quod pro singulis urbibus præscribi-

parantur mensæ,& sedes;vasa omnia ordine disponuntur.

Pro solemni autem Confucii Ceremonia *cy* in urbibus, ubi residet Prorex,ipsemet pridie probat tripudiantes, seu gesticulatores musicos, qui adesse debent.Pridie etiam in anteriusConfucii aulæ atrium adducuntur pecudes; fit reverentia non versus pecudes, sed versus aulam, & tunc occiduntur. Nota tamen: illæ pecudes non seliguntur fuso in earum auriculas liquore, seu vino calido. Videatur liber *Ta mim hoei tien*. Lib. *Kum mao ly yo kao*. Lib. *li ki*. Lib. *Ven hien tum kao*, & alii, in quibus nihil omninò de hac re habetur; quod etiam ipsa praxis probat.

scribitur, præcedente, mensas & sedes disponunt Ministri in posteriori gymnasii aula, sumptus ad epulas suppeditat urbisGubernator.Sub auroram adducuntur pecudes & occiduntur;epulæ præparantur. Illæ pecudes eodem nomine,quo in Parentali Confucii velProgenitorum Ceremonia, vocantur *Sem*, id est, pecudes destinatæ ad aliquam solemnitatem; quod aliqui malè verterunt per nomen victimæ.

Die istud convivium præcedente, assessor Præsidis convivii etiam exercet & probat Ceremoniarum Ministros. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 79.

Deinde dum Imperator solemni Ritu excipiebat hospitem, ad aulæ, in qua excipiebatur, portam seu atrium, pecudes adducebantur,ibique occidebantur, & reliqua fiebant sicut in Parentalibus Ceremoniis *cy*. Lib. *Cheu ly* art. *Ta su yo*.

Illam aulam jubebat priùs emundari. Lib. *Y ly* tom. 8.

Quin hodieque in China Tartari volentes hospiti facere convivium, adducunt ad illum pecudes vivas, & posteà occidunt.

Legatus muneribus Regis quem adit, ad se missis, inter quæ sunt pecudes non solùm mortuæ, sed etiam vivæ, reveren-

verentiam exhibet profunda capitis usque ad terram demissione. Lib. *Y ly* tom. 8.

7. Ad retinendam antiquissimarũ escarum memoriam, sanguis pecudis occisæ cum aliquot ejus pilis ponitur in scutella, eáque dumtaxat deponitur in mensa odorum ante Tabellam Confucii intra ejus aulam; id quod tamen jam non fit in Parentum defunctorum Ceremonia *cy*.

Sanguis, pili & carnes crudæ, inquit liber *Ven bien tum kao* tom. 94. sunt appositio escarum, quibus hommines antiquitùs vescebantur; carnes autem coctæ, scilicet porcinæ, caninæ, bovinæ, ovinæ, sunt appositio escarum, quibus nunc homines vescuntur.

7. Prisci Imperatores, cùm nullus adhuc esset ignis usus ad coquendos cibos, crudas volucrum ac pecudum carnes comedebant, earum sanguinem potabant, pilósque carni inhærentes, utpote qui extrahi penitùs non poterant, unà deglutiebant. Lib. *Li ki* cap. 9.

Unde illa appositio sanguinis & pilorum, est repræsentatio usûs antiquissimi illius temporis. Sanguis apponitur, ut judicetur de bonitate interiori pecudis, significetúrque occisa, non ex morbo mortua, seu parata ad convivium; pili, ut judicetur de exteriori bonitate. Lib. *Li ki* cap. 9. Lib. *Xi kim* tom. *Siao ya*. Lib. *Y li* tom. 8. Lib. *Li ki* cap. 24.

8. Postquam omnes, qui Parentali Ceremoniæ *cy* interesse debent, suum quique locum acceperunt, Tabellæ extrahuntur ex suis capsulis cum multa reverentia; vel relinquuntur, ut jam erant expositæ, sicuti fit in Confucii Ceremonia *cy*; & in hac quidem dicitur excipi Spiritus seu Defunctus; non tamen invitatur, ut adsit, nec veniens certis Ceremoniis excipitur; sed tantùm in majoribus urbibus cantantur versuum strophæ in ejus laudem

8. Qui intersunt prædicto solemni urbis convivio, suum quisque destinatum accipit locum; invitati hospites juxta ordinem ætatis, Præfecti juxta ordinem dignitatis. Præses convivii cum suis collegis, nempe urbis Gubernator, adventanti hospiti & ejus comitibus obviam it extra gymnasii portam, illum introducit, sedem offert cum repetitis utrimque corporum inflexionibus. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 79.

à tripudiantibus seu gesticulatoribus Musicis; verùm hi tripudiantes, seu gesticulatores Musici in minoribus urbibus non adhibentur; & ubi non adhibentur, non cantantur illæ strophæ; uti, habet liber *Kum mao ly yo kao* tom 3. ac 4. & praxis sic habet. Videatur etiam Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 91.

Rex excipiens Legatũ, illi obviam exibat extra portam, in aulam eum introducebat, stoream sterni jubebat, offerebat humilem mensam ad incumbendum; (olim Sinæ humi sedebant & isti mensulæ incumbebant); utrimque variæ Ceremoniæ per internuntios, & corporis usque ad terram demissiones. Excipiebat illum in Parentali Majorum defunctorum aula, ad majorem honorem, amorem, amicitiam. Lib. *Y ly* tom. 8.

Hinc olim in Parentali Ceremonia *cy* excipiebatur aliquis puer repræsentans Defunctum, & illi humilis mensa offerebatur ad incumbendum. Lib. *Li ki* cap. 25. Lib. *Y ly* tom. 15.

Deinde in legatione aliquis Præfectus flexis genibus tabulam onychinam, quæ erat legationis tessera, extrahebat è sua capsula. Lib. *Y ly* tom. 8.

Denique Sigillum Imperatoris, ut suprà dictum est, Præfecti profundis usque ad terram corporis demissionibus recondunt in capsulam, eodémque modo illud extrahunt sub anni novi initium.

9. Multæ mensæ exponuntur cum suis epularum ferculis. In Confucii Ceremonia *cy* etiam carnes crudæ & pecudes integræ aliaque fercula, & varia bellaria

9. In convivio quod Rex olim mittebat Legato, hæc apponebantur:

Primò, pecudes coctæ & condîtæ: unus bos, una ovis vel capra, unus

tum cruda, tum cocta apponuntur.

unus porcus; erántque novem ollæ seu fercula. Apponebantur ante occidentales anterioris aulæ gradus.

Secundò, pecudes occisæ & non coctæ: duo boves, duæ oves vel capræ, duo porci; fiebátque duplex ordo septem ollarum seu ferculorum. Apponebantur ante orientales anterioris aulæ gradus. In ipsa autem aula multa dapum, leguminum, jusculorum fercula, vasa milio, orizâ, lobâ plena, vini pocula exponebantur.

Tertiò, pecudes vivæ: duo boves, duæ oves vel capræ, duo porci, qui ad portam exteriorem exponebantur, cum variis aliis donis. Legatus his Regis muneribus, ipsísque pecudibus vivis, profunda capitis usque ad terram demissione reverentiam exhibebat. Lib. *Ty* tom. 8.

Deinde singulis trienniis in metropolibus, dum *Pu chim su* seu Præfectus ærarii duos Examinatores Pekino missos ad præsidendum Licentiatorũ examini, Proregem, militiæ Ducem, aliósque Magistratus & novos Licentiatos convivio excipit, sequentia hodieque apponi curat: Ante cujusque Examinatoris Regii mensam, in qua ipse comedit, aliæ sex mensæ, uti & ante mensam Proregis ac Ducis militiæ, hoc ordine apponuntur:

Prima

10. In ſolemnibus Ceremoniis *cy* Confucii, & Parentum defunctorum ſunt Magiſtri Ceremo-

Prima menſa inſtructa eſt quinque fructuum generibus.

Secunda inſtructa eſt duobus grandibus diſcis, in quibus ſunt octo ſerica volumina.

Tertia inſtructa eſt quinque diſcis, in quibus ſunt hominum aliarúmque rerum figuræ ex ſaccharo confectæ.

Quarta habet turriculam ſerico ornatam.

Quinta inſtructa eſt quatuor diſcis, in quorum primo eſt anſer deplumis præter caudam, integer, crudus, recens. In ſecundo eſt anas & gallina deplumes, &c. ut anſer. In tertio recens armus porci. In quarto recens armus capræ vel ovis.

Sexta inſtructa eſt quatuor diſcis, in quorum primo eſt anſer eviſceratus, ſiccus, non coctus. In ſecundo anas & gallina, ut anſer. In tertio perna porcina non cocta. In quarto perna caprina vel ovina non cocta. Hic menſarum ordo in metropoli *Nan cham* ab ipſo emptore mihi traditus eſt.

In aliis ſolemnioribus conviviis ſimiles menſæ, quæ vocantur *menſa ad aſpectum*, etiam apponuntur.

10. In prædicto ſolemni urbis convivio ſunt Ceremoniarum Magiſtri, qui alta voce hæc & ſimi-

niarum, qui ad singulos actus præmonent alta voce quid fieri debeat, perinde ac fit in solemnibus Sinarum conviviis, aliisque solemnibus congressibus.

similia præmonent: Surgat talis, flectat genua, exhibeat reverentiam, sedeat, attollat calicem, offerat hospiti calicem, redeat ad locum, bibat, &c. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 79. non dicunt tamen, *flectamus genua*, quia ipsi non flectunt, nec indecenter abutuntur voce *levate*, uti quidam Author in suo libro non satis apposite asseruit.

Habentur similes Magistri seu Præfecti Ceremoniarum in solemnitate, in qua primus pileus Adolescenti, & primus capitis ornatus, seu acus puellæ imponitur. Lib. *Kia ly* tom. 2. uti & in aliis passim solemnitatibus conviviisque solemnioribus. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 72.

11. In solemni Confucii Ceremonia *cy* præsentantur serica volumina.

11. Olim Rex mittendo epulas ad Legatum alterius Regis, primò per suum Præfectum illi offerebat serica volumina. Lib. *Y ly* tom. 8. Et in mutuis muneribus semper serica volumina primò offeruntur.

In triennali prædicto convivio pro Licentiatorum examine offeruntur in mensa serica volumina.

12. In Parentali Parentum & Confucii Ceremonia *cy*, præsentatur ter scyphus vini, & ex eo tantillum in subjectam pelvim effunditur, vel in mensa tantùm deponitur, Sinicè *Cy cieu*, & liber

12. In prædicto urbis Convivio Assessor Præsidis convivii, primò attollit calicem vacuum; deinde Minister infundit vinum, & tradit calicem convivii præsidi.

Hic

quidem *Ta mim hoei tien* tom 91. pro Confucio præscribit tantùm *præsentare*, Sinicè *Hien*.

In solemni Parentum defunctorum Ceremonia *cy*, antequam præsentetur ter vinum, ut dixi; accipitur vini scyphus, & totum vinum in terram, seu in subjectam pelvim effunditur; & hoc nunc vocant *Kiam xin*, seu demittere Spiritum; olim vocabatur *quon*, seu præsentare vel in terram vinum odoriferum effundere, aut humi scyphum istius vini odoriferi deponere. Ista Ceremonia *Kiam xin* non fit in Confucii Ritu.

Hic accepto calice, vadit ante hospitem, illúmque humi super stoream deponit, & hoc vocatur *Ci cieu*, id est, offerre seu deponere vini scyphum, non *sacrificare*, uti quidam verterunt vocem *cy*. Posteà hinc & hinc multæ corporis usque ad terram inflexiones, dirigente semper omnes actus Ceremoniarum Præfecto seu Magistro. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 79. Lib. *Li ki* cap. 45. Lib. *Y ly* tom. 4.

Item dum Rex olim honorificè excipiebat Legatum, aulæ Præfectus infundebat vinum in calicem disco superpositum, & vinum quidem ex expressis herbarum odoriferarum succis confectum, quale adhibebatur in Parentalibus Ceremoniis *cy*. Deinde calicem Regi tradebat; Rex eum offerebat Legato. Legatus vini calicem cum disco supposito humi deponebat super stoream, idque vocabatur *Ci Cieu*, ut antè. Lib. *Y ly* tom. 8.

Similiter Adolescens dum primum pileum, & puella acum seu capitis ornatum solemniter accipiunt, oblatum vini calicem à Præside Ceremoniarum humi deponunt super stoream, idque vocatur *Ci cieu*. Lib. *Kia ly* tom. 2.

Reguli dum se invicem invisebant,

sebant, ille qui invisebatur, offerebat invisenti vinum odoriferum ex herbis bene fragrantibus confectum, & illud non bibebat; sed vel humi deponebat, vel in terram effundebat, Sinicè *Quon.* Illi in se invicem excipiendis spectabant virtutis odorem ac fragrantiam, non cupediarum aut dapum saporem. Lib. *Li ki* cap. 10.

13. In solemni defunctorum Parentum Ceremonia præter fercula, quæ jam apposita sunt, alia propriis manibus præsentantur; in Confucii autem Ceremonia *cy* illa tantùm priùs apponuntur à Ministris, non propriis manibus præsentantur, multò minùs immolantur. Videatur Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 91. Et praxis sic habet.

13. Dum Parentes vivunt, filii eis alimenta ministrant. Lib. *Li ki* cap. 25.

Reguli dum se invicem invisebanr, offerebant tantùm vinum odoriferum supradictum; quia in mutua illa visitatione unam spectabant virtutis fragrantiam, non escarum sapores. Lib. *Li ki* cap. 10.

Imperator tamen Regulis, Legatis, Consanguineis, Viris principibus non tantùm vinum odoriferum, sed etiam bene olens carnis gingibere & cinnamo conditæ ferculum offerebat, quod accipiens hospes humi super stoream deponebat; ídque etiam vocabatur *Cy.* Ista autem vini & carnis depositio super stoream fit ad ostendendum quanti hospes faciat offerentis munus. Lib. *Li ki* cap. 5. & 11.

Dum Imperator, inquit liber *Kum miao li yo kao*, honorificè Regu-

14. In Parentali Ceremonia *cy* Parentum & Confucii, recitatur flexis genibus verborum formula (non oratio), qua Parentans suam mentem & intentionem significat. Pro Parentali Parentum Ceremonia hæc præscribitur in Lib. *Kia ly*: Obsequiosus abnepos N. palam audet Defunctis Majoribus hæc dicere: Anni ordo suas assiduè mutat vices: nunc vernum tempus (vel æstivum, autumnale &c). advenit. Dilabentis ergo anni tempore excitatus ad recordationem, longo vestrûm desiderio teneor. Idcircò omni reverentia cum hac munda pe-

Regulum, ut hospitem excipit, illi vinum odoriferum offert, Sinicè *Quon*; Reguli dum se invicem excipiunt, vinum etiam istud odoriferum offerunt. Deinde Imperator ad remunerandos Regulos de Imperio bene meritos, etiam vinum istud odoriferum adhibet. An igitur dumtaxat erga Confucium id posse fieri forte dubitabis? Lib. *Kum miao ly yo kao* tom. 3.

Adolescens dum accipit solemniter primum pileum, præses Ceremoniarum illi offert carnis siccæ ac bene condîtæ ferculum, quod accipiens, illud etiam humi super stoream deponit. Lib. *Kia ly* tom. 2.

14. In solemni urbis convivio hæc verborum formula adhibetur: Veneremur Imperatorem, qui juxta priscam normam sollicitè Ritus ac bonam disciplinam curando, jussit hanc convivalem civium solemnitatem celebrari. Lib. *Ta mım hoei tien* tom. 79.

In solemnitate, in qua primus pileus Adolescentis capiti imponitur, Præses Ceremoniarum hanc verborum formulam recitat: Hujus felicis mensis optimâ horâ tuam tandem tibi vestem impono; omni cum diligentia gravitatem ac modestiam serva; sedulam tuæ virili virtuti operam navà; florenti ætate mille & mille an-

cude ove, vel capra, vel porco, cum hisce omnibus farinæ atque orizæ, ceterarúmque rerum ferculis, cum hoc puro vino statū annui obsequii munus vobis submissè exhibeo, uti & consanguineis N. N. quos vobis mensæ comites adjungo. Id penè gratum habebitis.

Pro Confucii autem Ceremonia *cy*, hæc præscripta est à Tribunali Rituum, & ubique in usu: Tua virtus, Magister, cælo terræque æquatur; tua doctrina novis & antiquis (id est, Sinensibus) præcellit; in sex libris classicis expurgandis atque explicandis omnia futura sæcula illustrâsti. Idcircò hoc secundo Veris (vel Autumni) mense, adhibendo istas pecudes, ista serica volumina, istud vinum, istas dapes, ista omnia ferculorum genera omni cum reverentia juxta veterem normam ordinatim tibi apponimus mundam muneris exhibitionem, tibíque comites adjungimus discipulum *Yen tsu*, verum Magistri exemplar; Discipulum *Tsem tsu*, genuinum Magistri interpretem; nepotem *Tsu su tsu*, studiosum Avi doctrinæ propagatorem; & *Mem tsu*, alterum à te *Xim* seu sapientem. Id penè gratum habebis.

nos vive; longáque ac magna felicitate perfruere. Tum flexis genibus pileum ipse Adolescenti imponit. Lib. *Kia ly* tom. 2.

Item in solemnitate, in qua acus seu capitis ornatus puellæ imponitur, Præses Ceremoniarum hanc etiam formulam recitat: Hujus felicis mensis optimâ die indue tandem primum tuum habitum; exue puerilis ætatis mentem ac sensa; virtutis tuæ perfectioni obsequenter & prosperè stude; longissimam vitam feliciter age; ad magnam & excellentem felicitatem. Lib. *Kia ly* tom. 2.

Dum olim fiebant convivia, mos erat decantare versuum strophas, quibus plenus est tomus 2. libri classici Carminum. Lib. *Xi kim* tom. *Siao ya*.

Impe-

Hæc formula in Parentum & in Confucii Ceremonia *cy*, est unica, in eáque nec oratio nec petitio ulla habetur. Dum autem adhibentur, ut suprà dictum est, tripudiantes, seu gesticulatores Musici in Confucii Ceremonia; tunc hi decantant aliquot versuum strophas in ejus laudem quasi esset præsens; in quibus tamen nec umbra ullius petitionis vel orationis etiam apparet. Videatur Lib. *Ta mim hoei tien.* tom. 91.

15. Dum fit Confucio Ceremonia *cy*, Confucius vocatur *Chi xim*, id est, summè excellens sive in moribus, sive in doctrina.

15. Imperator Sinensis vocatur *Xim chu*, id est, excellens Dominus; ejus decreta, vocantur *Xim chi*; ejus sapientia, *Xim jui*; ejus beneficia, *Xim ngen*; ejus curulis, *Xim kia*; ejus perspicacia, *Xim kien*; ejus determinatio, *Xim tsay*; ejus imperium seu regnum, *Xim chao*; ejus persona, *Xim kum*; ejus intelligentia, *Xim mim*; ejus jussum, *Xim yu*; ejus virtus, *Xim te*; ejus vita, *Xim xen.* Lib. *Tseu sou.* Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 73.

Imperatricis natalis dies vocatur *Xim tan.* Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 43.

Rex Tumkinensis vocatur *Xim Ti*, Rector seu Rex excellens.

Qui omnia rite intelligit, vocatur

catur *Xim*. Lib. *Xu kim* tom. 4. L b. *Lun yu* art. 9.

Qui excellentiore perfectione in iis rebus, quæ quotidie occurrunt, præstat, vocatur *Xim* &c. Lib. *Sim li piao ti* tom. 3.

16. In Parentali Progenitorum (non Confucii) Ceremonia *cy*, postquam vini scyphus ter præsentatus est, exitur, ac paulisper quiescitur, seu expectatur; & hoc vocatur exhortatio ad epulas.

16. Olim in Parentali Ceremonia *cy*, primò filius, deinde nurus, postea consanguinei vinum ter offerebant, & epulas apponebant Puero defunctum Patrem repræsentanti; cúmque exhortabantur ad comedendum. Lib. *Li ki* cap. 13.

17. Sub finem Parentalis Ceremoniæ *cy* præscribitur, ut bibatur vinum faustitatis, & excipiatur ferculum carnis vel alterius escæ præsentatæ; & ut Lector nomine, non merito, defunctorum Parentum bene apprecetur liberis. Sed hæc apprecatoria Lectoris formula non est ampliùs in usu, nec jam vinum faustitatis bibitur. Nec escæ præsentatæ ferculum excipitur, ut ait Doctor *Lieu cham*; sed vinum & escæ appositæ seu præsentatæ tantummodò distribuuntur inter consanguineos. In solemni tamen Ceremonia *cy* Confucii, Præses hodiéque vini scyphum ad labia admovet, & carnis ferculum accipit; sed absque ulla verborum apprecatione, ac multò minùs absque ulla oratione aut petitione; nec adstantibus, ante-

17. Parentali Ceremoniâ *cy* peractâ filius reliquias comedit, uti & alii consanguinei. Deinde harum esus est etiam quoddam beneficientiæ ac liberalitatis genus, quod nempe filii à Parentibus, & & Præfecti litterati à Magistro suo Confucio accipiunt. Lib. *Li ki* cap. 25. Lib. *Kia ly* tom. 7.

Deinde olim Puellus, qui Parentes defunctos repræsentabat, jubebat Lectorem illam apprecatoriam formulam recitare; jam verò cùm Puellus non adhibeatur, ipse Lector eam recitat, quasi Parens filiis ac nepotibus bene apprecaretur. Lib. *Li ki* cap 7. Lib. *Xi kim* tom *Siao ya*. Sic & peractâ Parentali Ceremonia *cy*, Pater & Materfamilias sedent in medio aulæ, atque illis filii, nurus, nepotes, aliíque Posteri & Consangui-

quam dimittantur, felicitates promittuntur. Solummodò ultima versuum stropha, quæ interdum, ut dixi, à tripudiantibus decantatur more aliorum ejusmodi versuum in libro *Xi xim* passim occurrentium, qui inter epulas recitari solebant, exoptatur ut multam felicitatem recipiant.

sanguinei easdem exhibent, quas Defunctis exhibuerant, corporis inclinationes ac demissiones. Deinde horum unus natu grandior, flexis genibus, vini scyphum illis offert, interea dum Lector hanc verborum formulam recitat: Quandoquidem Parentalis Ritûs opus sit peractum, Majorésque defuncti gratum munus habuerint, submissè exoptamus, Parentes venerandi, ut quintuplicem felicitatem perfectè recipiatis, totámque nostram familiam protegatis, ac rectè componatis. His lectis, vini scyphum tradit famulo, & famulus eum apponit ante Patrem & Matremfamilias, moxque ille surgens, exhibet reverentiam, & in locum redit, ubi cum aliis omnibus Consanguineis unam leviorem, & quatuor profundiores corporis inclinationes eis exhibet, nempe omninò ut sit Defunctis. Tum Paterfamilias: Quandoquidem, inquit, parentalis Ritûs opus sit peractum, quintuplicis felicitatis bonum vobis omnibus commune facio. Quo dicto, rursus iterum corporis inflexiones. Deinde viri in exteriore, mulieres in interiore aula præsentatas dapes, seu peracti convivii reli-

quias comedunt, & bibunt. Lib. *Kia li* tom. 7.

Pari modo in solemnitate, in qua Adolescenti primus pileus, & puellæ primus capitis ornatus imponitur, Præfectus Ceremoniarum illis apprecatur longissimam vitam, maximam felicitatem, & omne prosperitatis genus. Lib. *Kia ly* tom. 2.

18. In fine Ceremoniæ *cy* Parentum defunctorum fit profunda reverentia Tabellæ, quasi valediceretur Spiritui, seu Defuncto; & posteà Tabella in suam capsulam seu loculamentum reportatur, quasi ille dededuceretur. Dicitur excipi Spiritus, ait liber *Ven hien tum kao* tom. 96., quasi videretur venire, idémque dicitur deduci, quasi videretur abire.

Quoad Confucii autem Ceremoniam, nec in fine, nec in initio Tabella movetur; & quamvis dicatur deduci Spiritus, ut suprà; non tamen certis verborum formulis deducitur; sed quandoque tantùm, uti jam sæpius dictum est, cantatur versuum stropha, quæ illum tamquam abeuntem spectat. Videatur *Ta mim hoei tien* tom. 91.

18. Olim peractâ Parentali Ceremonia *cy*, Puer qui representabat Spiritum seu Defunctum, honorificè deducebatur, illíque valedicebatur. Lib. *Xi kim* tom. *Siao ya*. Lib. *Y ly* cap. 17.

Item peracto solemni urbis convivio, hospes primarius cum suis comitibus honorificè deducitur usque ad portam à Præside convivii, & aliis. Lib. *Ta min hoei tien* tom. 79.

Deinde in omnibus aliis honestis congressibus Sinicis, ista urbanitas semper servatur. Lib. *Y ly*.

19. In principio Ceremoniæ *cy* Confucii, supradicta scutella sanguinis cum pilis, in foveam

19. Si Magistri cithara aut liber in via occurrant, caveat discipulus nè gradiendo ea inurbaniter

projicitur; & in fine, verborum formulæ scheda atque præsentata serica supra eamdem foveam cremantur.

In Parentum defunctorum Ceremonia *cy*, verborum formulæ scheda etiam crematur.

niter transiliat; sed flexis genibus ea recipiat, alióque transferat.

Filii non ausint uti Parentum scutellis, ollis, poculis, aliisque vasis, nisi ad comedendum & bibendum reliquias.

Deinde nec patris defuncti libris, quia paternæ manûs vestigia; nec Matris defunctæ scyphis, quia materni oris halitus in eis remanent, uti ausint. Lib. *Siao hio* cap. 2.

Hinc prisci Imperatores quoddam sericum volumen cum honoraria tessera Parentibus defunctis præsentatum, quo tamquam Parentum jussu, iter agentes, utebantur, domum reversi defodiebant, ne illud contemptui haberetur, & ut ostenderent quanti facerent Parentum jussum. Lib. *Li ki* cap. 7.

Nec arbores, quibus Parentum sepulchra adumbrantur, audet filius resecare, nè videatur illos vilipendere. Lib. *Li ki* cap. 2.

20. Præfecti litterarum aliquando Præsentant quædam legumina in Confucii Parentali palæstra.

20. Olim dum discipulus Magistrum suum invisebat, pro munere ei legumina offerebat; idcircò dum quis scholam ingreditur, legumina pro munere priscis Magistris præsentat. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 43.

Ita

Ista legumina, inquit liber *Kum miao ly yo kao*, Confucio præsentata significant munus, quod quis offerre solet, dum aliquem invisit. Lib. *Kum miao ly yo kao* tom. 1.

Ipse Confucius sic olim dicebat: Quicumque ad me venit ut instruatur, quamvis levissimum dumtaxat carnis exsiccatæ munus mihi afferat, nullus est, quem ego diligenter non instruo. Lib. *Lun yu* artic. 7.

21. Novi Baccalaurei, qui singulis trienniis creantur, die assignato deducuntur ab urbis Gubernatore cum instrumentis musicis ad ingrediendam urbis scholam, sive ad Præfecti litterarum domum, ubi est Confucii Parentalis palæstra. In hac quater profundam reverentiam exhibent coram Confucii Tabella; & traduntur litterarum Præfecto ut Magistro. Id lege statutum est.

21. Mos est, ut Pater deducat filios ad scholam, & eos tradat Magistro instituendos. In China urbis Gubernator repræsentat Patrem; exigit autem urbanitas, ut Discipuli reverentiam exhibeant Magistro sui Magistri, id est, Confucio. Sic ab ipsis Sinis acceptum.

22. Novi disciplinæ civilis (non militaris) Præfecti triduo post aditam sui officii dignitatem eunt

22. Baccalaurei sunt dignitatum Candidati; ideò eorum ingenium, doctrina, mores diligenter inspi-

etiam ad Parentalem Confucii palæstram, ubi excipiuntur à Baccalaureis (non Licentiatis, neque à Doctoribus, ad quos hoc nihil attinet); quaterque coram ejus Tabella profundam reverentiam exhibent, & quandoque odorarios bacillos ardentes in vase cineribus pleno infigunt. Deinde in aula posteriori Baccalaurei coram illis aliquot suorum librorum classicorum sententias explicant; posteà disceditur. Id lege etiam statutum est.

23. Urbium Præfecti (non militiæ, nec alii) primo, & quinto decimo die cujusque mensis cum solis suis Officialibus (non cum Baccalaureis, præter duos ceremoniarum Magistros, qui sunt Baccalaurei) adeunt Parentalem Confucii palæstram, & quater, ut suprà, reverentiam exhibent. Liber tamen *To mim hoei tien* tom. 78. etiam præscribit, ut tunc adsint Baccalaurei congregati in prædicta posteriori aula, & explicent ibi suos libros. Fortasse sic olim.

inspiciuntur, ut adepti Magistratum possint & alios bene regere, & aliis bono exemplo esse. Fit autem priùs Confufucio reverentia, quia ipse habetur præcipuus & rectæ disciplinæ & boni regiminis Magister. Sic etiam ab ipsis Sinis acceptum.

23. Sinici Præfecti inferiores unoquoque quinto, & unoquoque decimo cujusque mensis die adeunt publicam suorum Superiorum domum tum honoris, tum jussa capessendi ergo, uti & alii Præfecti Imperiale palatiũ. Hinc isti urbium Præfecti, velut discipuli, ad patefaciendam suam erga Confucium rectæ disciplinæ & boni regiminis Magistrum observantiam, adeunt ejus Parentalem palæstram. Sic à Sinis acceptum; & praxis communis.

VArii alii particulares Ritus erga Mortuos hìc non referuntur, vel quia nunc in desuetudinem abiêrunt, ut Ritus *Hin*, seu Ritus illinendi Parentales Regum (non aliorum) domus, & præcipua ejus vasa cum sanguine animalium; vel quia in supradictis includuntur, ut appositio ciborum ad sepulchra Parentum; vel quia in raris tantùm occasionibus adhibiti fuerunt, ut Ceremonia *cy*, quam Liber *Kia ly* præscribit tum pro antiquioribus, tum pro primis Familiæ Avis, vel primis hominum Avis,


Sinicè *Xi tsou* & *Sien tsou*, vel ut alii scribunt, *Xi chu*, & *Sien chu*, in qua animalis pinguedo loco suffitûs adhibetur. Nunc hanc utramque non fieri expresse ait Liber *Sim li ta ciuen* tom. 21. & utraque inventa fuit à Doctore *Chim y chuen* sub imperio *Sum*.

Deinde illi herbarum fasciculi *Mao xa*, in quos dicitur effundi vinum ad demittendum Spiritum, Sinice *Kiam xin*, etiam passim nunc non adhibentur; imò istæ herbæ inventu difficiles; sed vinum vel in terram vel potiùs in pelvim suppositam tantùm effunditur; vel etiam sine effusione scyphus tantummodò apponitur, seu præsentatur super mensam; uti fieri solet in Confucii solemni Ceremonia *cy*.

Ceterùm ista omnia, & alia in superiori Tractatu fusiùs examinantur ac dilucidantur, quæ propter brevitatem hîc omittuntur.

Omittitur etiam hîc jactio sortium, quarum faciendarum modus describitur in libro *Kia ly*; quia idem liber ibidem monet illam posse omitti. Idémque liber irridet eos, qui cremant monetas papyraceas ad juvandas animas.

Vestes autem, quæ & in Confucii, & in Parentum Ceremonia *cy* nunc adhibentur, sunt vel aulicæ, vel communes & honestæ. Imò olim, ut habet Liber *Y ly* tom. 8. & Liber *Li ki* cap. 11. præscriptum erat, ut Præfecti primarii in Ceremoniis *cy* uterentur vestibus suis aulicis; adeòque non magis speciali Ritu fieri debebant, quàm aliæ, quarum omnium forma ac materia fusè præscribitur in Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 60. & 61. Vide Tract. 3. de Ethica Sinensi Parag. 2. Cap. 2. Sect. 2. de possessionibus mobilibus.





TRACTATUS III.

De Ethica Sinensi.

PROOEMIUM.



Inæ, ut antiqui sapientes, absque præceptorum methodo Philosophantur; rem, non artem dicunt. Apud illos nulla Logica artificialis, sola naturalis; Physicam per sensum allegoricum sæpè morali immiscent. Materia prima juxta quosdam illorum Authores, est primigenius aër, cujus pars subtilior, purior ac levior formando cælo seu rebus cælestibus; crassior, impurior, ac gravior formandæ terræ, seu rebus terrestribus inservit; (Chaos nempe informe, juxta ea quæ dixi in Tract. primo de Cognitione primi Entis Cap. 2. Quæst. 3.) Ista igitur aëris tenuissima substantia, vel ista aërea corpuscula sunt materia, ex qua rerum corpora tum animata, tum inanimata conflantur (A). Substantialis rerum forma est ratio essentialis, quæ perficit materiam primam (B). Causa efficiens universalis est Cælum, de quo in eodem primo Tractatu; id est, vel Cælum immateriale seu DEUS, si agatur de Causa prima Universali; vel cælum materiale, si agatur de causa secunda universali; vel potiùs universalis Virtus supremi Domini *Xam Ti*, (nempe Divina potentia) in cælo ac terra residens, quæ per alternantem motûs *Yam*, & quietis *Yn* vicissitudinem, ac per quinque elementariorum principiorum aquæ, ignis, ligni, metalli, terræ (hæc quinque Sinæ vocant

elementaria principia, eáque penè omnibus rebus etiam moralibus per tropum accommodant) producit omnes mundi res corporeas (C). Causa finalis est cujusque rei perfectio, ad cujus consecutionem naturali quadam propensione ipsa tendit (D). Atque hæc sunt juxta Sinas quatuor universalia corporis Physici Principia.

Agunt etiam de cælo; de ejus motibus, de instrumentis mathematicis ad deprehendendos motus cælestes, de constellationibus, de stellis, de 5. planetis minoribus & earum conjunctionibus, de sole, de luna, & earum eclipsibus, de variis phœnomenis, de cometis, de iride, &c. (E).

De Anima quid sentiant, infrà dicemus.

Quod attinet ad Metaphysicam, videntur etiam aliquid de ea insinuare, dum omnia ultimatè reducunt ad Rationem generalissime sumptam; illámque sic sumptam dicunt esse unam, esse veram, esse bonam; nempe illam generalissimam Rationem, seu illud Ens generalissimè sumptum & à materia abstractum, habere metaphysicas Entis proprietates, quæ sunt unitas, veritas, bonitas transcendentalis (E). De Ente increato, & Intelligentiis quid sentiant, jam fusè vidimus in Tract. 1. de Cognitione primi Entis Cap. 1. & 2.

Sed longior forem, si totam Sinicam vellem perlustrare Philosophiam; hæc pauca generatim indicâsse sufficiat. Nunc ad Ethicam, quæ est præcipua apud Sinas scientia, pergo.

Sinæ, uti Aristoteles, suam Ethicam dividunt in *Monasticam*, quæ dirigit hominem ut privatam personam in ordine ad bonum suum privatum; in *Oeconomicam*, quæ dirigit hominem ut membrum Familiæ in ordine ad bonum domesticum; & in *Politicam*, quæ dirigit hominem ut partem regni in ordine ad bonum publicum; atque ita considerabimus Ethicam Sinicam cum respectu ad Ethicam Aristotelicam, Ethicam Sinarum Infidelium cum respectu ad Ethicam Aristotelis Infidelis. Sed magnoperè

gnoperè animadvertendum est, quòd Sinæ multùm differant ab Aristotele in modo tradendi illas tres Ethicæ partes; Sinæ enim illas tres partes sine ordine, sine methodo, & per solas sententias, dum se offert occasio, tantummodò tractant. Unde sat difficile fuit omnes istas scopas dissipatas ad hunc Aristotelicum ordinem redigere.

Textus Librorum.

A. 1. Liber *Cheu ye chin kiay*, seu vera libri mutationum ac productionum expositio tom. 22. cap. *Siu qua chuen xam* sic habet: Dum *Tay kie*, seu primus Terminus vel Natura indistinctè spectatur, (nempe in Tabula ænigmatica *octo symbolorum*, sinicè *Pa qua* Libri *Ye kim*, cujus Tabulæ Caput est *Tay kie*, veluti summum prædicamenti genus) tunc non habetur cæli ac terræ divisio; cùm autem hic primus Terminus causat motum, tunc producitur seu resultat modus *Yâm*, (hic modus *Yam* in dicta Tabula repræsentatur per lineolam continuam sic ——), modíque *Yam* aër levior, purior, subtilior ascendit ac distenditur; atque hinc habetur cælum. Cùm causat quietem, tunc producitur seu resultat modus *Yn*, (hic modus *Yn* repræsentatur in eadem Tabula per lineolam discretam sic — —) modíque *Yn* aër gravior, impurior, crassior descendit ac coalescit; atque hinc habetur terra. Posteà ex subtili & arcana hujus duplicis aëris (nempe cælestis & terrestris) conjunctione ac concursu omnes causæ materiales tum insensibiles, tum sensibiles emanant; & hoc est, quod cælum ac terra dicitur omnium rerum Pater & Mater.

A. 2. Lib. *Ge kiam ye kim* tom. 18. seu ultimo sic: ex divisione *Tay kie*, id est, primi Termini seu Naturæ, (quæ est summum genus in categoria seu Tabula ænigmatica Libri *Ye Kim*) nascuntur duæ figuræ *Y*, (id est, duæ lineolæ; altera continua repræsentans unitatem; altera discreta repræsentans binareitatem;)

tatem;) ex motu (scilicet *Tay Kie*) nascitur modus **Yam**, & hinc fit Cælum; ex quiete nascitur modus *Yn*, & hinc fit terra. Posteà ex subtili & arcana utriusque aëris seu vitalis auræ (nempe cælestis & terrestris) conjunctione omnia generantur. Habito aëre ad formandum corpus, tunc & ratio illi inditur; atque hoc est quod cælum ac terra sit omnium rerum Pater & Mater.

B. 3. Lib. *Su xu mum yn*, seu quatuor librorum classicorum facilis explanatio, tom. 1. in librum *Ta Hio*, in procemio sic ait: Dum consideratur Ratio, prout opponitur auræ vitali & materiæ fundamentali; tunc aura vitalis cum materia fundamentali est quid plenum seu sensibile, & Ratio est quid vacuum seu insensibile; dum consideratur aura vitalis, prout opponitur materiæ fundamentali; tunc materia fundamentalis est quid plenum seu sensibile, & aura vitalis est quid vacuum seu insensibile. Vacuum semper recipitur in pleno; Ratio enim non confunditur cum aura vitali & materia fundamentali; nec vitalis aura multò minùs confunditur cum materia fundamentali; sed auram vitalem ac materiam fundamentalem unit Ratio, & ipsa aura vitalis coadunat materiam fundamentalem.

B. Item Lib. magnus Commentarius in Libr. *Xi Kim* seu Carminum tom. *Ta ya*, odâ *Chim min*, sic: Omnes isti populi à Cælo producti, & constant corpore quod est materia, & accipiunt rationem, seu naturam rationalem, quæ est forma.

Ç. 4. Lib. *Su xu mum yn*, tom. 1. in Lib. *Ta hio*, in procemio sic: Atque hoc est quod verè dicitur: Cælum per motum *Yam* & quietem *Yn*, pérque primaria quinque Principia Universalia producit omnes res. Ubi aër seu aërea materia habetur ad corporis compositionem, tunc & ratio illi inditur.

C. 5. Lib. *Sim li ta ciuen* seu de Natura & Ratione magnus Commentarius, tom. 1. cap. *Tay Kie* sic: Supremi Cæli operatio vel

res

res, voce & odore expers, sive sensu imperceptibilis, est verè omnium productionum cardo, & omnium specierum origo.

C. 6. Lib. *Sim li piao ti*, seu brevis expositio Naturæ & Rationis, tom. 1. cap. *Tay Kie* sic: Dum *Tay Kie*, seu Natura vel primus Terminus spectatur quatenus dividitur in motum *Yam* & quietem *Yn*; & motus *Yam* ac quies *Yn*, quatenus dividuntur in quinque primaria Principia, & quinque primaria Principia quatenus dividuntur in quatuor anni tempestates, tunc indicatur *Tay Kie* quatenus est rerum Effector.

C. 7. Lib. *Siao hio*, seu Parvulorum doctrina, cap. 1. Interpres ad hunc Libri *Chum Yum* textum: *Cæli lex dicitur natura*, sic ait: Cælum per quietem *Yn* & motum *Yam* ac per quinque elementaria Principia efficiens & producens omnes res, utitur aëre, seu aërea vel sensibili materia ad efformandum earum corpus aut figuram visibilem, simúlque eis indit rationem.

D. 8. Lib. *Cheu ye chin kiay* tom. 1. symbolo *Kien qua*, sic: Virtus primitiva seu magna, est illa, quâ res incipiunt produci; communicativa, quâ res augescunt seu crescunt; directiva, quâ res in fructum tendunt; perfectiva, quâ res fructûs perfectionem acquirunt.

E. 9. Lib. *Ven hien tum kao*, seu universalis inquisitio priscorum tum librorum tum Sapientûm, tom. 278. agit de omnibus stellis, earum nominibus, locis, declinationibus, ascensionibus, &c. Tomo 279. agit de 28. constellationibus Zodiaci sinici. Tom. 280. agit de 12. signis cælestibus, quæ sol & luna percurrunt; luna uno mense, sol uno anno. Agit de via lactea; de sole, luna, & quinque minoribus planetis. Tom. 281. de variis meteoris. Tom. 282. de solis eclipsibus ab Imperio Familiæ *Cheu* usque ad Imperium Familiæ *Han*. Tom. 283. de iisdem eclipsibus usque ad Imperium Familiæ *Sum*. Tom. 284. de variis & extraordinariis solis phœnomenis. Tom. 285. de lunæ eclipsibus & variis ejus phœnomenis. Tom. 286. de co-

cometis. Tom. 287. 288. 289. 290. de vario concursu, occursu, eclipsi lunæ cum quinque planetis, & quinque planetarum inter se ab Imperio Familiæ *Cin* usque ad Imperatorem *Nim Tsum* Familiæ *Sum*. Tom. 291. & 292. de variis stellis, de stellis cadentibus, aliisque phœnomenis cæli ab Imperio Familiæ *Cheu* usque ad eumdem Imperatorem *Nim Tsum*. Tom. 293. de quinque minoribus planetis, aliisque stellis quæ interdiu visæ sunt; quo anno ac mense. Tom. 294. de extraordinariis apparitionibus stellarum, & Iridis.

E. 10. Lib. *Xu Kim* seu liber Annalium Imperialium, tom. 1. cap. *Yao tien*, sic dicitur: tunc Imperator *Yao* duobus Præfectis *Hi* & *Ho* hæc injunxit: vos diligenter curate, ut ea, quæ ad solis, lunæ, planetarum & stellarum motus, & ad instrumenta pro his observandis pertinent, vasto cælo planè correspondeant. Et Capite sequenti *Xun tien* sic etiam ait: Imperator *Xun* examinavit sphœram armillarem, aliáque instrumenta mathematica suis tubis instructa, ad ritè coaptandos cælo septem planetarum motus.

F. 11. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao*, seu selecta magni Commentarii de Natura & Ratione, tom. 8. art. *Tay Kie* sic: *Tay Kie*, inquit Doctor *Chu hi*, id est ratio; motus & quies, id est aër seu aura vitalis. Dum aura vitalis agit, etiam ratio agit; hæc duo sibi invicem cohærent, nec à se invicem separantur. Doctor autem *Chin* ex *Si xan* oriundus: unaquæque res, inquit, suam propriam habet rationem (nempe essentialem), & omnes simul ab unica origine procedunt; ideò *Tay Kie* dicitur unica omnium rerum origo. *Tay Kie* est vocabulum, quod omnium rerum rationes comprehendit...... *Tay Kie* non est quædam res constans ex figura & corpore seu materia; sed est summa Ratio, seu Rationis apex.

Idem Liber tom. 2. artic. *Chim xam* sic: Quod est summè verum, vanóque expers, dicitur *Chim*, hoc est vera ratio quam

quam Cælum indit, & res recipiunt; illam quidem omnes homines habent; ſed cur vir ſapiens ac excellens ſit ſapiens ac excellens, non eſt aliud niſi quod ipſe ſingulariter eam perficiat. *Chim* eſt id, quod dicitur *Tay Kie*...... quod Cælum indit, ac res ſeu creaturæ recipiunt, eſt ipſa naturalis vera ratio, ſine ulla mali admixtione.

Idem Lib. tom. 8. art. *Tien Ti* ſic: Cæli ac terræ virtus eſt Vacuum; Vacuum autem ſeu incorporeum eſt ſumma Bonitas. Deinde alibi iſtud Vacuum dicit eſſe Rationem. Multa ſimilia habentur in variis ejuſdem libri locis.

F. 14. Lib. *Chum Yum* ſeu immutabile Medium artic. 25. ſic: Veritas eſt principium & finis omnium rerum; & res quæ veritate caret, jam non eſt res; (v. gr. amor, addit Interpres *Cham kiu chim*, obedientia, fidelitas ſi veritate careant, jam nec amor, nec obedientia, nec fidelitas eſſe cenſentur); idcircò quod in omni re vir ſapiens magni æſtimat ac ſpectat, eſt veritas. Idem Liber in eodem artic. 25. uti & in 20. 21. 26. multa adhuc ſimilia dicit de veritate.

F. 3. Lib. Rit. tom. 4. cap. 9. *Ly yun* ſic: Ritus honeſtatis fundantur in prima ſeu ſuprema veritate.

F. 4. Lib. *Su xu mum yn* tom. 15. ſic: Hîc per primum Vacuum intelligitur Ratio. Idem liber ibidem, & in aliis tomis multa diſſerit de ratione, veritate, bonitate, &c.

PARS

PARS PRIMA.

Ethica Monastica.

ETHica Monastica versatur circa actiones humanas, quatenus homo est persona privata. Istarum igitur actionum humanarum examinabimus aut inquiremus, primò Principia finalia; secundò Principia effectiva; tertiò Principia coeffectiva; quartò Proprietates; quintò Species. Itaque

CAPUT I.

De Principiis finalibus humanarum actionum.

PRincipia finalia sunt finis & beatitudo. Finis & beatitudo sunt bonum relativum. De his ergo tribus ordine dicamus.

SECTIO I.

De Bono.

BOnum aliud absolutum, aliud relativum. Bonum relativum juxta Sinas definitur, id quod potest appeti; seu est quid appetibile ac desiderabile; Malum enim quà malum non potest appeti (A). & istud Bonum consistit in convenientia ac conformitate, quam habet cum Cæli lege, & hominis corde (B).

Bonum juxta Aristotelem Lib.1.magn. Moral.sumitur diversimodè, illúdq; sic dividit: Primò in Bonum per essentiam seu Bonum bonitate ab alio non acceptâ, ut Deus; & in Bonum per participationē, seu Bonum bonitate ab ab alio derivatâ, ut omnis Creatura. Secundò in facultates seu Bona fortunæ ad bonum vel malum usum indifferentia, ut honores, divitiæ, &c. Tertiò in Bona laudabilia, ut virtutes. Quartò in Bona honorabilia, seu Bona propter se tantùm expetenda, ut beatitudo objectiva.

Jam verò Sinæ sic etiam diversimodè de Bono differunt.

Primò juxta illos, Cælum seu cæli Dominus est primum ac supremum

mum Bonum; Cæli enim via caret omni iniquitate, estque semper rationi & æquitati conjuncta (C). proh! quàm magnum, inquiunt, est Cælum! ejus rectitudo, æquitas, fortitudo, constantia est longè purissima, integerrima, perfectissima (D). Deinde ab illa supremâ & absolutâ bonitate, quæ sæpe vocatur Cæli lex aut Ratio, derivatur & infunditur in homine natura rationalis, virtutum seminibus fœcunda (E). Hæc natura rationalis prout infunditur aut derivatur, uti optimè probat Memcius, est bona (F); nempe habet bonitatem derivatam ac participatam.

Secundò opes, honor, fama sunt quidem Bona fortunæ; sed hæc Bona sunt tantùm id, quo jubemur bene agere seu Bonum exercere; ad hunc enim finem à Cælo dantur (G).

Tertiò virtus est etiam Bonum: Virtus enim est generale Boni nomen; & Bonum, est verum virtutis opus. (H.)

Quartò denique summa perfectio, in qua animus hominis quiescit ac sistit, est ultimatum Bonum. (I.)

Hæc omnia videntur satis cohærere cum Aristotelis doctrina de Bono. Nunc de fine.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. 2. Memcii cap. 8. *Cin sin hia* sic ait: Id quod potest appeti, dicitur Bonum. Deinde Interpres *Chu hi*; quod est bonum, inquit, communis ratio dictat id esse appetibile; quod est malum, id esse odibile.

B. 2. Lib. *Su xu che kiai*, seu Interpres *Cham kiu chim* tom. 26. ad eumdem textum sic: Siquis in componendis suis moribus se conformet Cæli rationi & hominis cordi, spectando dumtaxat id quod est appetibile, & non id quod est odibile, potes inde intelligere ac scire vera eum bonitate pollere, & malitiâ carere.

C. 3. Lib. Rituum tom. 9. cap. 32. *Piao ki*, sic Interpres *Chin hao*: Cæli via, inquit Doctor *Liu*, ab omni iniquitate immunis, semper rationi & æquitati cohæret. Princeps ad gerendum vicarium Cæli regimen, quo omnes istos populos regat, debet unam tantùm Cæli rationem; & æquitatem sibi proponere. Cæli ordo, Cæli dispositio, Cæli lex, Cæli ultio, hæc omnia sunt ipsum Cælum.

D. 4. Lib. *Te Kim*, seu mutat. ac product. in symbolo *Kien qua* sic: proh! quàm magnum est, &c. ut suprà in contextu.

E. 5. Lib. *Ge kiam su xu*, seu quotidiana quatuor librorum classicorum explicatio ab hoc Imperatore *Kam hi* in lucem edita, tom. 2. in Librum *Chum Yum* art. 1. sic: Cælum producens hominem, postquam aërem seu materiam sensibilem ei dedit ad corporis compositionem, tunc ei rationem infundit ad constituendam naturam, nempe rationalem. Idcircò Natura seu Ratio quatenus in Cælo existit, dicitur virtus magna seu prima, communicativa, directiva, perfectiva; & ab hac quatuor anni tempestates, quinque primaria rerum naturalium Principia universalia, omnes rerum species, omnes rerum mutationes ac productiones profluunt. Quatenus in homine existit, dicitur congenita pietas, æquitas, honestas, intelligentia; & in hac quadruplex naturalis affectus misericordiæ, verecundiæ, reverentiæ, rectitudinis; quintuplex humanæ conditionis ordo, omnes hominis res & actiones concluduntur. Hujus rationis infusio ac receptio est instar legis aut præcepti à Cælo impositi; atque hoc est, quod vocatur ratio naturæ infusa.

F. 6. Lib. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* sic Interpres *Cham kiu chim* tom. 23.: Ingenita naturæ rationalis bonitas ad virtutem sequendam, est ita illi propria, sicut gravitas aquæ est illi propria ad currendum deorsum. Nullus est enim, qui ex suæ naturæ bonitate non spectet virtutem sequi; sicuti nulla est aqua, quæ ex suæ naturæ gravitate non spectet deorsum currere. Jam verò si aqua aut vento aut aliâ re impellatur, potest quidem fieri, ut elatis subsiliens undis caput tuum transcendat; quin imò si ejus alveus aggere coërceatur, fieri poterit, ut sursum retorquens undas, ad montem usque ascendat, eúmque cooperiat; sed num fortè dices hanc esse naturalem aquæ propensionem & effectum? ita etiam potest fieri, ut homo pravâ cupiditate abreptus in malum ruat; at ille tunc se habet, ut aqua aut caput transcendens, aut montem cooperiens; ille enim obsistit innato suæ naturæ rationalis ductui aut propensioni; quia natura rationalis, utpote ex se bona, innatâ propensione seu ductu in bonum tendit. Deinde paulò pòst, discipulus *Kum tu* sic interrogat Magistrum suum Memcium: Natura humana haud dubiè habet

bet determinatam essentiam ; eccur igitur adeò discrepant hac in re Doctorum Sententiæ ? Discipulus enim *Kao Tsu* asserit naturam nec esse bonam, nec malam ; adeóque nec virtutem, nec vitium hominis ex ipsa natura oriri. Alii dicunt naturæ humanæ essentiam non esse ex se determinatam ; sed posse fieri bonam, si bonis moribus ; malam, si malis moribus imbuatur, &c. Quidam alii volunt naturam, prout producitur, aliam esse bonam, aliam malam ; aliam ita determinatam ad virtutem, ut vitiis infici ; aliam ita determinatam ad vitium, ut virtutibus exornari nequeat, &c. Tu verò, Magister, asseris nostram naturam ex se esse bonam ; ergóne omnes illi errant ? cui Memcius : Natura, inquit, in se difficilè cognoscitur ; ut autem scias illam esse bonam, innatum ejus affectum inspice ; quod attinet ad innatum ejus affectum, non potest non dici bonus ; unam enim dumtaxat spectat rectam rationem, unam morum honestatem, unam cordis rectitudinem. Jam verò quia hic innatus affectus est bonus, ideò ego assero naturam ipsam etiam esse bonam. Quod spectat ad illos perditos homines, qui cæcè & effrænatè in scelera ruunt, id sanè non potest vitio verti naturali humani affectûs facultati, culpáque in potentiam regeri ; sed ex prava cupiditate, quæ humanum cor excæcat, naturæque rectitudinem pervertit, id malum oritur.

G. 7. Lib. *Sim li ta ciuen guei yao* tom. 2. art. *Fu quey*, sic : Viri sapientis honor in recta vivendi ratione ac sui victoria situs est ; ejus opes in corporis tranquillitate consistunt ; hinc semper vivit contentus & lætus ; coronas, aurum, gemmas, tamquam pulverem ac ferrum parvi pendit.

Item Libellus *Mim sin pao kien*, seu cordis speculum art. 5. *Chim Ki* sic : Qui plus virtute quàm divitiis, sapiens ; qui plus divitiis quàm virtute affluit, insipiens dicitur.

H. 8. Lib. *Xu Kim* tom. 3. cap. *Hien yeu ye te*, Interpres *Tsay xin* sic : Virtus est universale Boni nomen ; & Bonum, est verum virtutis opus ..... Virtus complectitur omne bonum ; nisi enim spectaret Bonum, non posset illam unicam ac purissimam æquitatem ac rationem tot diversarum rerum continere ; Bonum siquidem ab unico & purissimo ente procedit.

L 9. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta hio* art. 1. sic : Adultorum ac magnorum virorum doctrinæ ratio consistit in his tribus : Primò in reparanda rationalis suæ facultatis primigenia claritate, &c. Secundò in renovandis populis, sive proximo, &c. Tertiò in sistendo in summa bonitate ac perfectione instar viatoris, qui domum appulsus, tandem sistit ac quiescit. Vir enim sapiens sive suæ reparandæ, sive alienæ renovandæ primitivæ rationalis facultatis claritati vacet, non debet nisi in adepto ultimæ & summæ perfectionit ac bonitatis apice sistere aut quiescere.

SECTIO II.

De fine.

JUxta Aristotelem *finis, est bonum, quod propter se expetitur*, vel *est id, cujus gratiâ aliquid fit.* Omne agens agit propter finem vel *materialiter*, non cognoscendo rationem finis ac mediorum, neque proportionem mediorum cum fine : sicut bruta, plantæ, inanima ; vel *formaliter*, cognoscendo finem & media, media ut media, finem ut finem : sicuti homo & substantiæ intellectuales. Omnia enim bonum appetunt.

Deinde finis dividitur in finem agentis & actionis ; in finem intermedium & ultimum ; & ultimus in finem ultimum secundum quid & ultimum simpliciter. Finis simpliciter est beatitudo.

Jam verò quid Sinæ de hoc fine multiplici dicant, videamus.

Juxta illos unaquæque res habet à Cælo inditam propensionem, ut tendat ad acquirendam debitam suam perfectionem ; unde debita illa perfectio prout acquirenda, est finis cujusque rei (A). Homo tendit ad eam acquirendam, ratiocinando ; cetera sine ratiocinio (B). Finis hominis ultimus simpliciter, est summum Verum, ac summum Bonum. Tota enim hominis vita dirigenda est ad acquirendam summam veritatem tum speculationis in mente, tum affectionis in corde, tum actionis in opere. Deinde sicut nulla res est, quæ non habeat in quo sistat ac quiescat ; ita hominis ad sistendum & quiescendum finis ac locus, est summa bonitas atque summa actionis perfectio (C). Finis ultimus secundum quid, est beata omnium populorum in toto Imperio vita ac pax ; intermedius est pium & æquum

Fa-

Familiæ ac Regni regimen. Finis *actionis*, quâ quis bene agit, eſt renovatio ſui; finis *agentis* eſt renovatio proximi (D).

Ita de finibus agit Philoſophus Sinenſis.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Cheu ye chin kiay* tom. 1. ſymbolo *Kien qua* ſic: Cælum in producendis rebus non tantùm dat illis initium & augmentum, ſeu non tantùm dat illis eſſe & conſervari, ſed etiam efficit, ut unaquæque id, quod accepit, perficiat, perfectúmque conſervet.

B. 2. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 9. art. *Gin ue chi ſim* ſic: Beſtiæ ſunt quidem homini ſimiles, ſed non poſſunt ratiocinari. Sic autem illarum natura facta eſt, ut ingenito & ultroneo impetu agant; non opus habent diſcere, aut doceri, v. gr. ad faciendos ſuos nidos, ad alendos ſuos pullos, &c. Contrà verò homo quamvis intelligendi facultate polleat, continuo tamen debet animum ſtudio fatigare. Unum eſt dumtaxat, quod abſque diſcendi labore ultrò operatur; lac nempe Matris in infantia ſugere.

C. 3. Lib. *Chum Yum* ſeu immutabile Medium, ſic Interpres *Cham Kin chim* tom. 2. ait: Quamvis præfatæ novem imperandi leges cuilibet Imperatori communes, ſint inter ſe omninò diſſimiles; modus tamen, quo debet illas omnes in praxim deducere, unus atque idem eſt; nempe cordis & operis veritas; in corde, affectûs veritas; in opere, effectûs veritas. Abſit omnis fucus & ſimultas. Porrò veritas non tantùm ad has novem imperandi leges, ſed etiam ad alias omnes res ſe extendit; omnis enim res, quæ ad veritatis metam priùs dirigitur, feliciter ſtabilitur; quæ non dirigitur, infeliciter labitur, &c. Duplex eſt veritas, alia ſpeculationis, alia actionis; alia cognoſcendæ, alia exercendæ virtutis; illa prior, hæc poſterior; ad utramque tota hominis vita, ut immutabile rectè vivendi Medium poſſit tenere, dirigenda atque conformanda eſt.

Et paulò pòſt ſic: Ad mores & vitam ita rectè componendam, ut una virtutis veritas ſive in corde, ſive in opere eluceat, etiam datur recta via ſeu modus, qui ex vera Boni cognitione procedit; niſi enim perfectam veri Boni cognitionem, ſapientiæ ſtudio adeptus fuerit, non poteſt quis mores ac vitam ita rectè componere, ut

ut unam sive in corde, sive in opere, virtutis veritatem assequatur. Itaque ad veritatem, tamquam ad primum principium seu ultimum finem, omnia referri debent.

C. 4. Lib. *Ta Hio* seu, Adultorum doctrina art. 3. sic Interpres *Cham kiu chim* tom. 1. ait: Nulla res est, quæ non habeat, in quo sistat ac quiescat. Totus ille, inquit liber Carminum, Imperialis sedis districtus, etsi amplitudine mille studia complectatur, in hoc tamen terræ spatio nemo est, qui certum, in quo permanenter consistat ac tranquillè quiescat, locum non habeat. Vide, inquit idem liber Carminum, ut subflavi isti pipientes passerculi ad nidificandum, ad sistendum, ad quiescendum bellè sibi locum eligant in quodam alto nemorosi montis angulo. Quem locum cum legeret Confucius, sic olim aiebat: quod spectat ad sistendum ac quiescendum, minuta illa animalcula bellissimè nôrunt; numquid igitur in hac arte sistendi ac quiescendi debet homo prævalere brutis passerculis? horum passerculorum ad sistendum locus, est sylva montosa; hominis autem ad sistendum scopus, est summa bonitas, atque summa actionis perfectio.

D. 5. Lib. *Ta Hio*, idem Interpres *Cham kiu chim* tom. 1. sic: Hoc habet ferè omnis res, ut unum primariò, alterum secundariò spectet, similis arbori, quæ radicem & ramos habet. Deinde omne opus ex principio & fine constituitur. Sic hoc Sapientiæ seu adultorum hominum studium primariò spectat sui ipsius restaurationem, secundariò populi renovationem. Tanti operis principium, est cognitio ejus, in quo sistendum est; finis, adeptio ejus, in quo sistitur, &c. Hinc sapientes Principes olim dum volebant efficere, ut omnes in toto Imperio populi primitivam suæ rationalis facultatis erroribus ac vitiis obscuratæ claritatem repararent, ipsi priùs enitebantur suum Regnum seu Principatum rectè gubernare; volentes autem efficere, ut totus suus Principatus rectè gubernaretur, ipsi priùs satagebant suam domum seu Familiam pulchro disciplinæ ordine, pace, concordiâ temperare; volentes efficere, ut tota sua domus pulchro disciplinæ ordine, pace, concordiâ temperaretur, ipsi priùs studebant suos mores ac vitam ritè componere, &c. Ubi quis Princeps totum suum Principatum rectè gubernat, tunc suo exemplo potest totum ipsum-

met

met Imperium commovere, ad virtutem allicere, componere, tranquillare, unicuique tranquillam ac beatam vitam procurare.

SECTIO III.

De Beatitudine.

Duplex juxta Philoſophos eſt beatitudo; alia objectiva, quæ nos ſui poſſeſſione beatos reddit; alia formalis, quæ eſt ipſa Boni beatifici poſſeſſio, ſeu actio, quâ illud poſſidetur. Stoici dicunt beatitudinem objectivam conſiſtere in ſola virtute, quam Sapientiam vocant; hæc enim ſola reddit beatum, & ſeipsâ contenta eſt.

Ariſtoteles verò Lib. 1. Ethic. cap. 6. docet perfectionem cujuſque rei ſitam eſſe in propria operatione, v. gr. perfectionem oculi ſitam eſſe in bene videndo; citharœdi in bene citharizando, &c. Unde concludit ſummam hominis perfectionem, quæ eſt beatitudo, in ejus perfectiſſima operatione conſiſtere; ac proinde juxta illum beatitudo definitur: perfectiſſima animæ operatio, virtute utentis, in vita undique perfecta. Hinc idem dicit illam nec in divitiis, nec in honoribus, nec in voluptatibus conſiſtere.

Deinde Lib. ult. Ethic. cap. 7. ſtatuit duplicem beatitudinem, alteram ſpeculativam, quam in actione Sapientiæ præſtantiſſima, ſeu in DEI contemplatione conſtituit; alteram practicam, quam in perfectis virtutum moralium actionibus collocat.

Denique Lib. 1. Ethic. cap. 9. docet exercitio virtutis; & Lib. 7. Politic. cap. 1. ſapientiâ & probitate, beatitudinem comparari.

Jam verò juxta Sinas ſic:

Primò beatitudo formalis ſeu ſumma hominis perfectio conſiſtit in perfectiſſima virtutis & cognitione & operatione. Priſci enim Sapientes Sinæ volentes efficere, ut tota ſua voluntas in vero Boni amore, & in vero Mali odio firmiter ſtabiliretur, priùs per mentis ratiocinium ſtudebant aſſequi perfectam Boni ac Mali cognitionem (A).

Secundò divitiæ, voluptates, honores, præ virtute ſunt parvi facienda (B).

Tertiò Beatitudo objectiva, ſeu id, in quo hominis animus ſiſtit ac quieſcit inſtar viatoris, qui domum ſuam appulſus, tandem ſiſtit ac quie-

quiescit, est summa illa virtutis perfectio ac bonitas, quæ per sui ac proximi perfectam renovationem acquiritur (C).

Quartò hæc summa perfectio ac bonitas, tum quoad cordis affectum, tum quoad operis effectum; sita est in summa virtutis veritate. Veritas autem duplex est, altera speculativa ad ritè intelligendum, altera practica ad ritè agendum. Summa ergo virtutis veritas obtinetur, quando homo nihil prorsus intelligit, nisi quod rectum seu verum est; & nihil prorsus agit, nisi quod honestum seu bonum est; liber ab omni errore, & ab omni prava cupiditate (D).

Quintò denique ultima hujus summæ veritatis perfectio obtinetur, quando homo rectam suam rationem cum recta Cæli ratione, & suam voluntatem cum Cæli voluntate perfectè unit ac fit unum cum eo; ut fusius explicui in 1. Tract. de Cognitione primi Entis (E). Qui autem in recta vivendi via constanter usque ad finem perseverat, hujus virtus unitur Cælo (F).

Unde beati dicendi sunt, qui bene vivunt; qui turpes aspectus ab oculis, turpes sonos ab auribus, turpia verba ab ore, turpem locum à pedibus omninò proscribunt; malos socios nôn frequentant, res injustas non accipiunt; accedunt ad viros sapientes tamquam ad florum odores; fugiunt insipientes, tamquam serpentes;

Contrà verò miseri dicendi sunt, qui malè vivunt; qui in verbis fucum, in opere occultas turpitudines unicè quærunt, lucri avidi, virtutis simulatores, libidinum amatores, alienis malis gaudentes; qui bonos oderunt sicut hostis insidiatorem; qui tam facilè leges transgrediuntur, quàm famelici comedunt, & sitibundi bibunt (G).

Ex his sat patet, quà in re Sinæ ponant hominis beatitudinem, nimirum, ut antiqui Philosophi, omnia referentes ad summam virtutis aut actionis perfectionem.

Textus Librorum.

A. 1. in Lib. *Ta Hio*, sic Interpres *Cham kiu chim* tom. 1. ait: Homo sive suæ reparandæ, sive alienæ renovandæ primitivæ rationalis facultatis claritati studeat, non debet nisi in adepto ultimæ ac summæ perfectionis apice sistere. Idem paulò pòst sic: Prisci Sapientes volentes efficere, ut tota sua voluntas in vero Boni amore, & in vero

ro Mali odio firmiter ſtabiliretur, ipſi priùs per mentis ratiocinium conabantur aſſequi perfectam Boni & Mali notitiam, quæ conſiſtit in perſcrutandis ac cognoſcendis rerum omnium naturis, &c. Ubi autem noſtra mens rerum omnium naturas ac rationes clarè cognoſcit, tunc ultimum intelligendi apicem attingit.

Idem ibidem in 3. art. de Principe *Vu Kum* ſic ait: his verbis indicat conſummatam ejus virtutem ac ſummam perfectionem, quam ut ſiſtendi metam, in reparanda ſuæ rationalis facultatis primitiva claritate acquiſierat.

Nota cùm hic Interpres ſit ſatis fuſus, me interdum inhærere potiùs ejus ſenſui, quàm omnibus ejus verbis; vel potiùs ipſi ſenſui textûs originalis, quem ille fuſiori ſermone deducit.

B. 2. Lib. *Mim ſin piao kien* ſeu pretioſum cordis cognoſcendi ſpeculum, artic. 6. *Ngan ſuen* ſic: id quod homines, inquit Confucius, paſſim appetunt, ſunt honores & divitiæ; ſed ſi habeantur viâ non ſuâ, eas rejicit Sapiens; contrà, id quod homines paſſim averſantur, ſunt paupertas & abjectio; ſed ſi habeantur viâ non ſuâ, eas non rejicit Sapiens. Injuſtas illas divitias & honores, ego ſpecto ac æſtimo, ut nubes volantes.

B. 3. in Lib. *Ta Hio* art. 10. ſic Interpres *Cham kiu chim* tom. 1. ait: Primum quod maximè neceſſarium eſt ad bonum Regni regimen, utpote ejus radix, eſt virtus; opes ſunt quiddam ſecundarium, veluti rami ab hoc radice emanantes. Et paulò infrà ſic: Præfectus *Van ſun yu* in Regnum *Cin* (nunc Provinciam *Xan ſi*) miſſus fuerat legatus. Ibi à primo Regis Miniſtro *Chao Kien* interrogatus quaſnam res pretioſas poſſideret Regnum ſuum *Tſou*, (nunc Provincia *Hu Quam*); reſpondit: nullam rem pretioſam continet meum Regnum; in eo enim nec aurum, nec gemmæ, nec aliæ gazæ cenſentur res pretioſæ; ſed ſoli homines virtute præditi habentur pretioſi.

C. 4. Lib. *Ta Hio*, &c. Vide hìc ſuprà numero 1.

D. 5. in Libr. *Chum yum* art. 20. ſic Interpres *Cham kiu chim* tom. 3. ait: Hæc veritas, eſt via, ſeu recta ratio, quam Cælum dum producit hominem, ei infundit; veritatis ſtudium, eſt via, ſeu recta ratio, quam homo dum componit ac perficit ſuos mores, ſequitur. Illa veritas in agendo, id quod honeſtum eſt, ſine vi ac labore ſemper exequitur; in ſpecu-

 lan-

lando, id quod rectum est, sine studio & contentione semper assequitur; connaturali cursu medium rectæ rationis iter semper prosequitur; atque hic est vivendi modus, quem homo & scientiâ & virtute absolutus tenet. Veritatis autem studium in speculando, quod rectum est, cum studio & contentione discernit; in agendo, id quod honestum est, cum vi & labore exequitur; atque hic est vivendi modus, quem homo suæ perfectionis studiosus tenet.

Idem in art. 22. sic: Quamvis natura rationalis à cælo infusa contineat in se omnem rectæ rationis veritatem tam speculativam quàm practicam; speculativam ad ritè intelligendum; practicam ad ritè agendum; quia tamen plerique hominum vel erroribus excæcantur, vel vitiis corrumpuntur, vel cupiditatibus abripiuntur, ideò sæpe nec ritè intelligere, nec ritè agere, nec naturæ suæ rationalis munus explere nôrunt; solus autem vir verâ scientiâ, & verâ virtute perfectissimus potest totum naturæ suæ rationalis munus accuratè adimplere, nihil prorsus intelligendo, nisi quod rectum est, nihil prorsus agendo, nisi quod honestum est, liber ab omni errore, & ab omni prava cupiditate.

E. 6. Lib. *Cheu ye chin kiay* tom. 22. cap. *Xue qua* art. 1. sic: Doctrina libri Mutationum ac Productionum omnem omninò cujusvis rei rationem discutit, docétque homines, aliásque res seu creaturas totam suam explere naturam; quin imò ad se intimè uniendum cum ipsamet rationis & naturæ origine, quæ est Cæli lex arcano ac recondito modo assiduè voluens & agens, hominem tandem redire facit; quia obtento effectu, fit unio cum ejus causa.

E. 7. Lib. *Xi kim xue yo cie kiay*, seu compilatio Interpretum libri Carminum tom. *Xam tsum* odâ *Cham fa* sic: Tunc Imperatores Familiæ *Hia* nondum Cæli legem abjecerant. Cùm autem ventum est ad Principem *Tam*, hic opportuno tempore natus, cœpit in perfectionis studio ita quotidie crescere, ut ejus virtus ingenti splendore ad Cælum usque pertingeret, &c. Deinde sic pergit Interpres: *Ingenti splendore ad Cælum usque pertingeret*, id est, Cæli cor sibi devinciret, uniret, & cum illo unum faceret.

E. 8. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 9. artic. *Sin* sic: Hominis & scientiâ & virtute absoluti cor, est unum cum Cælo.

E. 9.

E. 9. Lib. *Ge kiam xu kim*, seu quotidiana libri Annalium Imperialium explicatio ab Imperatore *Kam Hi* in lucem edita, tom. 6. cap. *Hum fan* sic ait: Hinc vides Principem, qui vult perfectè Cælum imitari, se illi conformare, summamque perfectionem attingere, eum debere in omni verbo & opere se Cælo unire; nempe habere unam & eamdem voluntatem. Vide Tract. 1. de Cognitione primi Entis cap. 2. Quæst. 2. litteras V. & X.

F. 10. Lib. *Xu kim* seu liber Annalium Imperialium tom. 1. cap. *Xun tien* sub finem, Interpres *Tsay xin* agens de Imperatore *Xun*, quem liber ibi dicit moriendo longè ascendisse, sic ait: *ascendit*, id est, in Cælum ascendit. Juxta Ritus Imperialis Familiæ *Yn*, inquiunt Annales, ascendendo unitus est Cælo; id est, qui in recta vivendi via constanter usque ad mortem perseverat, illius virtus unitur Cælo.

G. 11. Lib. *Siao Hio* seu Parvulorum Doctrina cap. 5. artic. 1. hæc habet: Doctor *Kam cie chao* sic suos liberos ac nepotes instruebat: Triplex est hominum genus; aliud supremi ordinis, qui quamvis non doceantur, fiunt boni; aliud medii ordinis, qui postquam edocti sunt, evadunt boni; aliud infimi ordinis, qui quamtumvis edoceantur, persistunt esse mali. Primi, annon sunt ii, qui comparatam à natura habent bonitatem? secundi, annon ii, qui acquisitam studio habent sapientiam? tertii, annon ii, qui subversam ignorantiâ habent indolem? hinc, qui noverunt bene agere, beati; qui malè, miseri vocantur. Illi autem Beati, turpes aspectus ab oculis, turpes voces ab auribus, turpia verba ab ore, turpem locum à pedibus omninò proscribunt; malos socios non frequentant, res injustas non accipiunt; accedunt ad viros sapientes tamquam ad flores odoriferos; fugiunt insipientes tamquam serpentes & scorpiones; siquis fortè hos esse beatos negaverit, ei fidem non dedero. Contrà, isti Miseri, in verbis fucum & simulationem, in opere & otio occultas turpitudines dumtaxat quærunt; lucri avidi, virtutis simulatores, libidinum amatores, alienis malis gaudentes. Bonos oderunt, sicut hostis odit insidiatorem; tam facilè leges transgrediuntur, quàm famelici comedunt, & sitibundi bibunt. Levius malum, quod solent incurrere, est se cum vita perdere; gravius, est Familiam suam totam extinguere. Siquis fortè hos esse Miseros negaverit, nec ego etiam ei fidem dedero.

CAPUT II.

De Principiis effectivis humanarum Actionum.

PRincipia effectiva humanarum Actionum, sunt Animæ facultates; nempe Intellectus, voluntas, libertas. De his ergo ordine agendum. Sed priùs, quid sentiant Sinæ de Animæ origine, & essentia, singillatim videamus. Itaque

SECTIO I.

De Animæ origine.

PRimò, *Animæ origo juxta Sinas* est Cælum, seu cæli Dominus; sic enim dicunt: Magni cæli Dominus infundit homini internam naturæ rectitudinem (A): clara seu intelligens hominis facultas est recta ratio, quam Cælum illi infundit, diciturque lucida seu intelligens Cæli lex (B): recta illa ratio, quam à Cælo accipimus, dicitur naturalis facultatis essentia (C): clara seu intelligens facultas est id, quod homo à Cælo accipit; est vacua seu incorporea, est spiritualis, claréque perspicax; est capax omnium rerum rationes comprehendendi, & omnibus advenientibus negotiis occurrendi seu correspondendi. *Facultas*, idem est ac *habitio*, sive id quod habetur; verè enim illa habetur & accipitur, éstque lucida Cæli lex (D). Animus est totius hominis Dominus, suámque à Cælo habet rationem (E). Ita illi de Animæ origine.

Secundò, Natura rationalis infunditur corpori jam constituto; sic enim dicunt: Cælum producens hominem, postquam aërem seu materiam sensibilem adhibuit ad corporis compositionem, tunc illi rationem ad constituendam naturam infundit; Natura seu Ratio quatenus in Cælo residet, dicitur virtus seu principium magnum, communicativum, directivum, perfectivum; quatenus in homine existit, dicitur ingenita pietas, æquitas, honestas, intelligentia; nempe harum virtutum naturale principium. Hujus infusio & acceptio est instar legis ac præcepti à Cælo impositi; ideóque natura rationalis dicitur Cæli lex (F). Quod Cælum infundit, dicitur lex; quod homo accipit, dicitur natura; in rebus & actionibus, dicitur ratio, rationis usus, est lex (G). Ter-

Tertiò, ex his patet Animam hominis non ex ejus corpore, & ex quinque Sinensium elementariorum principiorum aggregato educi. Dum igitur Authores quidam Sinici videntur dicere illam ex iis educi, intelligendi sunt vel de Animæ effectu, seu vita secunda ab organis dependente, vel de hominis temperamento, vel de ejus ingenio; quia passim apud illos videre est hominis naturam his tribus modis sæpe accipi (H). Vide infrà in textibus.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Xu Kim* seu Annalium Imperialium tom. 2. cap. *Tam kao* sic: Magnus ille cæli Dominus infundit homini internam naturæ rectitudinem.

B. 2. Lib. *Ge kiam su xu* tom. in Libr. *Ta hio* art. 1. sic: Lucida seu rationalis facultas est id, quod Cælum in hominis corde infundit; est summè vacua seu incorporea, ab omni re (nempe materiali) libera, summè intelligens seu spiritualis, omnis cæcitatis expers, capax omnium rerum rationes comprehendendi, & omnibus advenientibus rebus, aut negotiis occurrendi seu correspondendi; idcircò dicitur lucida seu rationalis facultas. Quamvis autem hæc facultas ex se sit lucida seu luminosa; quia tamen in primo suo ortu ab accepto aëre seu re materiali coarctatur, & post ortum à pravis cupiditatibus excæcatur, ideò fit ut quandoque ejus claritas seu ratio offuscetur; verùm propriæ substantiæ lux seu ratio semper persistit.

C. 3. Lib. *Ge kiam su xu* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 27. sic: Illa ratio, quam nos à Cælo accipimus, dicitur facultatis natura seu essentia.

D. 4. Lib. *Su xu mum yn* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* sic: Clara seu intelligens facultas, &c. Ut suprà in contextu.

E. 5. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 10. artic. *Gin* sic: Animus est hujus corporis Dominus; & quam habet rationem, eam à Cælo accipit.

F. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 2. in Libr. *Chum yum* artic. 1. sic: Cælum producens, &c. Ut in contextu.

G. 7. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 9. *Sim Mim* sic: Quod Cælum infundit, dicitur lex; quod creatura accipit, dicitur natura. Quatenus Cælum dat, vocatur lex seu præceptum; quatenus nos accipimus, vo-

vocatur natura; quatenus in rebus & operibus apparet, vocatur ratio. Ratio, natura, lex redeunt ad unum & idem. Qui rationem ſcrutando, illam omninò exhaurit, is explet naturam; & qui explet naturam, is intelligit Cæli legem.

Cæli lex, idem eſt etiam ac Cæli via, quæ dum explicatur ut eſt agens, vocatur lex; lex enim eſt rerum cauſa efficiens ſeu effectiva. Et paulò infrà ſic: Ratio, inquit Doctor *Chu hi*, eſt Cæli eſſentia vel ſubſtantia; lex, eſt rationis uſus; natura eſt id, quod homo accipit; affectus, eſt naturæ uſus.

H. 8. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 9. artic. *Ki che chi ſim* ſic: Vita, inquit Doctor *Chim*, dicitur natura; dum ergo dicitur natura eſt aër, & aër eſt natura, id intelligitur de vita. Nempe vita eſt aura vitalis ſeu aër vitalis.

Ibidem paulò pòſt ſic: Dum Doctor *Cham*, ex pago *Hem Kiue* oriundus, explicat aëris vel vitalis auræ, (nempe vitæ) & temperamenti naturam vel eſſentiam; dicit etiam hominis naturam, aliam eſſe robuſtam, aliam debilem, aliam lentam, aliam præcipitem, aliam generoſam, aliam ignavam, aliam hebetem, aliam perſpicacem; non autem intelligit, ita eſſe Cæli ac Terræ naturam.

Ibidem paulò pòſt ſic: Dum habetur illa ratio, tunc habetur iſte aër; (nempe vita ſeu vitalis aura); cùm enim habetur aër, oportet ut inſit illa ratio; ſed ſi aër acceptus, ſit purus & clarus; tunc homo evadit & virtute & ſapientiâ inclytus, perinde ac ſi in pura & clara aqua exiſteret pretioſa gemma. Contrà verò ſi ſit ſordidus & obſcurus, tunc homo ſit hebes & inſipiens; perinde ac ſi in ſordida & obſcura aqua deliteſceret pretioſa gemma. Quod ergo dicitur *reparare primitivam rationalis facultatis claritatem*, eſt accipere illam pretioſam gemmam in aqua turbida exſtantem, & illam tergere.

Iterùm paulò pòſt ſic: Si tantùm accipiatur Ratio; tunc eſt illa interna naturæ rationalis rectitudo, quam cæli Dominus *Xam Ti* infundit; & prout hominis cor eam primò recipit, tunc certè in omnibus eſt eadem; ſed quia illa ut in homine exiſtit, eſt explicatu difficilis, ideò Memcius per ſuas qualitates & affectiones illam explicuit ſuo diſcipulo *Kum tu*. Plura ibidem vide his ſimilia.

H. 9. Lib. idem *Sim li*, &c. tom. 9. artic. *Ki tun chi ſim* ſic: Quia aër (nempe

pe hominis indoles aut temperamentum) alius rectus, alius perversus; ideò Ratio illa, quæ recipitur, alia fit recta, alia perversa juxta istam aëris diversitatem. Deinde quia etiam aër alius obscurus, alius clarus; ideò & Ratio, quæ recipitur, alia fit obscura seu hebes, alia clara seu perspicax.

Ibidem paulò pòst agens de natura rationali, quæ prout à Cælo producitur, est clara, sic ait: Ejus originis claritas ac puritas à Cælo est; ejus cursûs obscuritas ac impuritas ab homine procedit.

Habentur ibidem multa de hebetis ingenii, & temperamenti seu aëris rudis natura.

H. 10. Idem Lib. eod. tom. 9. artic. *Tsu hia kien lun tsay*, sic: Natura à Cælo oritur; dotes (nempe hominis) ab aëre, (nempe ingenio); si aër sit purus & clarus, dotes erunt claræ; si sordidus & obscurus, dotes erunt obscuræ.

H. 11. Lib. *Xu Kim* tom. 3. cap. *Tam Kao*, Interpres *Tsay xin* sic ait: Si illa interna naturæ rationalis rectitudo explicetur prout infunditur, (nempe à cæli Domino *Xam Ti*, de quo ibi agit), tunc ad nullam partem declinat, sive est recta & bona, &c. Si autem explicetur prout recipitur, tunc habetur majoris & minoris claritatis & obscuritatis, puritatis & impuritatis diversitas; ideò Magistro indiget, ut eam dirigat in viam rectam.

SECTIO II.

De Animæ Essentia.

PRimò, *Animæ nostræ Essentiam sic explicant Sinæ*: est Spiritus inscrutabilis, intelligens, rectam rationem continens, summè vacuus, (nempe ab omni re corporeà liber, seu incorporeus) summe perspicax, capax omnium rerum rationes ac naturas comprehendendi, omnibúsq; advenientibus rebus, aut negotiis occurrendi ac respondendi (A). Est hominis forma (B). Est rectitudo interior à Cælo infusa, complectens pietatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ, veritatis rationem, nec ad unam nec ad alteram partem declinans, seu tenens mediam Honesti viam quatenus infunditur, sed quatenus recipitur, concupiscentià plena est. Unde hominis natura, alia perspicatior, alia hebetior, alia obscurior; ideóque indiget Rege ac Doctore, qui eam dirigat in viam rectam (C).

Secun-

Secundò, variæ de Animæ essentia sententiæ sic referuntur apud Memcium: aliqui dicunt naturam hominis ex se nec esse bonam, nec malam; adeóque nec hominis virtutem, nec vitium ex natura oriri. Alii dicunt naturæ humanæ substantiam non esse ex se determinatam; sed posse fieri bonam, si bonis moribus; malam, si malis imbuatur; bonis autem moribus imbutam, tunc dici bonam; malis, malam; adeóque virtutem & vitium à moribus oriri. Quidam alii volunt naturam, prout producitur, aliam esse bonam, aliam malam; & illam quidem ita determinatam ad virtutem, ut vitiis infici; hanc verò ita determinatam ad vitium, ut virtutibus exornari non possit. Relatis hisce sententiis diversis ac refutatis aut rejectis, ipse Memcius asserit naturam hominis seu Animam prout producitur, esse ex se bonam, idque probat ex innato Animæ appetitu rationali, qui unam rationem, unam morum honestatem, unam cordis rectitudinem spectat. Hic innatus appetitus rationalis, qui ex natura tanquam proprietas emanat, est bonus; ergo & ipsa natura est bona. Quod verò attinet ad perditos illos homines, qui effrænatè in scelera ruunt, id non debet vitio verti naturali rationalis appetitûs facultati, culpáque in potentiam regeri; sed ex prava concupiscentia, quæ hominis cor excæcat, & naturæ rectitudinem pervertit, id malum oritur (D).

Tertiò, differentia Animæ hominis ab animabus Brutorum, aliorúmque viventium. Anima hominis non distinguitur ab aliis viventibus per vitam genericè sumptam, quæ est communis brutis & plantis; neque per potentiam loco motivam, sensitivam, & cognoscitivam, utpote quæ etiam brutis competit; sed per rectam rationem, quà pietatem, æquitatem, honestatem, prudentiam amplexatur (E).

Quartò, Animæ hominis spiritualitas. Nostram Animam à Sinis credi spiritualem, non materialem, hinc probatur: dicunt illam esse Spiritum, esse rectam rationem seu habere rectam rationem, esse intelligentem & ratiocinii capacem, ut jam suprà vidimus. Dicunt hominis cor seu animum comparatum cum aliis omnibus rebus sensibilibus, solum esse spiritualem (F): solum hominem habere superiorem excellentiam ac spiritualitatem, unà cum naturali aut innato misericordiæ, pudoris, reverentiæ, scientiæ affectu (G): animi nostri substantiam esse summè vacuam, (nempe materiæ expertem; vacuum enim

enim juxta illos est ratio; & ratio est ens verum ac reale, ut suprà vidimus in Tract. i. de Cognitione primi Entis cap. 2.): Esse spiritualem, esse naturali intelligentià præditam (H): istam animi vacuitatem esse sicut speculi faciem sine imaginibus; intelligentiam esse sicut speculi splendorem, qui res repræsentat; eà vacuitate posse omnium rerum rationes recipere (I). Dum igitur videntur aliquando Animam nostram cum re materiali confundere, dicendo illam esse aërem seu vitalem auram, & quid simile; intelligendi sunt, non de ipsa Animæ essentia, sed de ejus effectibus & operationibus, ad quas utitur sensibus & spiritibus materialibus; vel etiam ista intellige similitudinariè & tropicè dicta, ad repræsentandas animæ perfectiones; uti intelligendi sunt illi antiqui Philosophi, quorum alii ætherem, ut Diogenes; alii ignem ut Democritus; alii flammam, ut Heraclius; alii numerum ut Plato; alii aërem, alii harmoniam, &c. Animam esse dixerunt, ut sic nimirum illius subtilitatem, activitatem, vivacitatem, ratiocinationem, capacitatem, ordinationem adumbrare ac repræsentare possent. Sed nunc videamus quid de ejus facultatibus dicant.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 25. in Libr. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic ait: Inscrutabilis ille spiritus intelligens, qui in carneo hominis corde vix digitum lato, residet, dicitur cor seu animus. Recta ratio, quæ in hoc animo continetur, dicitur natura. Hic noster animus summè vacuus seu incorporeus, summè spiritualis, capax omnium rerum rationes comprehendendi, quamvis in se sit omninò perfectus; si tamen in perscrutandis ac cognoscendis rerum rationibus, quas ipse complectitur, diligenter non exerceatur, tunc & ratio offuscatur, & animus à pravis cupiditatibus illaqueatur.

A. 2. Lib. *Ge kiam su xu* tom. 25. in Libr. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic: Id quo homo constituitur sui totius Dominus ac Rector, est cor seu animus; cor est hominis spiritus intelligens, omnes rerum rationes in se complectens, & omnibus advenientibus negotiis seu operibus occurrens ac respondens.

B. 3. Libri *Xi kim* magnus Commentarius tom. *Ta ya* cap. *Tam* odâ *Chim*

min ſic : Omnes iſti populi à Cælo producti , & conſtant corpore quod eſt materia , & accipiunt rationem ſeu naturam rationalem quæ eſt forma.

C. 4. Lib. *Xu Kim* tom. 3. cap. *Tam Kao* , Interpres *Tſay xin* ſic : Interna hominis rectitudo , eſt illa lex quam Cælum infundit , & quæ complectitur pietatis , æquitatis , honeſtatis , intelligentiæ , veritatis rationem , (nempe ſemen harum virtutum) , nec ad ullam partem ſive dextram ſive ſiniſtram declinat. Id autem quod dicitur natura , eſt illa Cæli lex , quam homo recipit , complectens cordi congenitam pietatis , æquitatis , honeſtatis , intelligentiæ , veritatis rationem , ſcilicet radicem vel principium. Et paulò pòſt ſic : Dum dicitur Cælum producere homines cupiditatibus plenos, id intelligitur de affectionibus ſeu paſſionibus ; dum autem dicitur cæli Dominus *Xam Ti* infundere hominibus deorſum degentibus internam rectitudinem , id intelligitur de natura ſeu ratione.

C. Vide præterea in textibus præcedentis Sectionis litteram ultimam (H).

D. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tſu xam.* Vide ſuprà , Cap. 1. Sect. 1. litteram F. ibi habes textum.

D. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 20. in Libr. 2. Memc. cap. 2. *Li leu hia* ſic : quiſquis cupit , inquit Memcius , facile de rerum natura diſſerere , cùm hæc oculis videri nequeat , expedit ut ſtatim de ejus effectu, qui oculis patet , agat ; & inprimis quidem de effectu , qui ex natura ultrò profluit ; ſic enim poterit ad veram occultæ naturæ notitiam devenire.

E. 7. Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tſu xam* , ſic Interpres *Chu hi* : Quod ad me attinet , hoc modo ſentio : natura eſt recta ratio , quam homo à Cælo habet ; vita eſt aër, quem idem homo à Cælo habet ; natura eſt quid ſuperius & primarium ; aër eſt quid inferius & ſecundarium. Homines, ceteráque omnia viventia habent & naturam & aërem ; ſed quamvis quoad ad aërem ſeu vitam homo in cognoſcendo , ſentiendo, loco ſe movendo quaſi non differat ab aliis Animantibus ; tamen quoad rationem , quæ pietatem, æquitatem , honeſtatem , intelligentiam vel prudentiam continet , ubinam ſanè iſta Animantia eam habent perfectam ? (quia nempe habent inſtin-

ctus

ctus quosdam naturales quasi imperfectæ rationis, sive similitudinariæ pietatis, æquitatis,&c. Vel posset fortè sic verti: ubinam sanè ista Animantia eam habent, suntque omninò perfecta?) hinc hominis natura est ex omni parte bona, & omnes reliquas res spiritualitate ac intelligentiâ transcendit.

E. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Libr. 2. Memc. cap. 5. *Kao tsu xam* sic: Ergóne, reponit Memcius, natura bovis, cui inest vita, non erit diversa à natura hominis, cui etiam inest vita? si vitam tantùm spectes, quâ homo cognoscit, sentit, se loco movet, vix quidem à brutis discrepat; sed si rectam rationem, quâ pietatem, æquitatem, honestatem, intelligentiam seu prudentiam sequitur, spectaveris; tunc certè magnum discrimen in istis duobus reperies.

F. 9. Lib. *Ge kiam xu kim* seu quotidiana libri Imperialium Annalium explicatio tom. 6. cap. *Tay xi* sic: Quamvis omnes res cælum inter & terram æqualiter producantur; solus tamen homo auræ vitalis decus obtinet; dum enim cum aliis omnibus rebus confertur, solum ejus cor seu animus est spiritualis ac intelligens.

G. 10. Lib. *Xu Kim* tom. 4. cap. *Tay xi*, Interpres *Tsay xin* sic: Inter omnes res, quæ producuntur, solus homo obtinet singularem excellentiam, estque spiritualis ac intelligens, complectens naturalem misericordiæ, pudoris, reverentiæ, rectitudinis affectum, capax omnium bonorum ac virtutum; ejus sciendi vis longè diversa est ab aliis Animantibus.

H. 11. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta hio* art. 1. sic: Hæ voces, *clara seu rationalis facultas*, id est humani cordis vacui seu incorporei, spiritualis, intelligentis, clari, apti ad comprehendendas omnium rerum rationes, atque ad omnibus advenientibus negotiis ac rebus occurrendum respondendúmve ipsamet substantia, seu essentia.

I. 12. Lib. *Su xu mum yn* tom. 1. in Libr. *Ta hio* art. 1. sic: Ista animi vacuitas est sicut speculi facies vacua, seu sine imaginibus; intelligentia est sicut speculi splendor, res repræsentans,&c. Ratio cur noster animus possit omnium rerum rationes complecti, est, quia est vacuus.

SECTIO III.

De Animæ Intellectu.

PRimò, *Intellectûs definitio & actus juxta Sinas.*

Intellectus est humani cordis vis intellectiva ac facultas, quæ à natura habetur (A). Vocatur etiam cor, quod est sicut speculum. Cordis autem actus, est intellectio; sive, ut ait Doctor Sinensis: nostrum cor & substantiam & usum continet; posse complecti omnium rerum rationes, istud est ejus substantia seu essentia; correspondere & occurrere omnibus rebus ac operibus, istud est ejus usus. Esse quietum sine motu, est ejus substantia; moveri & statim penetrare seu intelligere, est ejus usus. Substantia est id, quod dicitur natura, quia exprimitur ut est quid quietum. Usus est id, quod dicitur actus, quia exprimitur ut est quid motum (B). Quod sine cura potest homo inteligere, id provenit ex ejus naturali intelligendi facultate, seu intellectu (C).

Secundò, Intellectûs proprietas. Sicut auris proprietas est audire, & oculi, videre; ita intellectûs proprietas est rerum rationes cognoscere ac penetrare, ut possit in rebus vel auditis vel visis honestatem à turpitudine distinguere. In bono autem ac stabili hujus intellectivæ facultatis usu maximè consistit sublimis illa virorum sapientium dignitas, quâ ab insipientibus homunculis discernuntur (D.)

Tertiò, intellectûs perfectio. Hæc consistit in assequenda perfecta Boni ac Mali notitia, quæ acquiritur, dum studiosè perpenduntur ac distinctè penetrantur omnes intimæ & extimæ, seu intrinsecæ & extrinsecæ, subtiliores & rudiores, altiores & humiliores rerum rationes ac naturæ, ritè distinguendo veritatem à falsitate, honestatem à turpitune, lucem ab umbra; tunc enim intellectus noster omnimodam claritatem & suam ultimam perfectionem obtinet (E). Deinde qui rerum naturas ac rationes ritè cognoscit, etiam quid sit Cælum, seu cæli Dominus, statim intelligit (F).

Quartò, Intellectûs nostri differentia à Brutorum potentia cognoscitiva. Solus, inquiunt, homo habet facultatem lucidam, seu rationem vel intelligentiam; aliæ res sensibiles non habent, nec sunt ejusdem cum eo speciei (G). Magnam quidem habent bruta cum homine similitudinem, sed carent ratiocinandi facultate (H). Solus homo habet diversam

sam cognitionem ab aliis rebus (I). Discrimen inter hominem & bruta, est quòd homo intelligat, bruta non intelligant; quòd homo habeat rectam rationem, illa non rectam, (id est, bruta sint irrationalia); quòd homo habeat auram vitalem perfectam, bruta imperfectam. Prætereà inter ipsos homines datur etiam differentia ingenii acutioris & obtusioris (I).

Ex his sat patet, quid Sinæ sentiant Sinæ de hominis intellectu; Nunc de voluntate.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu mum yn* tom. 4. in Libr. *Chum yum* art. 20. sic: Vis intelligendi, vis piè seu rectè agendi, & vis fortiter agendi sunt tres facultates nobis à natura comparatæ, & nobiscum congenitæ. Idcircò nullus est homo, qui eas non habeat; habitâ autem vi intelligendi, tunc potest homo istam rem intelligere, &c. Ideò dicitur facultas intelligendi esse id, quo aliquid intelligimus. Et paulò pòst sic: Nisi illa vis intelligendi esset nobiscum congenita, nostræque naturæ insita, licèt aliquis multo cum labore animum applicaret ad quidpiam intelligendum, non tamen posset illud assequi.

B. 2. Lib. *Sim li ta ciuen guei yao* tom. 9. artic. *Sin* sic: Nostrum cor, inquit Doctor *Chim*, seu noster animus est unus: si accipiatur pro ejus substantia, est quid quietum sine actione; si accipiatur pro ejus usu, est id, quod ubi ab objectis movetur, statim rerum causas pervadit seu intelligit. Et paulò infrà: est sicut pura speculi facies, quæ nullam rerum speciem non admittit. Adhuc ibidem paulò pòst sic: Nostrum cor, inquit Doctor *Chin*, & substantiam & usum continet; posse complecti omnium rerum rationes, &c. ut suprà in contextu.

C. 3. Lib. 2. Memc. cap. 7. *Cin sin xam* sic: Quod homo, inquit Memcius, absque arte & discendi labore potest agere, id naturali ejus agendi facultati seu voluntati tribuitur; quod absque studio & meditandi cura potest intelligere, id naturali ejus intelligendi facultati seu intellectui adscribitur.

D. 4. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* sic: Quandoquidem omnes homines quoad substantiam sint pa-

res, inquit discipulus *Kum tu*, videtur debere inesse in omnibus par paris substantiæ cura; eccur igitur alii nobiliorem & potiorem suæ substantiæ partem, alii ignobiliorem & inferiorem adeò dispari curâ & effectu colunt? Id ex vi intelligendi seu ex intellectu & cognitione oritur, reponit Mencius. Diligenter adverte, istud fusiùs explico. Auris munus, est audire; oculi, videre; sed nec ejus quod audit auris, nec ejus quod videt oculus, rationem cognoscit; hinc fit, ut oculus grato colorum, & auris blando vocum lenocinio facilè irretiatur atque pervertatur. Pellax igitur colorum venustas oculos, vocum suavitas aures cognitione carentes impetens, sine difficultate pravam illis visionem atque auditionem ingerit. Cordis autem munus, est cognoscere, & rerum rationes penetrare. Si ad res auditas vel visas rectè utatur suâ cognoscendi facultate, tunc absque errore illarum honestatem aut turpitudinem facilè assequitur; si non rectè utatur, non assequitur. Atque ita vera rerum notitia & ignorantia ex corde profluit; & idcircò cor dicitur nobilior & potior humanæ substantiæ pars. Hæc quidem tria, auris, oculus, cor nobis à Cælo donantur; sed horum maximum, ac primum omnis visionis & auditionis principium est cor. Hinc si istud maximum ac primum visionis & auditionis principium priùs bene stabilitum atque firmatum fuerit adversus omnes rerum videndarum atque audiendarum pravos incursus, nulla turpis posteà colorum aut vocum species poterit pravam oculo visionem, pravam auri auditionem, minoribus nempe ac secundariis principiis afferre. In hac autem rectè cognoscendi vi firmiter stabilienda adversus pravos rerum videndarum & audiendarum incursus, præcipuè consistit sublimissima illa magnorum Heroum excellentia, quâ à vilibus homunculis secernuntur. Illa est cælestis dignitas, quæ illos suprà commune vulgus longè altiùs evehit.

E. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta hio* art. 5. sic: Quod autem asserit Confucius, *modum assequendi perfectam veri Boni, & veri Mali notitiam consistit in perscrutandis rerum naturis ac rationibus*, significat his verbis eum, qui vult, ut sua mens perfectum intelligendi apicem consequatur atque attingat, debere in quavis re totam illius naturam veràmque rationem perscrutari, atque penitùs exhaurire. Nullus

lus est enim humani cordis spiritus, qui non habeat vim intelligendi, seu intellectum; & nulla est in toto orbe res, quæ non habeat naturam. Dum quis autem nondum satis perscrutatus est rerum naturas, eorúmque rationes nondum plenâ cognitione exhausit; tunc ejus intellectus seu vis intelligendi, non habet ultimam suam perfectionem, nec perfectam claritatem. Idcircò Adultorum doctrina statim in ipso suæ institutionis principio monet suos Alumnos, ut quæcumque in orbe res exstant, harum omnium naturas atque rationes exquirant, magis ac magis pervestigent ac mente scrutentur, novóque semper conatu ac progressu intimam illorum essentiam rimentur, nec desistant donec ultimum perfectæ cognitionis terminum assecuti fuerint. Postquam enim longo studio & assiduâ diligentiâ in hanc rem incubuerint, aliquando tandem fiet, ut omnia ac singula clarè distinctéque cognoscant; atque hoc modo omnium rerum rationes intrinsecas & extrinsecas, subtiliores & crassiores, sublimiores & humiliores perfecta cognitione assequi poterimus, nostrique cordis tota substantia, magnúsque ejus usus omnimodam claritatem obtinebit. Illud, perfecta rerum notitia ac comprehensio; hoc, summa nostri intellectûs perfectio, ultimúsque intelligendi apex vocatur.

F. 6. Lib. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic: Qui omni diligentia totam sui cordis seu mentis capacitatem explere potest, hic & suam & rerum omnium naturam cognoscit; qui autem & suam & rerum omnium naturam cognoscit, hic quid sit Cælum, etiam cognoscit.

G. 7. Lib. *Su xu mum yn* tom. 1. in Libr. *Ta hio* art. 1. sic: Quod doctrina Adultorum hîc vocat *claram facultatem*, est id quod Liber immutabilis Medii dicit: *Cæli lex, est natura*; sed ista vox *natura* in libro immutabilis Medii simul complectitur & hominis, & aliarum rerum naturam; sed hìc *clara facultas* indicat tantùm hominem; aliæ res eam non habent, nec sunt cum eo ejusdem speciei.

H. 8. Lib. *Sim li ta ciuen guei yao* tom. 9. artic. *Gin ue chi sim* sic: Bestiæ sunt quidem homini prorsus similes; sed non possunt ratiocinari.

I. 9. Lib. *Xu Kim* tom. 4. cap. *Tay xi* Interpres *Tsay xin* sic: Vide ejus verba in Sectione præcedenti, littera G.

L. 10.

L. 10. Lib. *Sim li ta ciuen gui, jao* tom. 9. [illegible] *chi sim* sic : Nulla res est, inquit Doctor *Cham*, quæ non habeat naturam; sed quia alia est perspicax, alia non perspicax; alia aperta, alia clausa; hinc habetur inter homines & alias res differentia. Deinde quia natura non perspicax, alia paulò subtilior, alia paulò obtusior; hinc rursus oritur inter ignorantem & intelligentem diversitas. Natura quæ est clausa, non potest aperiri, (nempe natura brutorum quæ non potest uti ratiocinio, sive est irrationalis); quæ est obtusior, potest quidem aperiri, sed magna cum difficultate; quæ est subtilior, sine difficultate potest aperiri. Paulò infrà sic : Natura quatenus recipitur, alia recta, alia non recta, (nempe rationalis & irrationalis); hinc in suo esse constituuntur homines & aliæ res, nempe bestiæ, ideòque harum natura diversa est ab hominis natura per aliquid subtilissimum; cum enim illorum natura sit clausa, nec aperiri possit; ideò non clarè cognoscunt sicut homines; & cum sit non recta, nec possit rectificari, ideò facultatibus aus dotibus non præstant sicut homines.

Ibidem paulò infrà sic : Quod attinet, inquit Doctor *Chu hi*, ad illam unicam omnium rerum originem, ratio quidem est eadem, sed aura vitalis (nempe vita) diversa. Et paulò infrà : Cognoscere, sentire, loco se movere, id ex vitali aura provenit; exercere autem pietatem, æquitatem, honestatem, intelligentiam, id ex ratione oritur. Cognoscere, sentire, loco se movere, id & bestiæ possunt; quin imò naturaliter habent quamdam pietatem, æquiquitatem, honestatem, intelligentiam; sed quonam pacto possint eas perficere ? (id est, habent instinctus quosdam naturales similitudinariæ pietatis, æquitatis, &c. non verò perfectam seu veram pietatem, æquitatem, &c.)

Deinde paulò infrà sic pergit : Quia autem solius hominis cor seu animus est summè spiritualis vel summè intelligens, idcircò potest istas quatuor virtutes perficere, integras reddere, & erumpere in quatuor, qui sunt connaturales illis virtutibus, affectus misericordiæ, verecundiæ, reverentiæ, ac scientiæ; & quia Bestiarum vitalis aura est non recta, estque mixta (nempe materiæ), atque adeò illarum cor obscurum, clausum ac confusum; hinc non potest eas perficere, integrásque reddere. SE-

SECTIO IV.

De Animæ voluntate.

PRimò, *Voluntatis Definitio & actus juxta Sinas sic:*

Voluntas, est facultas volendi aliquid naturaliter, sive est naturalis hominis potentia ad agendum (A). Vocatur etiam cor. Unde cor juxta Sinas modò pro intellectu, modò pro voluntate sumitur, more nempe Sacræ Scripturæ, quæ vocem *cor* nunc pro voluntate, nunc pro intellectu usurpat. Actus voluntatis, est electa cordis productio; distinguitur à naturali cordis affectu in hoc, quod affectus procedat sine electione; actus voluntatis seu volitio cum electione (B).

Secundò, Voluntatis proprietas. Ejus proprietas est vero amore Bonum prosequi, & vero odio Malum aversari; sed ad hoc debet præcedere vera Boni, & vera Mali notitia per mentis ratiocinium habita (C). Hac adeptâ notitiâ, tunc voluntas potest sive in corde, sive in opere perfectam virtutis veritatem amplecti (D).

Tertiò, Voluntatis perfectio. Ejus perfectio est ita veritatem quærere ac colere, ut vitium eo modo oderit, quo homo fœtorem odit; ac virtutem eo modo amet, quo homo pulchritudinem amat; & hoc dicitur seipsum satiare, vero gaudio seipsum implere; hæcque satietas ac gaudium nihil est aliud, quàm propriæ voluntatis sinceritas, ex qua oritur tota actûs bonitas. Cùm autem ista sinceritas nulli alii nota sit, nisi ei, in quo inest; ideò Sapiens unicè invigilat huic interiori suæ voluntatis solitudini, ut ab eâ omnem vel minimam simultatem expellat (E).

Hæc pauca sat indicant, quid Sinæ sentiant de voluntate. Quia autem ad actus moraliter bonos aut malos, nihil adeò facit ac libertas, quæ est primum actionis moralis principium; videamus nunc etiam breviter quid de illa dicant.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. 2. Memc. cap. 7. *Cin sin xam* sic: Quod homo, inquit Memcius, absque discendi labore potest agere, id naturali ejus agendi (nempe volendi) facultati tribuitur.

A. 2. Lib. *Ge kiam su xu* tom. 25. in Libr. Memc. cap. 7. *Cin sin xam*, explicans

explicans prædictum textum, sic ait: Dum homo aliquid facit, id provenit ex arte quam didicit; dum autem sine ullo discendi labore & arte aliquid ex se ipso facit, id ingenita nostræ naturæ potentia efficit; atque hæc est naturalis illius potentia, nempe vis volitiva seu voluntas. Item dum homo aliquid cognoscit, id provenit ex prævio studio, cui operam dedit; dum autem sine ullo prævio studio & inquisitione aliquid ex seipso cognoscit, id ingenita nostræ naturæ intelligentia efficit; atque hæc est naturalis illius intelligentia, nempe vis intellectiva seu intellectus.

B. 3. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 9. artic. *Sim* sic: cor est Dominus totius corporis; id quo ejus substantia seu essentia constituitur, est ipsa natura; quo autem in usum seu actum exit, est affectus.

B. 4. Lib. *Su xu mum yn* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* sic: Dum attentè considero quid sit cor, est tantum id, quod dominium servat; quod autem producit, est intentio. Et paulò pòst sic: Intentio est id, quod ex corde oritur; cor complectitur motum & quietem; intentio est dumtaxat motûs species. Hinc si spectes cor: in multa; si intentionem: in pauca dividitur. Paulò infrà sic: Intentio ab affectu distinguitur; intentio enim est volita cordis productio; affectus est tantùm naturæ motus; affectus exit à natura, quæ, prout objecta sese offerunt, sine intentione movetur; intentio autem est id, quod noster animus vult aut desiderat.

C. 5. Lib. *Su xu mum yn* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* ibidem in principio sic: Stabilire suam intentionem in veritate, est vero amore Bonum prosequi, & vero odio Malum fugere; sed nisi præcedat perfecta Boni & Mali notitia, quomodo potest quis & illud prosequi, & hoc fugere?

C. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Librum *Ta Hio* in principio sic: Prisci sapientes, aiebat Confucius, cùm vellent veram totius sui cordis rectitudinem acquirere, ipsi priùs suam intentionem seu voluntatem in vero Boni amore, & in vero Mali odio stabilire contendebant. volentes autem efficere, ut tota sua intentio seu voluntas in vero Boni amore, & in vero Mali odio esset stabilita, ipsi priùs per mentis ratiocinium conabantur assequi perfectam Boni & Mali notitiam

am; modus verò assequendi perfectam Boni & Mali notitiam consistit in perscrutandis rerum naturis ac rationibus, sive in Philosophiæ studio.

D. 7. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Librum *Chum Yum* artic. 20. sic: Ad mores & vitam ita rectè componendam, ut una virtutis veritas sive in corde, sive in opere resplendeat, datur etiam rectus modus, qui ex vera Boni cognitione procedit. Nisi enim quis diligenti sapientiæ studio perfectam veri Boni cognitionem adeptus fuerit, non potest mores & vitam suam ita rectè componere, ut unam virtutis sive in corde sive in opere veritatem sectetur.

E. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libri *Ta Hio* artic. 6. sic: Quod suprà Confucius ait *stabiliendam esse in vero Boni amore, & in vero Mali odio suam intentionem seu voluntatem*, significat his verbis, non debere hominem sibi ipsi illudere, nec seipsum decipere; sed debere ita sincero animo veritatem quærere ac colere, ut vitium eo modo, oderit ac fugiat quo fœtorem; & virtutem eo modo amet ac prosequatur, quo pulchritudinem. Et hoc dicitur seipsum satiare, seipsum summo gaudio implere, sibi ipsi facere satis. Illa sui ipsius illusio ac deceptio, nihil est aliud, quàm propriæ voluntatis simultas; hæc vero suipsius satietas ac gaudium, nihil est aliud, quàm propriæ voluntatis sinceritas. Jam verò cùm ista interna tum simultas, tum sinceritas, ex qua tota aut veri Boni, aut veri Mali diversitas oritur, nulli alteri nota sit, quàm ei, in quo inest; ideò Sapiens maximè ac singulariter invigilat interiori isti suæ voluntatis solitudini, quam solus ipse, & nemo alius cognoscit, ut ab ea omnem vel minimam simultatem expellat, & in ea omnem sinceritatem colligat.

SECTIO V.

De Animæ libertate.

PRimò, *Libertatis definitio & actus juxta Sinas sic*: Libertas est facultas sui Juris, ac Domina sui actus; est facultas determinativa, in totum nostrum corpus dominans, ac fundamentum virtutis exercendæ (A). Id quod ab ea producitur, dicitur actus intentus, sive intentio. Si hic actus honestati conveniat, est rectus; si disconveniat, est pravus. Intentio distinguitur ab affectu; nam affectus à natura erumpit; v. gr.

amor istius rei, est affectus: seu ratio ob quam volo amare istam rem, est intentio. Affectus est instar navis aut currus: intentio est instar hominis dirigentis navim aut currum. Affectus est natura in motu tantùm; intentio est tendentia in objectum determinatum; v. gr. amor & odium præcisè, est affectus; amor rei pulchræ, & odium rei deformis, est intentio; nempe actus liberè intentus, seu libera electio (B).

Secundò, Libertatis divisio. Primò libertas, alia est *contrarietatis* ad agendum bonum vel malum; duplex est enim, inquiunt, via: vel Boni vel Mali; sive duplex est via ad Bonum vel Malum: altera æquitatis, altera utilitatis. Dum facultas determinativa viam æquitatis sequitur; honestas & ratio dominatur. Contrà dum utilitatem sequitur, cupiditas & turpitudo dominium obtinet. Hinc differentia Heroum & homunculorum, sapientium, & insipientium, bonorum & malorum oritur (C).

Secundò, Alia est contradictionis ad agendum & non agendum; v. gr. Rex qui omittit pietatis & clementiæ opera erga suum populum exercere, non quia non potest, ea omittit; sed quia non agit, vel quia non vult ea exercere; sicut qui jussus abscindere parvum arboris ramum, eum non abscindit; is non quia non potest, non abscindit; sed quia non agit, vel quia non vult eum abscindere (D).

Tertiò, Alia est disparitatis ad multa bona disparata; v. gr. ad actùs sobrietatis, liberalitatis, clementiæ, &c. sic Rex potest amare fortitudinem & pietatem; utilitatem & æquitatem (E).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 15. in Libri Memcii cap. 3. *Kum sun cheu xam* sic ait: Tunc discipulus *Kum sun cheu* rursùs interrogat Magistrum Memcium: ausim Te, Magister, adhuc unum rogare: daturnè etiam aliqua firmandi nostri cordis ars? cui Memcius: homo ope unius sui cordis omnes res mundi pertractat; si in corde non habeat expeditum & liberum dominium, dum illæ ex improvisò & derepentè occurrent, non poterit non terreri; & dum turmatim ac promiscuè advenient, non poterit non perturbari. Si autem in medio corde exstet vis dominans, quæ actum determinet; tunc efficere

ficere poterit, ut cor nullo vel timore vel dubitatione concutiatur, sitque expeditum ac firmum & ad timores vincendos, & ad dubitationes solvendas. Atque hæc est firmandi cordis ars.

A. Ibidem paulò infrà, sic: Cùm facultas determinativa in totum hominem dominetur, eum regat, ejúsque vitali auræ imperet; est ergo dux ac rectrix vitalis auræ. Cúmque vitalis aura, quæ totum nostrum corpus implet, obediat isti facultati determinativæ, est ergo ejus discipula ac famula; adeóque quamvis utraque sit necessaria ad agendum, tamen facultas determinativa est quid primarium; vitalis autem aura, est dumtaxat aliquid secundarium.

B. 2. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 10. artic. *Chi ki chi y* sic: Petes: quænam est differentia inter facultatem determinativam, finicè *Chi*, & intentionem, finicè *Y*? Respondeo facultas determinativa spectatur ut aliquid, quod dominium liberúmque arbitrium tenet ac servat; id autem, quod producit hæc facultas, est intentio. Si intentio sit honestati conformis, est recta; si difformis, est prava. Et paulò infrà sic: Facultas determinativa est aliquid, quod universali modo liberum suum arbitrium in rebus agendis exercet; intentio verò est aliquid, quod particulari & occulto modo erumpit.

B. 3. Idem Lib. eod. tom. 10. artic. *Cim y* sic: Petes, quænam sit differentia inter affectum & intentionem? Respondeo. Affectus, inquit Doctor *Chu hi*, à natura erumpit; v. gr. amor istius rei, est affectus; sed ratio ob quam volo istam rem amare, est intentio. Affectus est instar navis aut currûs; intentio, instar hominis dirigentis navim aut currum.

Deinde paulò infrà sic: naturalis appetitus est ipsa natura sine motu; affectus est natura in motu; intentio est tendentia in objectum determinatum, v. gr. amor & odium præcisè, est affectus; amor verò rei pulchræ, & odium rei deformis, est intentio.

C. 4. Idem Lib. eod. tom. 10. artic. *Chi ki chi y* sic: Facultas determinativa, est activus nostri cordis usus; nostrum cor seu animus est quidem rectus; sed ejus usus seu exercituum aliud rectum, aliud pravum. Facultas determinativa est virtutis exercendæ radix, seu radicale principium.......... duplex est Boni & Mali via; altera æquitatis, altera utilitatis. Dum facultas determinativa æquitatem se-

ſequitur, tunc recta ratio & honeſtas dominatur; nec hanc poteſt prava rerum cupiditas à ſede dimovere. Contrà, dum facultas determinativa utilitatem ſequitur, tunc prava rerum cupiditas dominatur, nec recta ratio & honeſtas poteſt introire. Ex hoc oritur diſcrimen, quod eſt inter ſapientes Imperatores *Yao* & *Xun*, & inter Inſipientes *Kie* & *Che*. Numquid igitur id diligentiſſimè attendendum eſt?

D. 5. Lib. Memcii cap. 1. *Leam hoei vam xam*, ſic alloquitur Memcius Regulum *Hoei vam*: Itaque cùm poſſis, Rex, verè imperare, & non imperes; veram imperandi artem tenere, & non teneas, hoc non provenit ex eo quòd non poſſis; ſed quia, cùm poſſis, non facis. Quodnam ergo, ſubjungit Rex *Hoei vam*, diſcrimen inter non agentem, & agere non potentem? cui Memcius: en vir alteri dicit: excelſum illum *Tay xan* montem ad boreum mare trajiciendum non poſſum ego evellere, ſub axilla accipere, & in mare projicere; hic verum loquitur; verè enim non poteſt id agere. Sed en alius ab Hero ſuo juſſus parvulum arboris ramum abſcindere, ſtatim reſpondet: non poſſum ego pendulum illum arboris ramum abſcindere; hic non abſcindit ramum, non quia non poteſt; ſed quia non agit. Jam verò tu, Rex, cùm verè poſſis pietatis & miſericordiæ beneficio imperare, & non imperes; veram imperandi artem tenere, & non teneas; non es ſicut ille, qui excelſum montem *Tay xan* non poteſt ſub axilla accipere, & in mare projicere ad trajiciendum mare boreale; ſed ſicut hic, qui pendulum arboris ramum non poteſt abſcindere.

E. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 14. in Libr. 1. Mem. cap. 2. *Leam hoei vam hia* ſic: Tunc Princeps *Siuen Vam*: Magna, inquit, ac ſublimis eſt profectò illa ſententia! quantum ego cuperem, modicæ virtutis vir, ejuſmodi pietatem amplexari! ſed me mea non ſinit infirmitas; ego enim modicæ virtutis vir, nimis amo fortitudinem & excellentiam; minores me Principes non poſſum clementer tractare; majores me non poſſum patienter tolerare. Cui Memcius: ama, inquit, ut placet, Rex, fortitudinem; ſed ama Heroum, non homunculorum fortitudinem .... Deinde Princeps *Siuen Vam*: optimè, inquit, & præclarè dixiſti. Cui Memcius: ſi optimè & præclarè

rè me dixisse, Rex, censes; eccur ergo ea, quæ dixi, non properè amplecteris? ego quidem modicæ virtutis vir, reponit *Siuen Vam*, exoptarem ista properè amplecti & exequi; sed aliâ pravâ animi ægritudine laboro; ego sum opum & lucri amator. Nihil hoc obest, subjungit Memcius................ (id est, potes amare opes seu utilitatem, & sequi æquitatem.) Iterum reponit *Siuen Vam*: Modicæ ego virtutis vir, non tantùm opum sum amator; sed aliâ rursus animi ægritudine laboro; voluptatem etiam diligo. Et hoc, inquit Memcius, nihil refert; olim Princeps *Tay Vam* etiam voluptatem amabat; suam, inquam, uxorem *Kiam* ardenti amore prosequebatur, &c.

CAPUT III.

De Principiis coëffectivis humanarum Actionum.

PRincipia coëffectiva sunt ea, quæ simul cum potentia efficiunt actum humanum, scilicet Habitus. Itaque primò de Habitibus genericè sumptis. Secundò, de virtute in genere. Tertiò, de virtute in specie agemus.

SECTIO I.

De Habitibus genericè sumptis.

NOn agimus hîc de Habitibus supernaturalibus, quos DEUS in nobis sine nobis operatur; sed de naturalibus, quos crebrâ actuum repetitione acquirimus.

Primò, Definitio Habituum juxta Sinas sic: Habitus est acquisita per multiplicatos actus notitia. Est prælucens acquisitæ scientiæ ductus. Est perfectio, quam ex diu continuata actuum exercitatione acquirit vitalis auræ vis, seu facultas (A). Unde ad acquirendos Habitus, oportet priùs iterare multos actus; v. gr. ad consequendam summam viri sapientis perfectionem, oportet novo ac novo semper conatu progressum facere (B). Imò ad acquirendam perfectè aliquam virtutem in particulari, oportet omnes animi motus, qui nos ad illam impellunt, omninò explere, iterare, multiplicare (C). Denique præter rerum

rerum notitiam à natura compararent, acquiritur etiam veritas, seu verus Habitus, arte & studio per crebram actuum repetitionem (D).

Secundò, divisio Habituum. Habitus, alii pertinent ad speculationem, nempe ad intellectum, & phantasiam; alii ad praxim, nempe ad voluntatem & appetitum sensitivum; illi serviunt ad faciliùs discernendum, quod rectum est; hi ad faciliùs agendum, quod honestum est (E).

Tertiò, subjectum Habituum. Homines alii faciliùs, alii difficiliùs istos Habitus acquirunt, prout uniuscujusque ingenium vel acutius, vel obtusius est; & prout uniuscujusque indoles vel pronior, vel repugnantior est (F).

Quartò, augmentum Habituum. Habitus possunt augeri vel extensivè, v. gr. se extendendo ad nova & plura scientiæ aut virtutis objecta; vel intensivè, v. gr. novam ac majorem ejusdem scientiæ aut virtutis perfectionem acquirendo (G). Crescunt autem & perficiuntur per constantem operis continuationem (H).

Quartò, decrementum Habituum. Habitus possunt etiam minui ac perdi, tum per cessationem actuum, tum per positionem actuum contrariorum. Nulla enim res est quæ non crescat, si suum habeat alimentum; nulla, quæ non pereat, si illo careat; v. gr. repullulantes denudati montis surculi crescunt, si alantur; pereunt, si quo alantur, careant. Sic revirescens bonæ mentis germen crescit, si probitate alatur; perit, si continuâ improbitate conteratur; uti olim Confucius aiebat: si apprehenderis, custodis; si dimittas, perdis (I).

Textus Librorum.

A. 1. Liber *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum Tum* art. 27. sic: Quocirca Sapiens, ut vitæ perfectionem consequatur, tum naturalem rectæ rationis sibi cælitus infusæ facultatem colit, tum prælucentem acquisitæ scientiæ ductum sequitur.

A. 2. idem Lib. & d. tom. in Libr. *Chum Tum* artic. 20. sic: Harum virtutum speculatio ac praxis, licèt sæpe in modo sive speculandi, sive operandi sit diversa; acquisitus tamen tum speculationis, tum praxis finis, in omnibus unus atque idem est. Si enim speculationem spectes; alii velut à natura docti sine ullo studio; alii ingenio pollentes,

tes, cum facili studio; alii ingenio destituti, cum difficili studio has virtutes penetrant; verùm sic diversò modo acquisita rerum notitia (nempe habitus pertinentes ad intellectum & phantasiam) in omnibus istis una atque eadem est. Deinde si praxim spectes, alii bonâ indole instructi, tranquillè & quasi naturali impulsu; alii excitato ingenio illustrati, studiosè & grandi ardore; alii obtusâ mente retardati, ægrè & quasi violento conatu illas exercent; verùm sic diversò modo posita earum praxis, (nempe ab habitibus pertinentibus ad voluntatem & appetitum sensitivum) in omnibus istis una atque eadem est.

A. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 15. in Libr. 1. Memcii cap. 3. *Kum sun cheu xam*, sic: Ista vitalis auræ vis seu facultas acquirit suum incrementum ac perfectionem ex diu continuata accumulatæ sensim justitiæ exercitatione, non autem ex uno alterove ejus actu.

B. 4. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* art. 5. sic: Quocircà Adultorum doctrina statim in ipso suæ institutionis principio monet suos Alumnos, ut quæcumque in orbe res exstant, harum omnium naturas atque rationes exquirant, magis ac magis pervestigent ac mente scrutentur, novóque semper conatu ac progressu intimam illarum essentiam rimentur, nec desistant donec ultimum perfectæ cognitionis terminum assecuti fuerint. Postquam enim longo studio & assiduâ diligentiâ in hanc rem incubuerint, aliquando tandem fiet, ut omnia ac singula clarè distinctéque cognoscant.

B. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. Libr. *Ta Hio* art. 2. sic: Renovandorum populorum primum principium, est fervens sui ipsius renovatio. Idcircò Imperator *Chim Tam*, ut assiduos novæ perfectionis stimulos sibi indesinenter adderet, in pelvi quâ ad lavandam faciem ac manus utebatur, hæc verba insculpi jusserat: Si Princeps ablutis animi sordibus, verè se semel renovaverit, debet quotidie se rursus renovare; imò de die in diem majorem semper ac majorem sui renovationem procurare.

B. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* art. 3. sic: Cernis, inquit Liber *Xi Kim* seu Carminum, ut ossuarius opifex materiam osseam primùm ferrâ secet? deinde runcinâ dolet? cernis, ut gemmarii operis artifex, gemmam primùm scalpro scindat? deinde pumice

 poliat?

poliat? sic est accuratissimus ac diligentissimus sapientis nostri Principis (nempe *Vu Kum*) labor. Proh! quanta in animo sedulitas & constantia! quanta in corpore gravitas ac majestas! denique omni decore ac perfectione splendet excultissimus noster Princeps, ideóque ejus memoria oblivione deleri nunquam poterit. Jam verò dum poëta dicit: *Ossuarius opifex materiam osseam primùm serrâ secat, deinde runcinâ dolat*, indicat his verbis constantem in addiscendis litteris scientiísque acquirendis istius Reguli *Vu Kum* diligentiam. Dum dicit: *gemmarii operu artifex gemmam primùm scalpro scindit, deinde pumice polit*, indicat his verbis ejus accuratissimum in quærenda virtute, componendísque suis moribus studium.

C. 7. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 23. sic: Jam verò qui maximam illam & veræ scientiæ & veræ virtutis perfectionem non possidet, adeóque nondum summam totius mundi veritatem assecutus est, quid debet facere, ut illam sibi comparet? hic debet omnes animi motus, qui ipsam ad unam particularem virtutem impellunt, accuratissimè explere, ita ut nullum illius virtutis motum in se sentiat quem non expleat. Postquam enim omnes illos animi motus, qui modò ad pietatem, modò ad æquitatem, modò ad honestatem, modò ad prudentiam ipsum impellunt, diligenti assiduitate expleverit; tum istarum omnium virtutum veritas, seu veri habitus in animo efformabuntur, qui multiplicati ultrò se prodent exteriùs, in actus externos erumpent, totámque hominis speciem cohonestabunt; deinde successu temporis magis ac magis se prodent, magnósque ubique suæ claritatis radios dispergent.

D. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 21. sic: Qui ex ipsa veritate habet rerum notitiam, hic dicitur habere notitiam à natura comparatam; qui autem ex rerum notitia acquirit veritatem, hic dicitur habere veritatem seu verum habitum, studio & arte acquisitum. Sed sive quis habeat rerum notitiam à natura comparatam, sive habeat veritatem seu verum habitum studio & arte acquisitum, unus atque idem effectus est; nam & infusa veritas est notitia, & acquisita notitia est etiam veritas.

E. 9. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 20. sic: Veritatis

tatis ſtudium in ſpeculando, cum contentione & ſtudio id quod rectum eſt, diſcernit; in operando, cum labore & vi id quod honeſtum eſt, exequitur; atque hic eſt modus quem vir ſuæ perfectionis ſtudioſus ſervat. Hic ergo vir ſuæ perfectionis ac veritatatis ſtudioſus debet multa non tantùm moderna, ſed etiam antiqua addiſcere, obſcura à ſapiente Judice ſive Magiſtro, ſive Amico interrogare, interrogata attentè ſpeculari, ſpeculata clarè diſtinguere; virtutem à vitio, rem ab umbra dilucidè ſecernere; poſteà ſtrenuè manum operi admovere. Sed quia quorumdam talis eſt indoles & ingenium, ut non niſi maxima cum difficultate & quæ addiſcenda, addiſcere; & quæ agenda ſunt, agere valeant; ideò hi dum alicui rei ſtudent, debent ita illam addiſcere, ut non deſiſtant, donec totam omninò conceperint. Quoad iſtos, qui nulli rei ſtudent, nihil mihi cum illis. Deinde dum aliqua dubitatio de aliqua re iis occurrit, debent ita illam interrogare, donec totam ſuæ dubitationis ſolutionem omninò aſſecuti fuerint. Quoad iſtos qui dubitando nihil interrogant, nihil mihi cum illis. Dum interrogata ſpeculantur, debent ita ea perpendere, ut non deſiſtant, donec totam illorum difficultatem omninò penetrârint. Quoad iſtos, qui nihil ſpeculantur, nihil mihi cum illis. Dum ſpeculata diſtinguunt, debent ita ſingillatim ea diſcriminare, ut non deſiſtant, donec unamquamque earum diviſionem omninò comprehenderint. Quoad iſtos, qui nihil diſtinguunt, nihil mihi cum illis. Dum ad opus ſe transferunt, debent ita ei manum admovere, ut non deſiſtant, donec illud penitus perfecerint. Quoad iſtos, qui nulli unquam rei manum admovent, nihil mihi cum illis. Denique quod alii poſſunt uno, illi decem; & quod alii decem, illi centum conatibus debent perficere. Porrò ſi laborioſam hanc perfectionis viam verè, & conſtanter tenere potuerint, quantumvis antea fuerint & rudes, & imbecilles; poſteà tamen & intelligentes, & fortes procul dubio evadent; acquirent nempe habitus tum ad ſpeculationem, tum ad praxim pertinentes.

E. 10. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 20. ſic: Harum virtutum ſpeculatio ac praxis, &c. Vide hic ſuprà num. 2. litterà A.

E. 11. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* art. 22. ſic: Solus vir verâ ſcientiâ, & verâ virtute perfectiſſimus poteſt penitùs naturæ ſuæ rationalis munus explere, nihil prorſus intelligendo, niſi quod rectum eſt; nihil prorſus agendo, niſi quod honeſtum eſt, liber ab omni errore, & ab omni prava cupiditate.

F. 12. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 20. ſic: Veritatis ſtudium in ſpeculando, &c. Vide hîc ſuprà num. 9. litterâ E. Deinde ſic: Harum virtutum ſpeculatio ac praxis, &c. Vide etiam hîc ſuprà num. 2. litterâ A. Item vide numerum ſequent. litterâ G.

G. 13. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 20. ſic: Si vir, inquiebat Confucius, qui ingenio eſt rudis, diſcendi amator fuerit; qui indole pravus, agendi ſtudioſus fuerit; qui viribus infirmus, erubeſcendi gnarus fuerit; quamvis fortè fieri nequeat, ut omnem omninò poſſit; aliqualem tamen & rudis prudentiam, & pravus pietatem ſeu cordis rectitudinem, & infirmus fortitudinem conſequetur.

G. 14. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 27. ſic: Quocircà Sapiens, ut vitæ perfectionem conſequatur, tum naturalem rectæ rationis ſibi cælitùs infuſæ facultatem colit, tum prælucentem acquiſitæ ſcientiæ ductum ſequitur. Ope illius naturalis facultatis, vaſtam ſui cordis capacitatem omni æquitatis ſenſu implet; ope hujus ſcientiæ acquiſitæ, immutabilis Medii rectæ viæ adhæret. Ope illius, in iis quæ jam didicit, quotidie ſe exercet; ope hujus, in iis quæ nondum didicit, novum quotidie ſtudium ponit. Denique ope illius, quæ jam rectè incepit, ea diligenter continuat; ope hujus, quæ nondum rectè incepit, ea ferventer aggreditur, & ubertim coacervat.

Vide etiam ſuprà, Cap. 2. Sectione 3. in textibus num. 5. litterâ E. ſic: Quod autem aſſerit Confucius, &c.

H. 15. Lib. *Su xu che kiay* tom. 15. in Libr. 1. Memcii cap. 3. *Kum ſun cheu xam*, ſic: Iſta vitalis auræ vis acquirit ſuum incrementum ac perfectionem ex diu continuata ſenſim accumulatæ juſtitiæ exercitatione, non autem ex uno alterove ejus actu, qui per occaſionem tantùm exercetur ad ponendum cordi exterius velamen; ſi

enim

enim fortuitum tantùm justitiæ opus quandoque ponatur exteriùs sine interiori veræ affectionis motu; tunc non expletur cordis satietas; non expleta cordis satietate, tunc animus velut famelicus ac vacuus remanet. Hinc vides justitiæ sensim accumulatæ perfectionem ex corde oriri, & in corde consistere. Idcircò dicebam sophistam istum *Kao Tsu* nescivisse quid foret justitia; asserebat enim non in corde, sed in fortuito opere, quod quandoque exteriùs exercetur, illam consistere; ideóque ille non poterat acquirere justitiæ perfectionem. Quî igitur poterat animum suum firmare? jam verò etsi ad acquirendam hanc vitalis auræ ultimam perfectionem, oporteat, ut quis constanti labore & sine intermissione justitiam accumulet; non debet tamen præfigere aut præfinire sui laboris effectum tali tempore certò obtinendum; imò quamvis post longum tempus videatur nondum suorum votorum & laborum metam attigisse, non propterea debet oblivisci ac negligere inceptum accumulandæ justitiæ opus; aut certè præpropero impetu velle procurare ejus augmentum, nimiúmque præceps accelerare ejus perfectionem, imitando illum famosum regni *Sum* incolam, qui cùm doleret suam pullulantem segetem non satis celeriter crescere, cœpit eam vellicare, & emotâ radice in altum attollere. Deinde perturbato vultu domum festinè redux, dixit suis domesticis: hodie proh! quàm defessus sum! quanto labore nostræ segetis herbescentis incrementum hodie promovi! ejus filii ignari quid loqueretur, sequenti die in agros perrexerunt, satáque inviserunt; & ecce totam campi faciem aridam, totam orizam exsuccam & emortuam invenerunt. Sic inter homines, qui in fovenda vitali aura, herbescentis suæ segetis incrementum præcipiti & cæco ardore non promoveant, paucos reperies; dum enim immaturè accelerando sui laboris fructum, prodesse illi volunt; tunc maximè ei nocent, & omnia perdunt.

H. 16. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* art. 26. sic: Itaque hæc summa virtutis veritas numquam sistit; numquam sistendo, diu perseverat, altásque interim in corde radices agit; diu perseverando, jactísque altis in corde radicibus, sese patefacit, (habitus nempe inclinant ad actus); sese patefaciendo, paulatim longè latéque

que diffunditur, omniáque orbis loca suâ amplitudine, & omnia hominum corda suâ profunditate celeriter replet; hæc replendo, tunc tandem maximam sui operis celsitudinem, maximúmque suæ perfectionis splendorem assequitur.

I. 17. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* sic: Sed heu! pergit Memcius, prava rerum cupiditas assiduè homines impetens, quàm sæpe devastat totam hanc naturalem nostri cordis rectitudinem! venustissimus olim Regni Cy mons *Nieu xan*, (id est, mons boum) denso latè vernans nemore, quem infestæ lignatorum secures, utpote non procul ab hujus magni Regni metropoli ad suburbia situm, toties impetierunt atque attriverunt, potéstne adhuc dici nunc pristinum decus ac venustatem retinere? quamdiu tamen truncatarum arborum radices, quæ die noctúque rore ac pluviâ assiduè irrigabantur, non fuerunt avulsæ: confertim ubique repullulantibus surculis, poterat adhuc pristinus decor reviviscere ac revirescere; sed postquam repullulantes illos surculos novâ semper strage pabulantes boves ac oves carpserunt, conculcárunt, devastárunt; tunc nudum montis cacumen miserè remansit, ut nunc vides. Siquis autem prospiciens spoliatum arboribus totum istum montem, continuò dicat sic ex se sterilem esse, nec lignorum feracem, nec ullum in eo olim nemus stetisse, num fortè existimabis illum vera loqui, talémque esse istius montis naturam? quemadmodum igitur in denudati montis visceribus asservatur natura arborum ferax, ita in depravato hominis animo asservatur natura pietatis & æquitatis ferax; sed sicut infestæ lignatorum secures omnem arborum decorem in isto monte vernantem decusserunt; ita perversæ mundi cupiditates omnem pietatis & æquitatis honestatem in animo germinantem demetunt, &c. Postquam tamen tumultuantes illæ mundi cupiditates, die transacto ad quietum noctis tempus pervenerunt, tunc innata cordis pietas & æquitas rursus incipit repullulare, manéque clarescente, quando vitalis aura necdum rerum tumultu & imaginibus perturbata, tranquillitatem ac serenitatem adhuc conservat, amor quo animus prosequitur honestatem, & odium quo aversatur turpitudinem, satis simile est communi hominum indoli. Si hæc repul-

pullulantia pietatis & æquitatis ſemina, (nempe habitus) noverit cor conſervare & alere, poterit adhuc deperditus decor revireſcere; ſed ſi illa ita rejiciat atque extinguat, ut tandem illorum tantillum, & vix quidquam ſuperſit; tunc improbitas, quam toto die perpetrat, longâ conſuetudine fortior effecta, illud tantillum bonæ cogitationis germen diluculo emicans, captivum detinebit, ac perimet, (nempe habitus peribunt), non ſecus ac paſcentia pecora repullulantes deciduarum arborum ſurculos carpunt, conculcant, perdunt, &c. Nulla itaque res eſt, quæ non creſcat, ſi ſuum habeat alimentum; nulla, quæ non pereat, ſi illo careat. Sic & repullulantes denudati montis ſurculi creſcunt, ſi alantur; pereunt, ſi quo alantur, careant. Et revireſcens diluculo bonæ cognitionis germen, quantumvis exiguum, etiam creſcit, ſi probitate redintegratâ alatur; perit, ſi continuatâ improbitate conteratur. Idcircò Confucius ſic olim aiebat: *quod paſſim dicunt: ſi apprehendas, cuſtodis; ſi dimittas, perdis; nullo non tempore intrat & exit; quò vergat, nemo ſcit;* numquid hoc reverà de corde intelligendum eſt?

I. 18. Lib. Rituum tom. 9. cap. 32. *Piao Ki* ſic: Ubi quis eſt moderatus, quotidie fit fortior; ubi quis diſſolutus, quotidie fit languidior.

SECTIO II.

De Virtute in genere.

PRimò, *Definitio virtutis juxta Sinas ſic.* Virtus eſt habitus, ex quo omne bonum exurgit, & quæ in omni bono dominatur, (nimirum inclinans tantùm ad bonum, nec potens influere in actum malum;) quatenus intus reſidet, dicitur virtus; quatenus foras erumpit, dicitur opus. Virtus alia intellectualis, ut intelligentia; alia moralis, ut pietas (A).

Secundò, Cauſa Virtutis. Virtus inchoatè à natura habetur, exercitatione completur; uti ait ſacra ſcriptura: *Ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero Matris meæ egreſſa eſt mecum.* Job. cap. 31. Omni enim homini ineſt quidam commiſerationis, quâ miſeros proſequitur; pudoris, quo res turpes averſatur; reverentiæ, quâ ſuperiores veneratur; ſcientiæ, quâ veritatem à falſitate, honeſtatem à turpitudine diſcernit, ingenitus ſenſus; iſte autem ingenitus ſenſus commiſera-

ſerationis, eſt pietas inchoata, ſeu pietatis ſemen; iſte ſenſus pudoris, eſt æquitas inchoata; reverentiæ, eſt honeſtas inchoata; ſcientiæ, eſt prudentia inchoata (B).

Hæ virtutes diligenti exercitatione completè acquiruntur (C); ſed diverſis modis; quoad *intellectuales*, alii quaſi à natura docti, ſine ſtudio & labore; alii ingenio pollentes, facili cum ſtudio; alii ingenio deſtituti, difficili cum ſtudio illas acquirunt. Quoad *Morales*, alii bonâ indole præditi, tranquillè; alii vivaci mente excitati, ſtudiosè; alii obtusâ mente retardati, arduè illas ſibi comparant (D). Unde Sapiens, quam inchoatam à natura habet pietatem, æquitatem, honeſtatem, prudentiam, diligenti exercitatione eam alit, efficítque, ut altas in corde radices agat (E). Itaque cauſa radicalis virtutis eſt natura, mediata eſt homo, immediata eſt exercitatio.

Tertiò, Natura Virtutis. Virtutis naturam in medio conſiſtere paſſim aiunt Philoſophi; unde Ariſtoteles 2. Ethic. cap. 6. dicit virtutem eſſe habitum electivum Boni in mediocritate conſiſtentem, juxta quem Horatius:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citráque nequit conſiſtere virtus.

Ita & Confucius, ejúſque nepos *Tſu Su* in libello, cujus titulis *Chum Yum* ſeu immutabile Medium, ait virtutem in medio conſiſtere. Immutabile, inquit, virtutis Medium tunc omnem ſuam perfectionem obtinet, quando nihil vel minimum, ſive per defectum, ſive per exceſſum peccatur (F). Medium eſt recta hominum vivendi via (G). Ab hac via non poteſt cor noſtrum vel uno momento recedere, quin ſtatim erret ac declinet (H).

Quartò, Proprietates Virtutis. Proprietates virtutis ſunt multæ: *Prima eſt triplex hominum* ſtatus. *Primus, Incipientium:* id eſt, qui incipiunt vitium odiſſe, & virtutem amare; & ad hunc juvat liber Carminum. *Secundus, Proficientium:* id eſt, qui virtutum exercitationibus ſolidè ac firmiter vacant; & ad hunc juvat liber Rituum. *Tertius, Perfectorum:* id eſt, qui in virtute conſummati ſunt, & ad hunc juvat Muſica (I). Ita Philoſophus Sinenſis, penè ſicut Ariſtoteles, qui 7. Ethicorum virtutis moralis ſtatum etiam triplicem ponit; primum *continentiæ*, in quo homo à libidinibus ad meliorem frugem converſus, crebris paſſionum motibus, quibus

quibus tamen resistit, adhuc concutitur. Secundum *temperantiæ*, in quo homo non amplius ita crebris passionum motibus, quos compescit, agitatur. Tertium *heroicum*, in quo homo virtutis culmen attingit, & sine difficultate virtutem operatur.

Secunda, connexio virtutum. Pietas, æquitas, honestas, prudentia non possunt à se invicem separari (L). Maximè verò veritas, in qua omnes virtutes fundantur, non potest ab iis sejungi; nulla enim virtus, si veritate careat (M). Uti Aristoteles 6. Ethic. cap. ultimo dicit virtutem non posse esse sine prudentia.

Tertia, inæqualitas virtutum, tum specifica, v. gr. pietas, seu cordis rectitudo, omnibus ceteris virtutibus antefertur (N); tum numerica, v. gr. alii aliis sunt excellentiores in eadem virtute; discipulus *Tsu Lu* fortitudine, discipulus *Yen Yuen* pietate suos condiscipulos antecellebat (O).

Quinta, Divisio virtutis. Virtutes, aliæ sunt cardinales, scilicet pietas, æquitas, honestas, prudentia, veritas; aliæ subordinatæ, quæ ad has cardinales instar partium reducuntur; v. gr. fortitudo, temperantia, &c. (P). Nunc de his singulis breviter agemus.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Sim li ta civen guey yao* tom. 10. artic. *Te* sic: Virtus, inquit Doctor *Chim*, est habitio, seu habitus. Oportet ut huc verè adveniat, tunc habetur. Ubi virtus est stabilita, tunc cetera omnia bona subsequuntur. Prout in corde servatur, dicitur virtus; prout foras exit, dicitur opus. Quando virtus est perfecta, spectabile est ejus opus. Et paulò infrà sic: Virtus, inquit Doctor *Cham*, omni Bono dominatur; Bonum autem ex se est purissima ac prima mundi unitas. Et infrà: Virtus, inquit Doctor *Chin*, quid est? Respondeo: est pietas, est æquitas, est honestas, est intelligentia (nempe alia moralis, ut tres primæ; & alia intellectualis, ut quarta.)

B. 2. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Lib. 2. Memc. cap. 5. *Kao tsu xam* sic Memcius: Omni homini inest quidam innatus commiserationis, qua miseros prosequitur; verecundiæ, qua res turpes aversatur; reverentiæ, quà superiores veneratur; scientiæ, quâ veritatem à falsitate, honestatem à turpitudine discernit, sensus. Hic commisera-

tionis sensus, pietas; verecundiæ, æquitas; reverentiæ, honestas; scientiæ, intelligentia dicitur. Hæ quatuor inchoatæ virtutes, pietas, æquitas, honestas, intelligentia seu prudentia, non foris, quasi aliunde conflatæ, hominis naturæ adveniunt; sed illi intimè conjunctæ sunt & ingenitæ. Verùm proh! dolor! plerique illam intrinsecam naturæ suæ rectitudinem nec cogitant, nec curant. Hinc dicitur: qui illam quærunt, obtinent, fiuntque sapientes; qui illam negligunt, amittunt, fiúntque insipientes.

B. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 13. in Libr. 1. Memcii cap. 3. *Kum sun chen xam* sic: Omnes quidem, inquit Memcius, piam quamdam cordis affectionem, de aliena miseria dolentem, à natura comparatam habent; sed plerique hominum pravis suis cupiditatibus ingenitam illam animi teneritudinem extinguunt; soli illi præteritorum sæculorum sapientissimi Imperatores juxta hanc teneram animi indolem potuerunt clemens, benignum, alienæ miseriæ condolens regimen tenere............... Jam verò quid sit, & unde dignoscatur esse in omnibus hominibus illa commiserans teneri cordis affectio, ex hoc uno experimento collige: en quis derepentè videt qualemcumque infantem, jam jam in puteum lapsurum; quicumque sit ille vir spectator, protinus toto corde ad commiserationem excitatur ac commovetur; commovetur autem, non quia cogitat aliquam amicitiæ testificationem, Infantis patri aut matri exhibere; non quia à vicinis, amicis, concivibus, sociis vult aliquam laudem expiscari; non quia ab obtrectatoribus timet argui inclementiæ, aut quid simile meditatur; sed quia naturalis animi impetus sic illum subitò excitat; in subitis enim casibus, ubi non datur consultationi locus, est natura quæ agit; in aliis occasionibus potest aut fictitio, aut studiosa dispositio intervenire. Hinc collige siquis careat illâ commiserantis animi teneritudine, eum non esse censendum hominem, utpote naturali humanæ conditionis parte destitutum; Idem dic de his tribus: Siquis nesciat suam erubescere, & alienam odisse iniquitatem; si nesciat inurbanitatem à se repellere, & urbanitatem alteri præstare; si nesciat malum discernere, ut fugiat; bonum, ut prosequatur, hic nec est censendus homo; humano enim cordi sunt à natura insitæ quædam tacitæ pie-

tatis,

tatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ, seu prudentiæ scintillæ vel principia. Ubi earum objecta illi proponuntur, statim in affectum erumpit. Subitus igitur ille affectus, quo hominis cor in alienæ calamitatis commiserationem erumpit, est quædam scintillans pietatis species; affectus, quo aut in verecundiam suæ, aut in aversionem alienæ iniquitatis erumpit, est quædam scintillans æquitatis species; affectus, quo aut in fugam inurbanitatis, aut in exhibitionem urbanitatis erumpit, est quædam scintillans honestatis species; denique affectus, quo in Mali aut falsitatis odium, & in Boni aut veritatis amorem erumpit, est quædam scintillans intelligentiæ, seu prudentiæ species. Hæ quatuor assiduè scintillantes virtutum notæ, tam sunt omnibus hominibus connaturales, quàm pedes ac manus. Unde siquis dicat se non posse illas virtutes exercere, hic animi seu cordis sui perniciem ultrò quærit; aut siquis primarius Regni Minister dicat suum Regem non posse illas exercere, ideóq; omittat eum instruere, hic etiam suo Regi perniciem ultrò molitur.

C. Si ergo homines, cùm sint semper his quatuor virtutum principiis à natura dotati, scirent illarum motus fideliter sequi, largè amplificare, accuratè implere; sicut ignis quando semel ingentem flammam concepit, non potest restingui, aut sicut fons, quando semel copiosà scaturigine erupit, non potest reprimi; ita eorum cor à concepto semel rectè vivendi proposito excitatum, non posset removeri aut retardari; sed majus ac majus in dies incrementum perfectionis acquireret. Idcircò qui totam pietatis, æquitatis, honestatis, prudentiæ sphœram adimplere novit, hic universum Imperium, quantumvis longè lateque extensum, potest facillimè animo complecti, dirigere ac tueri. Contrà verò, qui hæc virtutum innata principia ac semina negligit, nè suis quidem Parentibus eâ, quâ decet, observantiâ potest obsequium præstare. Quamvis ergo omnibus hominibus indita sint à naturâ eadem virtutum principia, iidem cordis impulsus; prout tamen unusquisque rebus assuescit, varios contrahit habitus ac mores ....

Jam verò, pergit Memcius, quàm ardenter in harum virtutum studium incubuerint antiqui sapientiæ Alumni, potes vel ex his dumtaxat colligere: Confucii discipulus *Tsu Lu* tanto suæ perfectionis

 de-

desiderio tenebatur, ut siquis eum alicujus culpæ admoneret, totus statim gaudio perfusus admonentem audiret. Imperator *Tu* si quod rectum consilium audiebat, mox loquenti reverentiam exhibebat, avidus illud exequendi, &c.

D. 4. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum*, artic. 20. sic: Harum virtutum speculatio ac praxis, &c. Vide præced. Sectionem in textibus num. 2.. littera A.

E. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 25. in Libr. 2. Mencii cap. 7. *Cin sin xam* sic: Sapiens, quam à natura habet pietatem, æquitatem, honestatem, intelligentiam, non negligit ac perdit, more insipientium; sed eas diligentissimè fovet, roborat, efficitque ut altiores quotidie in corde radices agant. Sic enim firmiter in corde stabilitæ, tunc se foris produnt, spectabilem sui speciem emittunt, in suavi vultûs serenitate emicant, in modesta humerorum gravitate resplendent, in manuum ac pedum composito motu diffunduntur, in totius hominis forma relucent, ita ut omnes corporis partes earum impulsum ac imperium sine voce statim percipiant & exequantur.

F. 6. Liber *Su xu che kiay* tom. 2. in Libr. *Chum yum* art. 3. sic: Immutabile virtutis Medium, olim aiebat Confucius, tunc omnem suam perfectionem ac decorem obtinet, cùm nihil vel minimum sive per defectum, sive excessum peccatur. Sed heu! qui nihil vel minimum sive per defectum, sive per excessum peccent, quàm paucos hisce perversis temporibus reperias!

G. 7. Lib. *Chum yum* in Proœmio Interpres *Chim* sic ait: Id quod nec ad lævam, nec ad dextram declinat, dicitur Medium, finicè *Chum*; & id quod non potest nec licet immutare, dicitur immutabile, finicè *Yum*. Medium est recta hominum via; immutabilitas, est fixa hominum vivendi ratio. Medium, norma; immutabilitas, usus.

H. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 2. in Libr. *Chum yum* artic. 1. sic: Ab hac recta via non licet cordi nostro recedere vel uno momento, quin statim erret ac declinet. Et verò si liceret umquam cordi nostro ab hac recedere, ita ut vel sic non erraret ac declinaret, jam illa non foret recta ejus via. Ideò cor Sapientis semper est sollicitum, nè umquam ab hac sua via aberret; nec tantùm in iis quæ sensu percipiuntur, curam adhibet; sed etiam maximè illa, & quæ oculus

his non videt, cautâ diligentiâ examinat; & quæ auris non audit, providâ sollicitudine metuit.

I. 9. Lib. *Su xu che kiay* tom. 6. in Libr. *Lun yu*, sive Sententiarum artic. 8. sic: Sapiens, inquit Confucius, in docendo nihil aliud spectat, quàm virtutis praxim, & vitii fugam. Sed à quo incipit maximè noster animus amare virtutem & vitium odisse, est Liber *Xi kim* seu Carminum. Cùm enim hic liber vivis coloribus & facili stylo depingat virtutes & vitia, hinc noster animus cantitando hos versus, facilè in amorem virtutis, & in odium vitii erumpit. Deinde noster animus postquam viam perfectionis sic inchoavit, tunc in ea debet stabiliri ac firmari per omnium vitiorum expulsionem, & omnium virtutum exercitationem; atque hoc haberi potest ex libro *Li Ki* seu Rituum, in quo reverentia, modestia, submissio, aliæque virtutes ad componendos nostros mores, & ad muniendum nostrum pectus contra pravas mundi illecebras requisitæ, exponuntur. Denique postquam noster animus in virtutum exercitatione, & vitiorum expulsione satis stabilitus est, debet ultimam summæ bonitatis, integerrimæque ac purissimæ rectitudinis perfectionem acquirere; & ad hoc juvat Musice, quæ suavi suo concentu & harmoniâ, passionum concordiam parit, perfectæque pietatis & æquitatis sensus inspirat.

L. 10. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 10. artic. *Gin y li chi* sic: Quando in libris classicis tantùm dicitur pietas, tunc comprehenduntur quatuor virtutes pietas, æquitas, honestas, intelligentia; seu innati & naturales earum affectus; sed quando dicitur pietas & æquitas sine honestate & prudentia; tunc pietas includit honestatem, æquitas prudentiam.

Paulò infrà sic: Quamvis in hominis animo seu corde radix pietatis, æquitatis, honestatis, prudentiæ sit unica; quando tamen hæ quatuor virtutes in actum erumpunt, efficiunt veluti quatuor rivos diversos.

Et infrà sic: Hæ quidem quatuor virtutes à se invicem non separantur; sed prout res occurrunt, se successivè produnt.

M. 11. Lib. *Su xu mum yu* tom. 4. in Libr. *Chum yum* artic. 20. sic: Veritas est principium & finis omnium rerum; sine enim veritate, nulla

nulla res existit .... Idcircò, id quod maximè spectandum est in triplici virtute pietatis, prudentiæ, fortitudinis, & in quintuplici humanæ conditionis ordine, (de quo infrà), est veritas; atque in hoc consistit Sapientum virtus, quòd ubique solidam ac integram prudentiæ, pietatis, fortitudinis veritatem in praxim deducant.

M. 12. Lib. *Su xu mum yn* tom. 1. in Proœmium Libri *Ta Hio* sic: Hìc recensentur tantùm quatuor virtutes, pietas, æquitas, honestas, prudentia; & non nominatur veritas; quia nimirum hæc in illis includitur; si enim pietas non sit vera, jam non est pietas; si æquitas non sit vera, jam non est æquitas. Idem dic de honestate & prudentia. Unde Liber *Chum yum* dicit: Solida pietatis, æquitatis & fortitudinis exercitatio ac praxis ad unum, seu ad unam veritatem reducitur.

N. 13. Lib. *Sim li ta cuen guey yao* tom. 10. artic. *Gin* sic: Pietas nihil habet sibi æquale; mundi limites excedit.

In eod. tom. 10. artic. *Gin y li chi* sic: Ideò pietas reliquas tres virtutes æquitatem, honestatem, prudentiam comprehendit; quia ab illa sensim exoriuntur.

O. 14. Lib. *Lun yu* seu Sententiarum artic. 11. sic: Præfectus *Ki kam tsu* interrogavit Confucium, ecquis inter ejus discipulos, sapientiæ studium majori ardore amplecteretur? habebam, reposuit Confucius, discipulum *Ten hoei*, insignem sapientiæ amatorem; sed heu! præcoce morte ereptus est; nunc non habeo similem.

Ibidem sic: Olim dum Confucius proficiscebatur in Regnum, id est, principatum *Chin* & *Tsay*, discipuli qui eum comitabantur, erant quidem omnes egregii; sed inter hos virtute excellebant *Ten yuen, Mim tsu kien* & *Gen pe nieu*; facundiâ *Tsay ngo* & *Tsu kum*; regiminis arte *Ten yeu* & *Ki lu*; litteris & artibus, seu habilitate *Tsu yeu* & *Tsu hia*.

Ibidem sic: Cùm Confucius discipulo *Yeu* non annuisset, & discipulo *Kieu* annuisset, utrique eadem petenti; condiscipulus *Che* hac de re dubius requisivit causam. Cui Confucius: discipulus *Kieu* est nimis pusillaminis; hinc illum excitavi ad progressum: discipulus *Yeu* (alio nomine *Tsu lu*) est nimis fervidus, & magnanimitate duobus par est; hinc illum repressi.

P. 15. Lib. *Sim li ta cuen guey yao* tom. 10. Articulus *Gin y chi li sin*, seu pietas,

pietas, æquitas, prudentia, honestas, veritas. Articulus *Chum sin*, seu fidelitas. Articulus *Kum Kim*, seu reverentia interior & exterior, &c.

P. 16. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum Tum* art. 20. sic: Communis hominum vivendi via, quinque; modus, quo hæc via conficitur, tria complectitur. Illa quinque, sunt Rex & Subditus, inter quos æquitas; Pater & filius, inter quos amor; maritus & uxor, inter quos diversitas; frater natu major & frater natu minor, inter quos subordinatio; amicus & amicus inter quos fides intercedat necesse est. Nemo est in mundo, qui in hac communi viâ non eat. Hæc autem tria, sunt prudentia ad istam viam ritè cognoscendam, pietas ad sequendam, fortitudo ad perficiendam.

Vide eumdem librum in variis aliis locis, uti & librum Sententiarum, ubi virtutum divisiones plurimæ reperiuntur.

P. 17. Libellus *San tsu kim* pag. 8. sic: Capitales virtutes sunt tres, æquitas inter Regem & Subditum, amor inter Parentes & liberos, concordia inter maritum & uxorem. Idem pag. 15. sic: Cardinales virtutes, quæ non debent inter se confundi, sunt quinque; pietas, æquitas, honestas, prudentia, veritas.

SECTIO III.

De Virtutibus in specie.

Paragraphus Primus.

De Pietate.

PRimò, *Definitio pietatis juxta Sinas sic*: Pietas est proprii cordis omnimoda virtus, seu omnimoda rectitudo; hæc omnimoda rectitudo est recta cæli ratio, quatenus incompatibilis cum pravo appetitu (A). Item pietas est recta cordis ratio, quatenus hominem in suo esse verè constituit, corporique unita totum hominem regit (B). Nostrum cor seu animus est velut semen, pietas est ejus fructus. Respectu cordis est rectitudo, sicut humiditas respectu aquæ, calor respectu ignis (C). Hinc pietas non procul à nobis abest; si eam volo, statim teneo (D).

Secun-

Secundò, Actus pietatis. Universalis pietatis actus, est Recti amor. Pietas est velut granum, amor Recti, est velut fructus (E). Vel etiam est sicut radix respectu arboris, fons respectu rivi (E); pietas nempe est radix & fons; amor Recti, arbor & rivus. Hinc seipsum ac suas pravas cupiditates vincere, atque ad vitæ honestatem redire; siquid turpe audiendum, videndum, loquendum, movendum, agendum occurrat, id nolle audire, videre, loqui, movere, agere; denique quod tibi non vis fieri, alteri non facere, sunt pietatis actus (F). Particularis & primarius ejus actus, est amor hominum, inter quos obtinent primum locum Parentes (G).

Tertiò, Proprietas pietatis. Proprietas pietatis, est à principio usque ad finem sine intermissione rectæ rationi inhærere, expulsâ omni pravâ cupiditate (H); deinde servato inæqualitatis ordine, amorem suum regere ac partiri; nimirum primo loco amare Parentes ac consanguineos; secundò, alios omnes homines; tertiò, pecudes ac plantas; quem ordinem pervertebat Sectarii *Me Tie* doctrina, volentis omnes homines æquali amore esse prosequendos (I).

Quartò, Partes integrales ac subjectivæ pietatis. Sunt hæ: gravitas seu modestia in privatis actionibus, diligentia in publicis negotiis, sinceritas in humana societate (L). Deinde mansuetudo est pietatis radix; studiositas est materia, beneficentia est opus; comitas est potestas; honestas est forma; sermo est ornatus; Musica est unio; liberalitas est ejus augmentum (M).

Textus Librorum.

A. 1. Liber Rituum tom. 4. cap. 9. *Li yun* Interpres *Chin hao* sic: Pietas est proprii cordis omnimoda virtus; ideò est æquitatis, & omnium bonorum morum basis.

A. 2. Lib. *Lun yu* artic. 12. Interpres *Chu hi* sic: Exercere pietatem est id, quo integram proprii cordis virtutem perficimus; integra autem nostri cordis virtus, est recta cæli ratio, quæ non potest corrumpi à pravis mundi cupiditatibus; ideò dum quis exercet pietatem, istas utique pravas passionum ac mundi cupiditates vincat oportet. Postquam omnes suas actiones ad honestatis & rectæ rationis regulam coaptavit, tunc proprii cordis virtus redit integra.

B. 3.

B. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 25. in Libr. 2. Memcii cap. 8. *Cin sin hia* sic: Pietas, inquit Memcius, est ipsa recta ratio, quæ hominem in suo esse verè constituit; hæc autem recta ratio corpori unita, est hominis ac vitæ recta regula, quam innumeri illi illustres Heroës secuti sunt.

C. 4. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 10. artic. *Gin* sic: Noster animus est velut fructûs aut frugis semen; pietas est illa ratio seu natura quam producit; dum hæc in actum erumpit, tunc dicitur affectus. Pietatis ratio generatim, est etiam tantùm cordis rectitudo; quamvis hæc rectitudo sit pietatis ratio, non potest tamen benè vocari pietas; sed ista rectitudo constituit pietatem; idcircò exercere pietatem, est exercere rectitudinem; exercendo rectitudinem, tunc nosmetipsos cum aliis metimur. Hinc pietas est id, quo nosmetipsos cum aliis metimur, & quo alios amamus; alios metiri, est pietatis objectum; alios amare, est pietatis actus.

Et pauiò infrà sic: Pietas, inquit Doctor *Chu hi*, dicitur cordis virtus, sicut vis humefactiva dicitur virtus aquæ; & vis calefacti-
E. va dicitur virtus ignis. Et dum vocatur amandi ratio, est sicut radix respectu arboris, & fons respectu rivi vel aquæ.

D. 5. Lib. *Lun yu* artic. 7. sic: Enimverò pietas non procul abest à nobis; si eam volo, statim teneo.

E. 6. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 10. artic. *Gin* seu pietas, sic: ideò Cæli cor est summè pium, quia est rectum; si homo rectitudinem verè amplectatur, mox pius fit. Et infrà sic: Pietas est ratio amandi; hæc ratio, est radix; amor est fructus; pietatis amor, est sicut sacchari dulcedo, & aceti acrimonia; amor enim est ille sapor qui è pietate profluit; cùm ergo pietas sit radix, & amor fructus; hinc non potest fructus, (nempe actus) dici radix; sed ostenditur ac determinatur ex qua radice hic fructus procedat; nempe amor, ut actus pietatis est.

F. 7. Lib. *Lun yu* seu Sententiarum artic. 12. sic: Discipulus *Ten yuen* interrogavit Magistrum suum Confucium, quid agendum sit ad pietatem exercendam? vince teipsum, reposuit Confucius, & redi ad vitæ honestatem, mox pietatem exercueris. Deinde iterum interrogavit quænam essent præcipua rerum & actionum capita ad id ne-

necessaria ? siquid occurrat videndum honestati contrarium, respondit Confucius, noli videre ; siquid audiendum, noli audire; siquid loquendum, noli loqui ; siquid agendum, noli agere ; siquis motus rationi dissonus exurgat, noli ei obsecundare.

Ibidem paulò infrà sic ; Discipulus *Chum Kum* interrogavit Confucium, quomodo exercenda foret pietas ? cui Confucius : Dum foras exis, ita te gravem ac modestum præsta, perinde ac si magnum ac illustrem quemdam hospitem inviseres. Dum populo aliquid præcipis, ita te gravem ac modestum præsta, perinde ac si magnam aliquam ac solemnem Ceremoniam *Cj* Spiritibus faceres. Denique quod tibi non velles fieri, vide, nè alteri facias.

G. 8. Lib. *Su xu mum yn* tom. 4. in Libr. *Chum Yum* artic. 20. sic : Dum rursùs conjunctim dicitur: Pietas est vitæ nostræ via; tunc illa explicatur tantùm quatenus est ratio amandi. Cúmque illa includat naturalem vivendi rationem, idcircò sic explicata misericordiam & amorem complectitur. Dein rursùs dicitur: amor autem, quo Parentes ac propinquos diligimus, primum locum tenet.

G. 9. Lib. *Su xu che kiay* tom. 7. in Libr. *Lun yu* artic 12. sic : Discipulus *Fan chi* interrogavit Confucium in quo consisteret pietas ? pietas, reposuit Confucius, primariò amorem spectat ; qui ergo debibitum ac proportionatum erga homines amorem, nempe majorem erga consanguineos, minorem erga non consanguineos exhibet, hic pietatem habet.

H. 10. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 10. art. *Gin* sic : Homo est sicut speculum ; pietas est sicuti speculi splendor. Dum speculum est immune ab omni puluere, splendorem habet ; & dum homo est immunis ab omni prava cupiditate, pietatem tenet.............. Idcircò dum homo nullam pravam habet cupiditatem, activus ejus cordis usus vastè ad omnia se extendit, & nullo non tempore pietatem sectatur ; hinc potest alios amare, & alios ex seipso metiri.

H. 11. Lib. *Lun yu* artic. 4. sic : Pietatis cultor in quocumque sive adversæ, sive prosperæ fortunæ statu versetur, sequendo pietatem, seu rectam sui cordis rationem semper tranquillè vivit.

I. 12. Lib. *Su xu che kiay* tom. 21. in Libr. 2. Memc. cap. 3. *Van cham xam* sic:

sic: Vir Sapiens, inquit Memcius, plantas quidem & bruta etiam diligit; sed non misericordiæ affectu erga illa fertur. Quoad illam autem communem hominum multitudinem, misericordiæ affectu erga illam fertur, sed non eo amore quo Parentes prosequitur; novit enim debitum amoris ordinem servare; primùm videlicet tenero amore Parentes, deinde piâ misericordiâ omnes homines; Denique communi dilectione plantas & bruta prosequitur.

I. 13. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum Yum* artic. 20. sic: Adimplere naturalem sui cordis pietatem est id, quo aliquis verè est & constituitur homo; hac pietate nullum non diligit: amor tamen, quo Parentes ac propinquos diligit, primum locum tenet.

L. 14. Lib. *Lun yu* artic. 13. sic: Discipulus *Fan chi* interrogavit in quibus rebus consisteret pietas? in his, reposuit Confucius: servare gravitatem seu modestiam in privatis actionibus; diligentiam in publicis negotiis; sinceritatem in humana societate.

M. 15. Lib. Rituum, tom. 10. cap. *Ju Him* sic: Mansuetudo est pietatis, &c. Ut suprà in contextu.

Paragraphus Secundus.

De Æquitate.

PRimò, *Definitio Æquitatis juxta Sinas sic:* Æquitas est immutabilis cujusque rei convenientia (A.) Est cordis norma & debita rerum congruitas, seu convenientia; est interior turpitudinis pudor; est ratio rerum ordinativa (B). Est recta agendi via, quam homo sequi debet. Æquitas est tota homini intrinseca, quamvis jus, quod dictat unicuique esse tribuendum, sit extrinsecum (C).

Secundò, Actus æquitatis. Universalis æquitatis actus est congrua cujusque rei distributio (D). Particularis ac primarius est veneratio virorum sapientium (E).

Tertiò, Proprietas æquitatis: Æquitatis proprietas, est omnia debito ordine disponere ac tranquillare (F). Est omnia justè distribuere, pudere rem turpem committere (G), justitiam utilitati præferre (H), imò eam pluris facere quàm ipsam vitam, potiusque mortis periculum ac ipsam mortem subire, quàm iniquitatem perpetrare (I).

Quartò, Partes integrales ac subjectivæ æquitatis. Sunt hæ decem: debita in Patre misericordia seu dilectio, in filio observantia seu obedientia, in fratre seniore benevolentia, in fratre juniore reverentia, in marito dominatio, in uxore subjectio, in superiore beneficium, in inferiore morigeratio, in Rege benignitas, in cliente seu vasallo fidelitas (L).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Chum Tum* artic. 20. sic: Æquitas, est rei convenientia seu naturalis exigentiæ conformitas.

B. 2. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* Procemium, sic: Nunc Doctores ad explicandum quid sit pietas, referunt Doctorem *Chu Hi* dicentem: Pietas est cordis virtus, & amandi ratio; æquitas est cordis norma, & debita rerum convenientia. Et paulò infrà sic: Æquitas, juxta Memcium, est interior turpitudinis pudor......... Certè æquitas est ratio erubescendi turpitudinem in corde sita.

Et paulò infrà adhuc sic: Æquitas est ratio rerum ordinativa.

C. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 9. *Kao tsu xam* sic Memcius: Pietatis & æquitatis radix est ipsa ratio; ratio in animo residet; quomodo ergo tu asseris pietatem quidem esse homini intrinsecam, sed æquitatem esse extrinsecam? cui discipulus *Kao Tsu*: Præcipua, inquit, æquitatis species est debita unius erga alterum reverentia. Potissima autem reverentia est ea, quæ senioribus debetur. Jam verò en quis senior se mihi offert; ego, quia est me adultior, ob istam ætatem adultiorem in illo exstantem eum ut seniorem revereor. Priusquam in illo conciperem istam ætatem adultiorem, nullus in me fuit eum reverendi, ut seniorem sensus; quemadmodum ubi homo albus se offert; ego, quia ille est albus, ob illam albedinem in illo extantem dico eum esse album; priusquam autem conciperem in illo albedinem, nullus in me fuit dicendi eum esse album sensus. Sed ista albedo & ista adulta ætas in alio residet, non in me; idcircò censeo tum æquitatem, qua illum revereor ob suam ætatem adultiorem, tum albedinem, qua hunc denomino album ob suam albedinem, esse homini extrinsecam. Tum sic Memcius: Fateor quidem denominare equum album ob suam albedi-

bedinem, & denominare hominem album ob ſuam etiam albedinem, non eſſe quid diverſum; ſed neſcio utrum fortè ſis arbitraturus, ſuſpicere equum ſenem ob ſuam ſenectutem, & ſuſpicere hominem ſenem ob ſuam ſenectutem, non fore quid diverſum? dic, quæſo: qua in re ponis reſidere ac ſitam eſſe reverentiæ erga ſeniores æquitatem? in adultiori ſeniorum ætate? an potius in interiori animi ſenſu, quo ſeniores ob ſuam adultiorem ætatem coluntur? ſi in interiori animi ſenſu ponis æquitatem conſiſtere, ergo eſt homini intrinſeca. Sed opponit rurſum diſcipulus *Kao Tſu*.................. En duo ſenes ſe mihi offerunt, alter ex mea cognatione, alter ex aliena provincia oriundus; ego tam illum quàm hunc veneror ut ſenem, quia nimirum eadem in utroque ſenilis ætas; idémque reverentiæ jus, in quo æquitas conſiſtit, meum trahit affectum. Sed quia illa ſenibus ætas, illúdque reverentiæ jus in me non reſidet, ideò dico æquitatem eſſe homini extrinſecam. Tum Memcius retorquendo argumentum ſic ait: Ecce duo carnis aſſæ fercula mihi offeruntur; hæc aſſata fuit à viro alienæ provinciæ, iſta à me; ego non minus iſtam à viro alienæ provinciæ, quàm hanc à me ipſo aſſatam appeto; quia idem ſapor in utraque ſitus meum æquè trahit appetitum; ſed quia iſte ſapor in utraque carne reſidens, eſt mihi extrinſecus, forſannè etiam dices meum carnis appetitum, quem tu amorem vocas, eſſe homini extrinſecum?.............. Quî, quæſo, id explicat Memcius, inquit *Mem Ki*? ſic illi repoſuit condiſcipulus *Kum tu*: ut veneratio deferatur viro aut virtute prædito, aut ætate grandævo, certè id æquitas exigit; æquitas igitur ſpectat venerationem; ſed quamvis iſta alterius virtus & ætas ſit mihi extrinſeca; cognitio tamen, quà cognoſco tum virtutem, tum ætatem in eo eſſe venerandam; atque ex hac cognitione naſcens in meo corde venerationis affectus, ipséque venerationis actus, quem pono, omnia hæc ſunt homini intrinſeca; idcircò dicitur æquitas eſſe homini intrinſeca.

D. 4. Lib. *Su xu mum yn* tom. 4. in Libr. *Chum Yum* artic. 20. ſic: Æquitas eſt convenientia; dicitur convenientia, prout hominem ſpectat. Cum ſit enim aliquid quod unicuique rei convenit, ideò homo juxta rectam rationem, id quod unicuique convenit, ac congruum

gruum est, distribuit; & hinc dicitur quòd æquitatis sit distribuere unicuique rei quod suum est, seu quod illi convenit. Ista distributio hominem spectat; v. gr. homini venerabili convenit ut colatur; homo ob eam convenientiam eum colit; & alia ejusmodi .... Alioqui æquitas esset homini extrinseca.

E. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum Yum* artic. 20. sic: Qui pietate præstat, is etiam æquitate præditus est; æquitas est cujusque rei convenientia. Qui hàc præditus est, quamvis omnes colat, particulari tamen ac præcipuo honore Sapientes prosequitur, iisque primum venerationis locum defert. Prætereà sicut amor, quo Parentes ac propinqui diligendi sunt, suam diversitatem patitur; alius enim in patrem & matrem amor, alius in ceteros consanguineos deferendus est; sic & honor, quo Sapientes colendi sunt, suos habet præstantiæ gradus; alius enim sapientioribus, alius minus sapientibus exhibendus est honor. Atque hoc utrumque ex naturali rectæ rationis cælitus infusæ lumine profluit.

F. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta hio* artic. 10. sic: Quod suprà ait Confucius: *Ubi quis Regnum seu principatum suum rectè gubernat, potest suo exemplo totum ipsum imperium ad virtutem allicere, componere, tranquillare*, id est regula, quâ sapiens Princeps uti debet ad regendum, est ipse suus animus. Ex suo enim animo potest omnium aliorum animos metiri. Deinde paulò infrà sic: Si hac animos metiendi normâ accuratè utatur, totum facilè imperium componet ac tranquillabit. Deinde sub finem sic: Atque hoc dicitur, non suam utilitatem quærere, sed publicam æquitatem sibi utilitati ducere.

G. 7. Vide hìc suprà num. 2. litterâ B. & num. 4. litterâ D.

H. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 13. in Libr. 1. Memcii cap. 1. *Leam hoei vam xam*, sic: quid est opus loqui utilitatem & lucrum, reponit Memcius Principi *Leam hoei vam*? pietatem potiùs, & æquitatem, Princeps, loquere; hoc enim abundè ad bonum regimen sufficit. Cum enim omnis Princeps sit suorum subditorum exemplar quod solent imitari; si Princeps dicat: ecquæ hinc utilitas, ecquod lucrum pro meo Regno? mox etiam Magistratus dicent: ecquæ hinc utilitas, ecquod lucrum pro mea Familia? deinde litterati & plebeii dicent: ecquæ

ecquæ hinc utilitas, ecquod lucrum pro me ipſo? quum autem hinc ſuperiores, illinc inferiores unum lucrum, & unam utilitatem quærent, publicúmque emolumentum ſibi invicem ſurripient; tunc certè publica Regni ſalus vehementer periclitabitur.

I. 9. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tſu xam*, ſic: eheu! nunc plerique hominum inverſo naturæ ordine, uni voluptati ac utilitati ſtudent, ſive unum Bonum jucundum ac utile quærunt, æquitatémque ac honeſtatem negligunt; & tamen nihil æquitate ac honeſtate præſtantius, nihil pretioſius invenitur. Quid enim plus illâ exoptari & amari poſſit? imò nè vel ipſa vita tanti eſt, ut illi præferatur. V. gr. ecce mihi offertur piſcis, & perna urſina; certè utrumque appeto; ſed ſi utrumq; ſimul obtinere nequeam, utrum duorum eligam? profectò perna urſina ſapore & pretio longè ſuperat piſcem. Mitto igitur piſcem, & pernam urſinam arripio. Ita naturali affectu & vitam & æquitatem magnoperè diligo; ſed ecce hîc & nunc utramque ſervare nequeo; quid facto opus? utra potius eligenda? certè projicio vitam, & ſervo æquitatem. Quamvis enim vitam vehementer amem; æquitas tamen eſt aliquid, quod amori vitæ præponderat. Idcircò judico vitam non eſſe iniquitate & turpitudine conſervandam. Pari modo quamvis mortem ſummoperè oderim; æquitas tamen eſt aliquid, quod huic mortis odio præponderat. Idcircò mortis malum judico non eſſe iniquitate & turpitudine vitandum. Si enim nihil magis amandum foret quàm vita; mox per fas & nefas, quidquid ad eam conſervandam juvare poſſet, effrænate omnes molirentur; ecquis tunc pro juſtitia vitam periculis exponere vellet? pari modo ſi nihil magis abhorrendum foret quàm mors; mox per fas & nefas, quidquid ad eam vitandam juvare poſſet, effrænatè omnes quærerent. Ecquis tunc pro juſtitiâ difficultates, pericula, damna ſubire vellet? ſed quia homo id habet à natura comparatum, ut videat æquitatem plus vitâ amandam, iniquitatem plus morte fugiendam; ideò, licèt poſſit damna aut mortem ipſam iniquitate effugere, refugit tamen hanc perpetrare.

L. 10. Lib. *Li Ki* ſeu Rituum tom. 4. cap. 9. *Ly yun*, ſic: Quod eſt illud quod vocatur hominis æquitas? Reſpondeo hæc decem: debita in patre miſericordia, &c. Ut ſuprà in contextu. Pa-

Paragraphus Tertius.

De Honestate.

PRimò, *Definitio honestatis juxta Sinas sic* : Honestas est interior & exterior reverentia ; est rectæ rationis ordinatus decor , humanarúmque actionum compositio ; est præscripta humani affectûs regula (A).

Interior honestas est ipsa rectæ rationis ordinatio (B).

Interior honestas est urbanitatis Ritus in vera æquitate fundatus (C).

Honestas in operibus virtutis, est sicut vinum in farina, quod dat illi saporem ; & in regendis humanis affectibus, est sicut aratrum in colendis terræ jugeribus. Terræ jugera sine aratro coli non possunt ; hominum affectus sine honestate regi nequeunt (D).

Secundò, Actus honestatis. Interioris honestatis actus, est recta animi motuum compositio (E). Exterioris honestatis actus, est Ritus juxta rectam Cæli rationem , & honestam Hominis affectionem exercitus (F). Hujusmodi Ritus est quintuplex.

Primus, festivus: v. gr. facere Ceremoniam cy supremo cæli Domino, aliis inferioribus spiritibus , defunctis Parentibus.

Secundus, flebilis : v. gr. Ceremoniæ funerum , publicarum calamitatum , morborum contagiosorum , intestinorum bellorum , famis , &c.

Tertius , hospitalis: v. gr. Ceremoniæ legationum , Regii affatûs , mutuarum visitationum.

Quartus, militans: v. gr. Ceremoniæ in belli declaratione, militum inscriptione, rei militaris instructione, operum publicorum exstructione, Regni seu Principatûs erectione.

Quintus, epularis : v. gr. Ceremoniæ conviviorum , nuptiarum , primi pilei imponendi pro Adolescente, & primæ acûs pro puella , congratulationum, munerum largitionis (G).

Pro Regis autem seu Imperatoris alloquio, hi olim erant præscripti Ritus : *Primò*, tesseræ seu Tabellæ onychinæ diversarum quinque specierum præferendæ erant in manibus à Regulis primi, secundi, tertii, quarti, quinti ordinis. *Secundò*, tria diversa serici voluminis genera offerenda à Reguli filio herede, ab orphano Reguli filio,& ab inferiori

riori Toparcha; à primo volumen coloris purpurei, à secundo cærulei, à tertio flavi offerendum. *Tertiò*, tria diversi generis dona à supremorum tribunalium Præsidibus, à primariis Præfectis, & à Doctoribus; à primis, agnus vivus, à secundis cygnus vivus, à tertiis sylvestris gallina mortua offerenda (H).

Denique Ritus ordinarii & communes sunt hi sex: Primus, primi pilei pro Adolescente, & primæ acûs pro puella impositio. Secundus, Matrimonium. Tertius, Funera. Quartus, Ceremoniæ *Cy*. Quintus, civicum convivium. Sextus, mutuæ visitationes (I).

Tertiò, Proprietas Honestatis. Honestatis proprietas, est honestatem escæ ac voluptati præferre (L). Erubescere, inhonesta actione cor coinquinatum gerere (M). In Familia, juniorum ac seniorum subordinationem; in domo paterna, Parentum, liberorum, nepotum, concordiam; in palatio Regio, officiorum ac dignitatum ordinem; in Regni visitatione protectionem, in bello victoriam procurare (N). Ex honestate etiam profluit ædificiorum norma, vasorum figura, saporum distributio, Musicæ harmonia, curruum forma, Spirituum Ceremoniæ *Cy*, funerum luctus, verborum elegantia, Magistratuum distinctio, regiminis decor (O).

Quartò, Partes integrales ac subjectivæ Honestatis, sunt hæ: Junioris urbanitas erga seniorem, v. gr. in gressu, occursu, egressu, ingressu, responsis, mensa, visitationibus (P). Modestia, gravitas, candor, sensuum externorum moderatio, turpium sermonum horror, lascivorum aspectuum fuga, impudicæ Musicæ aversio, socordiæ ac despectûs odium, totius corporis compositio: nimirum gressus gravis, manus reverens, risus serius, os taciturnum, vox tranquilla, caput rectum, respiratio pacata, statura recta, facies verenda (Q).

Huc etiam referuntur quædam honestatis regulæ pro visu, auditu, ore, opere, quas vide infrà in textibus (R).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu mum yn* tom. 1. in Lib. *Ta hio* Procemium, sic: Juxta Memcium honestas est quidam interioris & exterioris reverentiæ sensus. Et paulò infrà sic: Juxta Doctorem *Chu hi*, (nempe in ma-

gno ejus Commentario honestas est quædam interioris exteriorisque reverentiæ, atque ordinatæ compositionis ratio.

Ibidem paulò superiùs, & juxta eumdem Doctorem *Chu hi* sic: Honestas est rectæ rationis ordinatus decor, aptaque humanarum actionum compositio.

A. 2. Lib. *Li Ki* tom. 4. cap. 9. *Li yun*, Interpres *Chin hao* sic: Honestas suam à Cælo trahit originem, utpote quæ est Cæli rationis ordinatus decor.

B. 3. Lib. *Li Ki* tom. 4. cap. 9. *Li yun*, Interpres *Chin hao* sic: Honestas est determinata æquitatis norma.

C. 4. Lib. *Li Ki* tom. 4. cap. *Li yun*, idem Intepres *Chin hao* sic: Honestatis Ritus, quamvis à priscis Sapientibus instituti fuerint, tamen fundantur in naturali actionum humanarum æquitate.

D. 5. Idem Lib. *Li Ki* tom. 4. cap. 9. *Li yun* sic: Idcircò honestas in opere est sicut vinum in farina, quod dat illi saporem. Et paulò infrà: Princeps qui suum Regnum sine honestatis Ritibus vellet administrare, esset sicut agricola, qui suos agros vellet sine aratro colere. Et siquis vellet exercere honestatis Ritus non fundatos in æquitate, esset sicut agricola, qui vellet agros colere sine semine.

E. 6. Lib. *Lun yu* sive Sententiarum artic. 12. sic Interpres *Chu hi*: Ubi non est honestas, inquit Doctor *Chim*, ibi est prava cupiditas. Regnante autem pravâ cupiditate, enimverò quomodo potest haberi pietas? idcircò oportet suas pravas cupiditates prorsùs vincere, atque ita ad honestatem redire, tunc habetur pietas.

F. 7. Lib. *Li Ki* tom. 4. cap. 9. *Li yun* sic: Illi honestatis Ritus, inquit Confucius, fuerint à priscis Imperatoribus instituti juxta Cæli viam ad dirigendam naturalem Hominis affectionem. Et paulò infrà Interpres *Chin hao* sic: Honestatis Ritus, sunt Magistra humani affectûs regula. Quod primò spectat morum compositio, est honestas, seu honestatis Ritus. Idcircò ad dirigendas naturales hominum affectiones, illi ante omnia curandi sunt; sicut Agricola, quod primò spectat ad arandum, est aratrum.

G. 8. Lib. *Su xu mum yn* tom. 1. in Libr. *Ta hio* Proœmium sic: Rituum genera sunt quinque; alii enim sunt festivi, alii flebiles, alii militares, alii hospitales, alii epulares.

Ritus

Ritus festivi sunt duodecim; suntque id quo servitur, seu fit Ceremonia *Cy* Regum Defunctorum animabus, cælique ac terræ Spiritibus. Horum primus est oblatio *Yn*, quæ fit supremo vastissimi cæli Domino; vel dic: vastissimo Cælo supremo Domino, &c.

Ritus flebiles sunt quinque; suntque id, quo lugentur tristes Regni casus. Primus sunt exequiæ, ac funebris luctus pro Defunctis. Secundus est pro anni sterilitate, & morbis contagiosis. Tertius pro infortuniis. Quartus pro Regni cladibus. Quintus pro rebellionibus ac depopulationibus.

Ritus hospitales sunt octo; suntque id, quo ad Imperatorem datur accessus. Verni temporis accessus vocatur *Chao*, id est, tempestivus; æstivi, vocatur *Tsum*, id est, honorabilis, (nempe accessus Propinquorum Imperialis Familiæ); autumnalis, dicitur *Kin*, id est, diligens; hiemalis, dicitur *Yu*, id est, improvisus. Accessus extemporaneus dicitur *Hoei*, id est, comitialis. Universalis dicitur *Tum*, id est, omnium Regulorum ac Procerum congressus. Status Legatorum accessus, dicitur *Ven*, id est, interrogatio. Regulorum accessus dicitur *Su*, id est, conspectus.

Ritus militares sunt quinque; suntque id, quo Regni vires uniuntur. Primus est belli declaratio. Secundus militum inscriptio seu collectio. Tertius bellicæ artis instructio. Quartus publicorum operum exstructio. Quintus Regni seu Principatûs erectio.

Ritus epulares sunt sex, suntque id, quo mutua hominum societas ac familiaritas inter se servatur. Differunt à festivis; quia festivi spectant Ceremonias *Cy*; epulares, convivia. Primus Parentum ac consanguineorum convivia. Secundus primi pilei impositio in capite Adolescentis, & acûs in capite puellæ. Tertius jaculandi inter amicos exercitatio. Quartus publicum unius loci convivium. Quintus epularium munerum inter consanguineos largitio. Sextus festivæ congratulationes.

H. 9. Lib. *Xu Kim* tom. 1. cap. *Xun tien* sic: Tunc Imperator *Xun* instituit quinque Rituum, quinque Tabellarum onychinarum, quinque sericorum munerum genera; munus duorum vivorum animalium, & unius mortui, seu occisi.

Deinde Interpres *Tjay xin* sic: *Quinque Rituum genera*, sunt Ritus fe-

festivi, flebiles, hospitales, militares, epulares. Hos autem instituit Ritus ad procurandos in toto imperio eosdem mores. *Quinque Tabellarum onychinarum genera*, sunt tesseræ illæ honorariæ, quas in manibus gestare debebant Reguli, dum ad Imperatorem accedebant. Reguli primi ordinis seu *Kum* præferebant Tabellam onychinam *Von*; secundi ordinis seu *Heu*, Tabellam *Sin*; tertii ordinis seu *Pe*, Tabellam *Kum*; quarti ordinis seu *Tsu*, Tabellam *Pie*; quinti ordinis seu *Nan*, Tabellam *Pu*. (Istæ Tabellæ & figurâ & magnitudine distinguebantur). Isti Reguli dictas Tabellas coram Imperatore gestabant, ut eas unirent & coaptarent alteri earum parti ad faciendam fidem, dum primâ vice Imperatorem adibant.

Tria sericorum munerum genera; id est, hereditarii Regulorum filii dum prima vice Imperatorem salutabant, offerebant serica volumina *purpurei* coloris; orphani Regulorum *Kum* filii, qui principatu exciderant, offerebant serica volumina *cærulei* coloris; & Toparchæ seu titulo Reguli carentes, *flavi* coloris.

Munus duorum vivorum animalium, & unius mortui, seu occisi; id est, primi Curiæ Ministri dum primâ vice Imperatorem salutabant, offerebant *agnum* vivum; primarii Præfecti, *cygnum* vivum; & primi ordinis Litterati, seu Regii, sylvestrem gallinam mortuam, seu occisam.

I. 10. Lib. *Li Ki* tom. 3. cap. 5. *Vam Chi* sic: Ritus sunt sex; primi pilei, &c. Ut suprà in contextu.

L. 11. Lib. *Su xu che kiay* tom. 24. in Libr. 2. Memcii cap. 6. *Kao tsu hia* sic: Cum multi civilium bellorum tempore non satis rectam cordis honestatem à prava sensuum cupiditate distinguerent, quidam vir è Regno *Gin* sic interrogavit Memcii discipulum *Uo liu*: dic, quæso, domine, utram pluris faciendam censes, honestatem, an escam? honestatem, reponit *Uo liu*. Dein sic rursus interrogat: utram pluris etiam faciendam putas, honestatem, an voluptatem? honestatem, reponit iterum *Uo liu*. Tum ille: sed ecce quis in extremam paupertatem redactus, si ad habendam escam voluerit communem humani commercii honestatem servare, illam non obtinebit, ac fame peribit; si non servet, escam obtinebit, & vitam servabit. An tunc etiam necesse est, ut statas honestatis ac urbanitatis leges servet, & mortem oppetat? Deinde ecce alius pauper si præ-

præscriptos conjugalis honestatis Ritus, quos sponsus debet adhibere ad quærendam, ac domi excipiendam sponsam, servare voluerit, non poterit uxorem habere. Si non servet, habere poterit. Num fortè debebit etiam tunc istos Ritus servare, ut uxorem ducat? difficultate implicatus discipulus *Uo lu*, responsum dare non potuit; sed sequenti die in metropolim Regni *Ceu* profectus, quæstionem Memcio exposuit. Cui Memcius: ecquid ibi difficultatis? an fortè ignoras dari regulam communem, & casum particularem? fixam legem, & legis exceptionem? ad instituendam comparationem oportet, ut idem cum eodem, cummune cum communi, singulare cum singulari, grave cum gravi, leve cum levi comparetur; alioqui fieri posset, ut tigillum exiguum esset altius magno ædificio, & aurum plumâ levius.

M. 12. Lib. *Sù xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* sic: Quocircà hic animi sensus, quo honestas plus vitâ amanda; turpitudo plus morte fugienda judicatur, non tantùm Sapientibus, sed etiam reliquis omnibus hominibus inest; insipientes tamen illum extinguunt ac perdunt; sapientes autem illum augent ac firmant.

Et infrà sic: Vir suum digitum, aliorum hominum digitis dissimilem novit erubescere; cor autem suum, aliorum hominum cordibus dissimile non erubescet? quid hoc? numquid verè dicetur ejusmodi vir non nôsse rerum species, cùm vile pro pretioso, pretiosum pro vili habeat?

N. 13. Lib. *Li ki* tom. 9. cap. 28. *Kum ny yen kiu* sic: Itaque hoc modo domi habebitur honestas, ex qua juniorum ac seniorum subordinatio; in gynæceo honestas, ex qua Parentum, liberorum, nepotum concordia; in palatio Regio honestas, ex qua Magistratuum ac dignitatum ordo; in Imperii seu Regulorum visitatione honestas, ex qua tumultuum impedimentum; in exercitu honestas, ex qua victoriæ consecutio orietur.

O. 14. Lib. *Li Ki* tom. 9. cap. 28. *Kum ny yen kiu* sic: Hinc (nempe ex Rituum honestate) ædificia habent suam determinatam normam; mensuræ & vasa suam determinatam figuram, sapores & escæ suum tempus, Musica suam harmoniam, currus suum numerum ac formam, Spiritus suos Ritus, funera suos luctus, dissertationes suas classes,

ses, Magistratûs suum ordinem, regimen suum opus, denique omnes nostri corporis motus suam aptitudinem ac exigentiam.

P. 15. Lib. *Siao hio* seu doctrina Parvulorum cap. 2. §. 4. sic: Nullus est, ait Memcius, infans qui patrem & Matrem non amet. Paulò autem grandior effectus, nullus est qui fratres natu grandiores revereri nesciat............... Qui retardato parumper gressu, modestè à tergo seniores sequitur, hic dicitur debitam erga illos reverentiam servare; contrà, qui accelerato passu incedens, temerè illos in via prætervolat, hic dicitur irreverentiâ erga illos peccare.

Ibidem paulò infrà sic: Qui me viginti, ego ei ut patri; qui me decem; ego ei ut fratri seniori; qui me quinque ætatis annis superat, ego ei etiam ut fratri seniori inservio; sed hunc æquali passu, parum tamen retroacto, in via comitor.

Ibidem sic: Dum senior aut superior juniorem consulit, si hic modestè excusationem non præmittat, sed subitò respondeat, contra urbanitatem peccat.

Ibidem sic: Dum discipulus incedit cum Magistro, non excurrat extra viam ad alium alloquendum; dum Magistro vel Superiori in via occurrit, primò tantisper gressum acceleret; deinde propior factus, stans recto corpore gressum sistat; manus reverenter attollendo. Si ille ipsum alloquatur, respondeat; sin minùs, celeriter pertranseat, ac viam prosequatur.

Ibidem sic: Junior cum seniore, aut discipulus cum Magistro mensæ accumbens, assurgat, dum vini scyphus illi offertur; reverentiam exhibeat, & illum in offerentis loco excipiat. Si autem jubeatur non assurgere nec loco moveri, pareat; sedéque paululùm inversâ ac retroactâ, bibat. Antequam senior aut Magister scyphum exhauserit, suum non exhauriat. Quidquid senior, aut Magister, aut Herus donat, junior aut discipulus aut famulus illud non ausit recusare seu rejicere. Junior cum seniore, discipulus cum Magistro mensæ accumbens, quamvis ipsi apponantur cibi exquisiti, eos non recuset; imò nec recuset, si in loco æquali sedere jubeatur. Assidens viro honorato, dum interrogatur, si nulla factâ consideratione, præproperè, aut antequam interrogans verba absolverit, respondeat, inurbanitate peccat. Vide ibidem plura ejusmodi.

Q. 16.

Q. 16. Lib. *Siao hio* cap. 3. §. 1. ſic: Dum ſolus agis, ſerva modeſtiam; dum rebus vacas, ſerva diligentiam; dum alios frequentas, ſerva candorem. Quamvis inter barbaras gentes degeris, non debes has virtutes negligere.

Ibidem ſic: Sapiens, inquit Liber *Li Ki* cap. *To Ki*, turpia verba ab auribus, turpes aſpectus ab oculis amovet; laſcivam Muſicam, & illecebroſam pulchritudinem à cordis cogitatu proſcribit; ſocordiam, deſpectum, libidinem, ſimulationem in ſuis moribus omninò non patitur. Vult enim, ut auris, oculus, naris, os, cor, & omnia ſua membra rectam honeſtatis viam accuratè ſequantur, omnéſque ſui muneris partes penitus adimpleant.

Q. 17. Lib. *Siao Hio* cap. 3. §. 2. ſic: Noli, inquit Liber *Li Ki* cap. *Kio li*, inflexâ aure auſcultare, clamoſâ voce reſpondere, limis oculis aſpicere, otiosè vagari, faſtosè exſpatiari, ſtando unico pedi inniti, ſedendo crura divaricare, dormiendo prono corpore jacere; facies non ſit capillis confuſa; nudo capite non exiſtas; laborando non denudes brachia; calendo non aperias veſtem.

Ibidem ſic: Viri ſapientis ſpecies, (inquit Liber *Li Ki* cap. *To Tſao*,) dum ſolus domi agit, eſt liberalis & modeſta. Si autem quempiam, cui honor debetur, fortè videat; ſtatim eſt gravis & compoſita; pes tardus, manus reverens, oculus ſerius, os taciturnum, vox quieta, caput rectum, reſpiratio tranquilla, ſtatura ſpectabilis, vultus verendus. Vide ibidem plura ejuſmodi.

R. 18. Lib. *Siao Hio* cap. 5. §. 3. ſic Doctor *Chim*: Cùm diſcipulus *Ten yuen* interrogâſſet Confucium quænam eſſent præcipua vincendi ſeipſum, & honeſtatem ſectandi capita, ſic illi reſpondit: Siquid videndum occurrat honeſtati contrarium, noli videre; ſiquid audiendiendum, noli audire; ſiquid loquendum, noli loqui; ſiquid agendum, noli agere. Hæc ſunt quatuor noſtri cordis officia, quibus per internam virtutem rebus externis occurritur, & per rerum externarum moderamen interna virtus alitur. Diſcipulus *Ten yuen* ſequendo hæc præcepta ac documenta, ſublimiſſimam virtutem adeptus eſt. Siquis igitur ſublimiſſimam virtutem adipiſci cupiat, iſta documenta profundè menti infigat, nec umquam obliviſcatur. Quare ad ſeipſum moderandum ac vincendum hæc quatuor monita appono:

Mo-

Monita pro visu. Noster animus ex se est incorporeus, invisibiliterque à rebus corporeis commovetur, flectitur ac mutatur, ideóque eum regere plurimi interest. Norma autem eum regendi, est oculus. Si oculus rebus pravis pascatur, mox animus commovetur ac mutatur; contrà, si ab illis videndis arceatur, tunc animus pristinam suam pacem conservat. Sic seipsum diu vincendo ac honestatem sequendo, tandem vera cordis rectitudo acquiritur.

Monita pro auditu. Hominis natura à Cælo infusa, est quidem ex se recta; sed dum intellectus ab auditis pravis rebus allicitur, & appetitus abripitur, tunc illa suam rectitudinem perdit. Illustres prudentiæ duces ac Magistri, qui servando coërcendi auditûs regulas, occurrunt pravis rebus externis, hi nôrunt veram naturæ rectitudinem conservare. Tu igitur, siquid audiendum occurrat honestati contrarium, noli audire.

Monita pro sermone. Quæ animum movere solent, sunt verba illi allapsa. Loquendo igitur cave à præcipitatione, levitate, vanitate; atque hoc modo animus fiet quietus ac collectus. Deinde ex solis verbis sæpissimè bella vel pax, calamitas vel felicitas, infamia vel gloria oriri solent. Hinc tuis verbis invigila. Siquis enim loquendo levitate peccet, mendaciis; si garrulitate, absurditatibus scatebit. Si aut tuis immoderatus, aut alienis oppositus verbis fueris; quidquid injuriosum protuleris, procul dubio ad te redibit. Itaque noli loqui nisi juxta priscorum Sapientum normam. Hæc documenta diligenter custodi.

Monita pro opere. Viri prudentes, utpote rerum sublimium gnari, in suis consiliis ac cogitationibus solidi; viri fortes, utpote rerum difficilium avidi, in suis cœptis ac gestis constantes esse solent. Hi & illi in sequenda rectæ rationis via liberalem animum gerere amant. Contrà, qui suis cupiditatibus cæcè indulgent, irrequieti semper agunt. Siquis in subitis casibus possit statim sui esse compos, atque in periculis cautus; ubi huic vigilantiæ sensim assuefactus fuerit, tunc non tantùm excelsam sapientiam, sed & absolutam virtutem facilè sibi comparabit.

Para-

Paragraphus Quartus.

De Prudentia.

PRimò, *Definitio prudentiæ juxta Sinas sic*: Prudentia est distinctiva honestatis & turpitudinis ratio. Prudentia est habitus, per quem nostri cordis spiritus intelligens omnes rationes penetrat, ac omnes res dirigit. Prudentia est habitus impulsivus ad agendum juxta rectam rationem, instar practici speculi honestatem ac turpitudinem repræsentantis. Prudentia denique est intima rerum cognitio, & quidam animi sensus ad distinguendum honestum à turpi (A).

Secundò, Actus prudentiæ. Universalis prudentiæ actus, est in omnibus rebus tenere Medium. Sectarius *Yam Chu* sibi uni tantùm; Sectarius *Me Te* omnibus hominibus æqualiter; Sectarius *Tsu Mo* utrisque semper consulendum ac vacandum volebant. Primus contra pietatem; secundus contra æquitatem; tertius contra prudentiam peccabat. Quia prudentia vult quoddam Medium, prout locus, tempus, ac res exigunt (B). Particularis prudentiæ actus, est apposité alios dirigere ac perficere. Seipsum enim ita perficere, ut nulla in se ipso prava superstit cupiditas, id dicitur pietatis actus, seu omnimoda cordis rectificatio; alios autem ita perficere, ut eos apposité juxta uniuscujusque rei honestatem dirigat, id dicitur prudentiæ actus (C).

Tertiò, Proprietas prudentiæ. Prudentiæ proprietas, est cessare ab actione ubi necdum est agendum, ut possit posteà sine difficultate agere, quando erit agendum; deinde nec verba certò adimplenda, nec opera certò exequenda præfinire, sed firmiter tantùm proponere se acturum, quod æquum ac justum fuerit; ac posteà illud constanter agere (D). Alia insuper ejus proprietas, est nôsse homines; quinam nempe recti aut pravi; quinam sapientes aut insipientes sint (E). Ad scrutandas autem humani cordis latebras non tantùm audienda oris verba, sed maximè inspicienda oculi pupilla, quemnam motum, quamnam speciem edat (F). Alia prudentiæ proprietas, est respicere finem, ad quem ultrò res ex se tendant, ac juxta istum naturalem cursum eas dirigere. Sic Princeps *Iu*, ut magnam Chinæ partem à diluvionibus purgaret, debacchantes huc illuc aquas, juxta naturalem earum cursum in mare direxit; prudentiæ enim vitium est coactis, obliquis-

que viis velle res agere, instar cuniculos perforantis (G). Denique prudentiæ est, in legendo non abuti verbis ad nocendum sententiis, nec sententiis ad nocendum toti sensui (H).

Quartò, partes integrales ac subjectivæ prudentiæ, sunt hæ: Diffidentia sui in rebus agendis, uti faciebat Imperator *Xun*, qui non tantùm subtilia consilia, sed etiam vulgaria ac trivialia verba considerabat (I). Suspicionis fuga inter fratres (K). In dubitationibus interrogatio, in negotiis vigilantia, in rebus audiendis intelligentia (L).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu mum yn* tom. in Libr. *Ta Hio* Proœmium sic: Juxta Doctorem *Chu Hi* prudentia vel intelligentia est id, quo nostri cordis Spiritus intelligens omnes rationes penetrat, ac omnes res dirigit.

Nota: Sinæ non videntur distinguere prudentiam ab intelligentiâ, seu potiùs utramque eodem nomine exprimunt; & ideò modò unam, modò alteram pono.

Ibidem paulò infrà sic: Juxta Doctorem *Xin*, prudentia est principium impulsivum, rectam Cæli rationem cum motu & quiete complectens; éstque practicum in rebus humanis turpitudinis ac honestatis speculum.

Ibidem paulò infrà sic: Juxta Memcium, prudentia est quidam animi sensus, turpitudinis & honestatis, veritatis & falsitatis distinctivus.

Rursus ibidem sic: Juxta Doctorem *Chu hi*, prudentia est ratio distinctiva honestatis à turpitudine, veritatis à falsitate.

A. 2. Lib. *Su xu mum yn* tom. 4. in Libr. *Chum yum* artic. 20. sic: Prudentia vel intelligentia est id, quo res intelligimus.

Et infrà: Ista prudentia, pietas, fortitudo est quædam eadem in cunctis hominibus ratio à Cælo accepta. Eccur igitur aliqui tenent, aliqui non tenent illam universalem ac communem rectè agendi viam? Respondeo: quamvis ista ratio quatenus accipitur, in se sit eadem; tamen dum è corde procedit, & prout attingit vel non attingit veritatem, est diversa. Idcircò oportet ut id, quod operando attingit, sit unum seu una veritas; dum est unum, tunc prudentia est vera; ubi autem prudentia in sua cognitione est vera, tunc homo ritè intelligit illam communem rectè agendi viam.

B. 3.

B. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 25. in Libr. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam*, sic Memcius: Quod in virtute maximi fit, est Medium; in Medio, est prudentia. Jam verò isti Sectarii nec in virtute Medium, nec in Medio prudentiam sequuntur. Sectarius *Tam Chu* si sibi uni consuluerit, istud sat esse arbitratur. Quamvis oporteret unum dumtaxat sibi pilum evellere ad succurrendum toti imperio, ne vel ipsum evelleret. Contrà, Sectarius *Me Tie* omnes homines æquali amore vult esse diligendos, nullâ habitâ Parentum, consanguineorum, amicorum, externorum distinctione. Quamvis à planta pedis usque ad collum oporteret omnes nervos ac ossa contorquere ad quærendum universale imperii emolumentum, id lubens totum præstaret ac sustineret. Nostri autem Regni *Lu* celebris incola *Tsu Mo* Medium inter hos duos Sectarios viam elegit; nec boni publici curam respuit, ut *Tam Chu*; nec se neglecto, unam aliorum utilitatem cœco studio æqualiter quæsiit, ut *Me Tie*; sed medium tenendo, putavit se à recta rationis via non procul recedere. Si tamen in arrepto duorum Sectariorum Medio, prudentiam quam locus, tempus & res exigunt, non servârit, etiam vel sic unam partem aut dextram aut lævam, non verum Medium arripuisse dicetur. Quod ergo in omnibus istis sic lævam aut dextram, non medium iter tenentibus, odio habetur, est veræ doctrinæ dispendium. *Tam Chu* enim pietati, *Me tie* æquitati, *Tsu Mo* prudentiæ nocet. *Tam Chu* vult sibi uni vacandum, *Me Tie* omnibus æqualiter, *Tsu mo* utrisque semper. Atque ita unam dumtaxat falsam virtutis speciem excerpunt, innumeráque pietatis, æquitatis, prudentiæ officia negligunt ac respuunt. Annon sanè & ipsi respuendi?

C. 4. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 25. sic: Veritate non tantùm homo seipsum, sed etiam alios perficit. Seipsum ita perficere, ut nulla in seipso remaneat prava cupiditas, id dicitur pietas, seu omnimoda cordis rectificatio; alios autem ita perficere, ut eos accuratè & appositè juxta uniuscujusque rei honestatem dirigat, id dicitur prudentia.

D. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 20. in Libr. 2. Memcii cap. 2. *Li leu hia* sic: Vir prudens, inquit Memcius, qui ritè novit cessare ab actione, ubi nondum agendum est, hic posteà poterit, ubi agendum erit, sine

difficultate agere. Vir, inquit Memcius, qui aliena vitia patefacit; utinam sciret quantus dolor hinc posteà sibi sit eventurus.

Ibidem sic: Vir, inquit Memcius, virtute & doctrina magnus nec præfinit certò verba adimplere, nec opera certò exequi; sed id unum, quod æquum fuerit, firmiter proponit agere, & posteà constanter agit.

E. 6. Lib. *Lun yu* artic. 12. discipulus *Fan chi* interrogavit qua in re sita foret prudentia? in noscendis hominibus, reposuit Confucius.

F. 7. Lib. *Su xu che kiay* tom. 19. in Libr. 2. Memcii cap. 1. *Li leu xam* sic: Ceterùm, inquit Memcius, ad inspiciendos & noscendos homines nullus præstantior modus, quàm oculi pupillam inspicere; oculi enim pupilla, vitium quod in corde latet, non potest abscondere. Si vitæ rectitudo, candor, honestas in corde resideat, mox videas oculi pupillam specioso internæ virtutis lumine splendescere; contrà, si vitæ pravitas, simultas, turpitudo in corde stabuletur, mox videas oculi pupillam obscura interni vitii nube tenebrescere. Unde ad perscrutandas humani cordis latebras, non tantùm audienda oris verba, sed etiam maximè inspicienda oculi pupilla. Tunc quisquis ille sit, non poterit sanè arcanas sui cordis affectiones meis oculis atque aspectibus occulere.

G. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 20. in Lib. 2. Memcii cap. 2. *Li leu hia* sic Memcius: Quod in prudentia culpari, odióque haberi solet, est obliquis coactisque viis inveniendis continuè ad res agendas insudare instar cuniculos perforantis. Contrà, si prudentiæ amator velit tantùm res occurrentes dirigere, sicut Princeps *Yu* debacchantes diluvii aquas direxit, tunc nil reprehensione, nihil odio dignum reperies. Princeps *Yu* in dirigendis exundantibus aquis, eò, quò naturali impetu, & ex se ferebantur, cursum illarum in mare sine difficultate direxit ac deduxit. Sic prudentiæ studiosus, si res nunc hinc, nunc inde occurrentes rectè noverit in finem, ad quem ultrò ex se tendunt, sine vi ac perturbatione dirigere ac deducere, tunc magnâ ac verâ prudentiâ, uti Princeps *Yu*, pollere judicabitur.

H. 9. Lib. *Su xu che kiay* tom. 21. in Libr. 2. Memcii cap. 3. *Van cham xam* sic Memcius: Idcircò prudens libri *Xi kim* Interpres non debet uti litteris ad nocendum sententiis, nec abuti sententiis nudis ad nocendum

cendum sententiarum sensui; sed juxta maturi judicii leges debet verum verborum sensum eruere; tunc poterit Auctoris mentem assequi. Si enim tantùm verborum cortici adhæreat, v. gr. in hoc exemplo ejusdem Libri tom. *Ta ya* odà *Yun han*, ubi dicitur: *Eheu! post tantam sterilitatem & famem, quàm infelix imperii* Cheu *strages visa est! nullus omninò ex tot populis superstitit;* si hæc verba crudè, ut jacent, accipias, illisque fidem adhibeas; sensus erit nullum omninò Imperii *Cheu* hominem superfuisse; quod sanè falsum est. His enim verbis tantùm vult Auctor exprimere acerbam extremæ siccitatis ac sterilitatis miseriam.

I. 10. Lib. *Su xu che kiay* tom. 2. in Libr. *Chum yum* artic. 6. sic: Si quæris, inquiebat Confucius, quisnam hanc latam rectè agendi viam verè cognoverit ac triverit, respice sapientem Principem *Xun*. Ecqua enim fingi aut excogitari potest major prudentia illâ, quâ utebatur & in cognoscenda & terenda prædicta via? hic Princeps in rebus agendis numquam sibi ipsi fidebat, sed semper alios consulere volebat; nec tantùm subtilia consilia & profundos sermones, sed etiam trita & vulgaria verba lubenter perpendebat. Siquid fortàssis malè suasum aut dictum fuerat: silens abscondebat; siquid benè: laudans propalabat. Cum verò in ipsis sanis consiliis, & rectis verbis soleat sæpè modò per defectum, modò per excessum nonnihil peccari; ideò audita utriusque partis momenta ac rationes maturè apud se perpendebat, omniaque ad unum æquitatis Medium reducebat; ac tunc illud opere complebat.

K. 11. Lib. *Su xu che kiay* tom. 16. in Lib. 1. Memcii cap. 4. *Kum sun cheu hia*, Præfectus *Chin Kia* ita interrogavit Memcium: ecquid, ait, sentis de Principe *Cheu Kum*? ecquis vir tibi videtur fuisse? vir, reponit Memcius, inter priscos Heroas & pietate & prudentia absolutissimus. At Princeps *Cheu Kum*, opponit *Chin Kia*, misit fratrem *Quon Xo* ad invigilandum novo Regni *In* Regulo, & ipse *Quon Xo* cum hoc Regulo posteà rebellavit. Videor id quondam audivisse. Itàne reverà est? Ita habetur in libro Annalium, reponit Memcius. Nunc autem percunctor, subjungit *Chin Kia*: Dum Princeps *Cheu Kum* fratrem suum mittebat, prævidebàtne illum rebellaturum? minimè, inquit Memcius. Ergo, reponit *Chin Kia*, si non prævidebat, aut

culpa aut error in virum & pietate & prudentiâ absolutissimum cadit. Tum Memcius: Princeps *Cheu Kum* erat frater natu minor; Princeps *Quon Xo* frater natu major. Numquid pietas ac prudentia exigebat, ut frater natu minor fratri natu majori absque ulla omninò suspicione fideret? potéstne illi aut culpa aut error, ob id quod agere debebat, ascribi?

L. 12. Lib. *Siao kio* cap. 3. §. 1. sic: Novem sunt, quæ Sapiens assiduè cogitat: in visu claritatem, in auditu intelligentiam, in vultu affabilitatem, in corpore modestiam, in verbis veritatem, in negotiis diligentiam, in dubitationibus interrogationem, in altercationibus damnum, in opibus æquitatem.

Paragraphus Quintus.

De Veritate.

PRimò, *Definitio Veritatis juxta Sinas sic:* Veritas est entis realitas. Est completa & indivisibilis rectæ rationis, & æquitatis essentia. Est Cæli via, itemque Cælestis legis via (A). Recta ratio, seu via quâ Cælum res producit, est veritas; recta autem ratio seu via quà homo mores suos perficit, est veritatis studium (B). Veritas est principium & finis rerum; res enim quæ veritate caret, jam nec est illa res; v. gr. amor, obedientia, fidelitas si veritate careant, jam non amor, nec obedientia, nec fidelitas esse censentur (C). Hinc veritas non separatur à pietate, æquitate, & aliis virtutibus (D). Veritas alia cordis, alia operis; veritas cordis, est affectus verus; operis veritas, est effectus verus. Rursus veritas alia speculationis, alia operationis; illa noscendæ, hæc exercendæ virtuti inservit (E). Denique veritas, alia est locutionis, quæ nempe est & mentis & oris unita sinceritas (F).

Secundò, Actus Veritatis. Intrinsecus veritatis actus, est cordis verus affectus; extrinsecus, est rei verus effectus, seu potiùs ipsa productio aut positio veri affectûs, & veri effectûs. Item est mentis & oris conjuncta sinceritas, nempe ut est actus productus; est simultatis expulsio (F).

Tertiò, Proprietas Veritatis. Veritatis proprietas, est omnia priusquam fiant,

fiant, ad veritatis metam dirigere; v. gr. verba priusquam proferantur, negotium priusquam suscipiatur, virtutis opus priusquam exerceatur, scientiam, priusquam explanetur, dirigere ad veritatis metam, ut benè succedant (G).

Quartò, Partes integrales ac subjectivæ Veritatis, sunt hæ: In Parentum & Regis servitio omnimoda sinceritas (H). Affabilitas inter consanguineos, candor inter amicos (I). Inquirendæ veritatis ardor; in actionibus solertia (K).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 10. artic. *Gin y li chi sin* sic: Veritas, est hujus entis realitas........... Veritas est totalis & indivisibilis rectæ rationis & æquitatis substantia, seu essentia.

A. 2. Idem Liber tom. 11. artic. *Chim* sic: Quod non est vanum, inquit Doctor *Hoam*, dicitur veritas; quod non decipit, illam ordine sequitur. Quod autem non est vanum, adeóque est veritas, id Cæli via; quod non decipit, adeóque veritatem sequitur, id hominis via dicitur.

Et paulò infrà sic: Numquid quando dicitur veritas esse Cælestis legis via, exactissimè illa exprimitur?

A. 3. Lib. *Su xu mum yu* tom. 4. in Libr. *Chum yum* artic. 20. sic: Veritas est finis & principium rerum; sine veritate res non subsistunt. Si enim illa consideretur ut ratio: Cæli ac terræ ratio sine intermissione est semper summè vera; ideò ab omni ævo huc usque nulla omninò res fuit, aut est, quæ non sit vera; & quidquid est in tota re ab initio usque ad finem, est vera ratio quæ illud producit aut facit. Si consideretur ut cor, seu animus: viri sapientis animus sine intermissione est semper summè verus; ideò ab ortu usque ad mortem, nullum est ejus opus, quod non sit verum; & quidquid est in toto ejus opere ab initio usque ad finem, est verus animus, qui illud producit aut facit.

B. 4. Lib. 2. Memcii cap. 1. *Li leu xam* sic Memcius: Idcircò veritas est via, quâ Cælum res producit; & veritatis studium est via, qua homo suos mores perficit.

C. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 25. sic: Itaque ve-

veritate se homo perficit, adeóque ipsa est recta vivendi via quam sequi debet. Unde insuper veritas est principium & finis rerum; nec res quæ caret veritate, jam est illa res; v. gr. amor, obedientia, fidelitas si veritate careant, nec jam amor, nec obedientia, nec fidelitas censentur. Idcircò quod in omni re vir sapiens plurimi facit ac maximè spectat, est veritas.

D. 6. Lib. *Su xu mum yn* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* Proœmium sic: Hìc recensentur tantùm quatuor virtutes naturales, pietas, æquitas, honestas, prudentia; & veritas non nominatur; quia nimirum in illis quatuor includitur.

D. 7. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 20. sic: Hæ tres virtutes, prudentia, pietas, fortitudo ab omni ævo omnibus hominibus semper communes fuerunt. Illarum autem solida exercitatio ac praxis, in una veritate sita est, ita ut nec prudentia dici prudentia, nec pietas dici pietas, nec fortitudo dici fortitudo possit, si veritate careat.

E. Ibidem paulò infrà sic: Modus quo Princeps debet omnes illas imperandi leges in praxim deducere, unus atque idem est; cordis nempe atque operis veritas; in corde veritas affectûs; in opere veritas effectûs regnare debet; omnis fucus ac simultas exulare.

Deinde ibidem paulò infrà sic: Duplex est veritas, alia speculationis, alia operationis; alia cognoscendæ, alia exercendæ virtutis; illa prior, hæc posterior. Ad utramque tota hominis vita, ut possit immutabile rectæ rationis ac virtutis Medium tenere, dirigenda atque conformanda est.

F. 8. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 10. artic. *Chum sin* sic: Explere, inquit Doctor *Chim*, verum sui cordis affectum absque ulla simulatione, est fidelitas; explere totum rei opus absque ulla defectione, est veritas; nimirum vera actûs interioris & exterioris ratio. Fidelitas & veritas, inquit Doctor *Chu Hi*, est unum atque idem; nam prout procedit à corde, dicitur fidelitas; prout manifestatur in opere, dicitur veritas.

Ibidem infrà sic: Petes: Quænam est differentia inter veritatem, quæ est fidelitas, & inter veritatem, quæ est una ex quinque virtutibus cardinalibus? Respondeo: veritas quatenus est una ex quinque virtutibus cardinalibus, spectatur sub vera cordis ratione; qua-

quatenus est fidelitas, spectatur sub vera oris seu verborum ratione. Oportet bene utramque distinguere, ac penetrare; prisci enim modò sub hac, modò sub illa ratione veritatem accipiunt ac considerant.

G. 9. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 20. sic: Omnis res quæ ad veritatis metam priùs dirigitur, feliciter stabilitur; quæ non dirigitur, infeliciter labitur; v. gr. siquis locuturus, verba sua ad veritatis metam priùs direxerit, is in verbis non labetur. Siquis negotium aggressurus, ad veritatis metam priùs illud direxerit, is in negotio nullas patietur difficultates. Siquis virtutis opus initurus, ad veritatis metam priùs illud direxerit, is in virtutis opere nullum incurret nævum. Siquis scientiæ speculationem explanaturus, ad veritatis metam priùs illam direxerit, is in explanatione, nullà intellectûs egestate laborabit.

H. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 20. sic: Vir in inferiori dignitatis gradu constitutus, si non valeat assequi, ut suus Princeps sibi omninò fidat, & regiminis negotia sine ulla suspicione committat, quamvis velit optimè suo officio fungi, populúmque, ut par est, regere, non tamen poterit. Assequendi autem ut suus Princeps sibi omninò fidat, exclusà omnis suspicionis umbrâ, datur via seu rectus modus, qui ex fideli amicorum commercio procedit; nisi enim inter amicos & familiares fideliter versatus fuerit, perspectámque illis fecerit suam sinceritatem ac candorem, non poterit ab iis Principi commendari tamquam fidus. Verùm ad probandam & patefaciendam suam Amicis sinceritatem ac candorem datur etiam via seu rectus modus, qui ex sincera Parentum observantia procedit; nisi enim sinceram erga Patrem ac Matrem observantiam præstiterit, non poterit Amicis suam sinceritatem probare. Sed ad præstandam sinceram erga Patrem & Matrem observantiam rursus datur via seu rectus modus, qui ex verà suorum morum compositione procedit; nisi enim mores suos verè composuerit, non poterit sinceram erga Patrem & Matrem præstare observantiam. Denique ad mores suos verè componendos datur etiam via, seu rectus modus, qui ex vera Boni cognitione procedit, &c. Itaque ad veritatem omnia referenda sunt.

L. 11. Lib. *Siao hio* cap. 2. §. 5. sic: Vir sapiens, inquit Confucius, sincero affectu, & diligenti cohortatione erga Amicos; hilari affabilitate, & suavi facilitate erga consanguineos utitur.

K. 12. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 20. sic: Veritatis studium in speculando, &c. Vide suprà cap. 3. Sectione 1. in textibus num. 9. litteram E.

Paragraphus Sextus.

De Fortitudine.

Fortitudo est virtus subordinata cardinali virtuti Æquitatis.

Primò, Definitio fortitudinis juxta Sinas sic: Fortitudo est mens deliberata ad agenda ardua (A). Fortitudo est expedita ac prompta vis cum ad dubitationes solvendas, tum ad pericula vincenda (B). Fortitudo duplex est; alia homunculorum, quæ ex bullientis sanguinis impetu oritur; alia Heroum, quæ unâ æquitate, & ratione dirigitur (C).

Fortitudo rursus in aliam triplicem sic dividitur: alia Australium populorum, qui ex se sunt molles; alia Borealium populorum, qui ex se sunt robusti; alia virorum Sapientium, qui ex se sunt æqui (D).

Secundò, Actus fortitudinis. Fortitudinis actus est operis ardui, quod æquum judicatur esse, firma aggressio (E). Unde vir fortis licèt videat hostem facillimè vincendum, si tamen id non esse æquum putaverit, non eum aggredietur; contrà, licèt videat hostem difficillimè vincendum, si tamen id æquum esse putaverit, eum intrepidè aggredietur (F). *Austrinæ* gentis fortitudinis actus, est alios vincere mansuetudine ac patientia; *Boreæ*, robore ac ardore. *Virorum Sapientium* fortitudinis actus, est seipsum ac suas cupiditates vincere (G).

Tertiò, Proprietas fortitudinis. Fortitudinis proprietas, est iram ac timorem regere (H). Impedire quò minùs in rebus dubiis, aut in periculis cor concutiatur (I). Privatim agendo, rectæ rationis Medium firmiter servare; cum aliis versando, habere concordiam; propter honores adeptos non mutare mores; inter tumultus, quamvis oporteat mori, retinere virtutis propositum (K).

Quartò, partes integrales ac subjectivæ fortitudinis, sunt hæ: Constans perseve-

ſeverantia in virtutis viâ, & in adverſis rebus patientia (L). Uti diſcipulus *Ten Hoei*, licèt ei tantùm ſuppeteret ſcutella lignea ad ſumendum cibum, agreſtis cucurbita ad ſumendum potum, & in vili loco habitaret, lætiſſimus tamen ac contentiſſimus vivebat (M). Profectûs ardor (N). Animi celſitudo ; juſta ſcelerum vindicta, afflictorum protectio (O).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 20. ſic : Fortitudo eſt firma deliberatio, quâ iſtam rectè vivendi rationem generosè aggredimur.

A. 2. Lib. *Su xu mum yn* tom. 4. in Libr. *Chum yum* artic. 20. ſic : Aliquid difficili ſtudio addiſcere, & aliquid difficili labore agere, iſtud eſt fortitudo.

B. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 15. in Libr. 1. Memcii cap. 3. *Kun ſun cheu xam* ſic : Diſcipulus *Kum ſun cheu* ita interrogavit Memcium : firmandi immobiliter cordis, datúrne ſcientia? datur, repoſuit Memcius, & quidem quod maximè requiritur, eſt expedita libertas ac prompta facultas ad diſſoluendas dubitationes, & ad pervincenda pericula.

C. 4. Lib. *Su xu che kiay* tom. 15. in Libr. 1. Memcii cap. *Kum ſun cheu xam* ſic Memcius : Magiſter *Cem Tſu* diſcipulum ſuum *Tſu yam* fortitudinis amatorem ita olim exſtimulabat : Domine, ut video, amas fortitudinem ; at ſciendum tibi eſt fortitudinem, aliam eſſe homunculorum, aliam Heroum ; fortitudo homunculorum erumpit juxta bullientis ſanguinis impetum ; fortitudo Heroum juxta rectæ rationis ductum. Ego olim has Heroum fortitudinis regulas à Magiſtro Confucio audivi : ſi ubi certandi ſe offert occaſio, mecum ipſe cogitans judicem non eſſe æquum ac rectum irruere in hoſtem ; quamvis hic foret infimæ ſortis homuncio, laneâ & largâ veſte indutus, non illum tamen impeterem. Tunc certè patet me non timore perculſum, pugnam refugere. Contra verò, ſi mecum ipſe cogitans judicem æquum ac rectum eſſe certamen committere ; quamvis decies centena hominum millia imminerent, ego tamen imperterritus in illos proruerem.

Vide ibidem multa variæ fortitudinis exempla.

D. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 2. in Libr. *Chum yum* artic. 11. sic: Post hæc, discipulus *Tsu lu* bellicæ fortitudinis amator, ratus immutabile virtutis Medium ab hominibus ideò negligi ac sperni, quòd illis deesset animi robur, rogavit Magistrum Confucium, ut sibi explicaret quid esset fortitudo? cui Confucius: Quamnam, inquit, fortitudinem quæris ac intelligis? Austrinæ? an boreæ gentis? an vestram discipulorum ac sapientiæ Alumnorum fortitudinem? fortitudo, quâ Austrina gens ceteros homines antecellit, hæc est: longâ benignitate, ac mansueta longanimitate in docendis hominibus excellere; acceptas injurias, quamvis injustas ac graves molli patientiâ sufferre, neque de iis vindictam sumere; hac in re longè alios homines superat. Quia autem ejusmodi mansuetudo, longanimitas, patientia satis æquitati ac rectæ rationi vicina atque concolor est, ideò regio ista, Sapientum locus est. Attamen cum hæc fortitudo ex naturali tantùm istius gentis indole, molli & imbecilli profluat, adeóque per defectum peccet; ideò non est ea, quam vos, sapientiæ Alumni, spectare ac sequi debetis. Fortitudo, quâ Borea gens ceteros homines antecellit, hæc est: tranquillè uti lanceâ, acinace, casside, thorace tamquam molli ad quiescendum culcitrâ; nec, si mori oporteat, ullo modo pigere. Hac in re longè alios homines superat. Quia autem Robustorum mos est spectare magis fervidum bullientis sanguinis impetum, quàm pacatum æquitatis ac rectæ rationis ductum, ideò regio ista, Fortium locus est. Attamen cum hæc fortitudo ex naturali tantùm istius gentis indole robusta ac valenti procedat, adeóque per excessum peccet, ideò nec est ea, quam vos, sapientiæ Alumni, spectare ac sequi debetis. Vir itaque sapiens non in eo, quo alios, sed in eo quo seipsum vincat, suam fortitudinem collocat. Dum quis versando inter homines perfectam servat concordiam, nec se sinit juxta universalem depravatorum morum torrentem abripi, proh! quàm præclara hæc est veræ fortitudinis species! dum quis solus agendo, firmiter in se stabilit immutabile virtutis Medium, nec ad dextram, nec ad lævam vel minimùm declinat, proh! quàm præclara hæc est veræ fortitudinis species! Dum quis in Regno bene gubernato, post honores

adeptos

adeptos non mutat mores, proh! quàm præclara hæc est veræ fortitudinis species! dum quis in Regno prorsus perturbato, arreptum virtutis propositum, quamvis oporteat mori, non mutat, proh! quàm præclara hæc est veræ fortitudinis species! atque hæc est quadruplex vera fortitudo, quàm vos, sapientiæ Alumni, spectare ac sequi debetis.

E. 6. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 15. artic. *Lie him* sic: Sapientiæ Alumnus, inquit Doctor *Chim*, non potest non magnam fortitudinem habere; ejus enim onus grave est, & via longa. Cum igitur sit onus grave, debet humeros fortiter roborare, ac firmissimo fulcro uti: tum poterit illud sustinere.

Ibidem infrà sic: Sapiens, qui cognitos suos defectus statim corrigit, qui auditam rectam doctrinam statim ad praxim deducere nititur, qui ad exercendam æquitatem viriliter se vincit; annon is suam fortitudinem verè perspectam facit?

Et paulò infrà sic: Sapientiæ Alumnus non verba inania, sed strenuam operis diligentiam magni facit.

F. 7. Vide hîc suprà, litteram C.

G. 8. Vide etiam hîc suprà, litteram D.

H. 9. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 15. artic. *Ke Ki*: Regere iram ac timorem, inquit Doctor *Chim*, est quid difficile; sed is, qui seipsum novit vincere, potest facilè iram; & is, qui recta ratione uti novit, potest facilè timorem regere. Ibidem infrà sic: Sapiens res regit; insipiens regitur à rebus. Et paulò infrà sic: Nihil adeò difficile est, quàm suas pravas cupiditates vincere. Sapientiæ ergo Alumnus, qui illas vincit, annon verè magnâ præstat fortitudine?

Rursus ibidem paulò infrà sic: Inter septem passiones, inquit Doctor *Hiu*, quæ sunt lætitia & ira, tristitia & gaudium, amor & odium, ac desiderium, nulla difficiliùs vincitur, quàm ira. Dum igitur hæc fervet, patientiam serva & cohibe impetum, donec animi motus detumescat ac tranquillitatem recuperaveris, tunc poteris bene rem examinare, & exequi.

I. 10. Lib. *Su xu che kiay* tom. 15. in Libr. 1. Memcii cap. 3. *Kum sun cheu xam* sic; Ausim te, inquit discipulus *Kum sun cheu*, Magister, inter-

terrogare: qua in re differs à sophista *Kao Tsu*, ut cor tuum adversus omnes dubitationes & omnia pericula aut metus firmes, immotúmque reddas? sic illi Mencius: Sophista *Kao Tsu* aiebat: siquam verborum rationem non capis, noli animum applicare ac divexare, ut eam perscrùtando tandem capias. Ego autem siquam verborum rationem non capio, statim animum ita diligenter applico, ut eam perscrutando tandem capiam. Ille aiebat: si alicujus rei æquitatem animus non satis videt, noli practicam tuæ vitalis auræ vim exerere, ut eam exequaris: adeóque parum satagebat vitalem suam auram alere, & in suo vigore fovere. Ego autem immensam illam vitalis auræ meæ vim diligenter foveo, alo, perficio. Atque ita dum diligenti studio verborum rationes ritè ac penitus cognosco, tunc animus ab omni dubitatione ac hæsitatione immunis redditur; dúmque practicâ vitalis auræ vi, æquitatem aut exigentiam rerum compleo, tunc animus ab omni timore ac tremore exemptus efficitur; & tunc nulla res est, quæ animum meum concutiat. Hæc sunt duo doctrinæ principia, in quibus ab illo sophista discrepo.

K. 11. Vide hîc suprà, litteram D. circa finem.

L. 12. Lib. *Lun yu* artic. 15. sic: Cum Confucius in Regnum seu Principatum *Chin* appulisset, cœpit magna opprimi egestate ac penuriâ, ita ut ejus discipuli in morbum lapsi, non possent surgere. Tum discipulus *Tsu lu* vultu irato intumescens: etiámne, inquit, egestate ac penuriâ Sapiens opprimitur? cui Confucius: Sapiens in egestate ac penuria se fortiter constantem; insipiens se effrænatè dissolutum præbet.

M. 13. Lib. *Lun yu* artic. 6. sic Confucius: Numquid discipulus meus *Yen hoei* verè erat sapiens? nihil illi nisi scutella lignea seu cannea ad sumendum cibum, agrestis cucurbita ad sumendum potum suppetebat; in vilissimo urbis vico habitabat; si quicumque alius eò miseriæ redactus fuisset, vix aut nè vix quidem eam sufferre potuisset; ipse tamen nihil omninò immutatus hilarissimè vivebat. Annon verè iste meus *Yen hoei* erat sapiens?

M. 14. Lib. *Lun yu* artic. 4. sic: Sapientiæ Alumnus, inquit Confucius, qui, postquam statuit animum rectè vivendi scientiæ applicare, adhuc

huc viles vestes & viles cibos erubescit, hic non est illius excipiendæ capax.

M. 15. Lib. *Su xu che kiay* tom. 20. in Libr. 2. Memcii cap. 2. *Li leu hia* sic: Atque ita nihil est quod virum sapientem possit affligere aut angere. Siquid pietati vel minimum repugnat, mox illud abhorret; siquid æquitati vel minimum adversetur, mox illud omittit. Siquod fortè damnum aut injuria ex improviso illi contingat, non ideò turbatur aut dolet. Vide adhuc ibidem de discipulo *Yen hoei.*

N. 16. Lib. *Lun yu* artic. 1. sic Confucius: Sapientiæ Alumnus qui non tantùm non quærit & in cibo satietatem, & in habitatione commoditatem, & est diligens in opere, in verbis cautus; sed insuper ut se meliùs perficiat, accedit ad rectæ viæ Magistros ac duces, nónne hic potest verè dici discendi studiosus?

N. 17. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Librum *Chum yum* artic. 20. sic: Veritatis studium in speculando cum contentione, &c. Vide suprà cap. 3. Sect. 1. in textibus num. 9. litteram E.

O. 18. Lib. *Su xu che kiay* tom. 14. in Libr. 1. Memcii cap. *Leam hoei vam hia* sic: Ego, inquit Rex *Siuen vam*, modicæ virtutis vir, prava animi ægritudine laboro; sum excellentiæ ac fortitudinis amator. Cui Memcius: nè sis, Rex, velim abjectæ & pusillæ fortitudinis amator, similis ei qui ab altero impeditus, mox stringit acinacem, minacibúsque oculis ac torva fronte: istene, inquit, me lacessat? mihi resistere & adversari ausit? hæc profectò vilis & infima est viri privati fortitudo, qui uni tantùm potest resistere; vel potiùs ira est dicenda, quæ unum bullientis sanguinis impetum dumtaxat sequitur. Magnam illam ac sublimem sapientium Heroum, quæ unam æquitatis rationem spectat, Rex, ama fortitudinem; uti dicitur in Libro *Xi Kim* seu Carminum sic: Regulus Regni *Mie* in Imperatorem rebellans, occupato Regno *Tuen*, jam ad agrum *Kum* usque pervenerat. Tum Princeps *Ven Vam* terrifico aspectu exurgens, justâque inflammatus irâ, properè collegit & eduxit omnes suos milites ad reprimendum hostilis turbæ jam jam in agrum *Kum* irruentis impetum, & ad tuendum Familiæ suæ *Cheu* decus, ad auspicanda felicia ejus omina, atque ad complenda totius imperii vota. O quantam tunc animi fortitudinem ac celsitudinem ostendit! Ita

ille

ille liber. Hæc igitur fuit magna, veréque excelsa Herois *Ven Vam* fortitudo, & justa ira. Una Principis *Ven Vam* ira domuit Rebellem, terruit alios Principes, cunctis imperii populis solatium ac tranquillitatem attulit.

Paragraphus Septimus.

De Temperantia.

Temperantia est etiam virtus subordinata cardinali virtuti Æquitatis.

Primò, Definitio temperantiæ juxta Sinas sic: Temperantia est vivendi moderatio (A). Temperantia est triplex, alia carnis, alia victûs, alia expensarum. Temperantia carnis iterum subdividitur in *virginalem*, quâ virgo desponsata, sponso præmaturè mortuo, non vult alteri nubere; vel non desponsata, fornicari perhorrescit, uti habes exempla sibi nares abscindentis ut non nuberet alteri; & se in præcipitium dantis, ut non stupraretur (B). In *vidualem*, quâ mulier post mortem mariti, non vult ad secundas nuptias transire, uti etiam infrà habes exempla; (C). Et in *conjugalem*, qua fides conjugalis servatur. Virginalis & vidualis publico quandoque donatur encomio ab Imperatore (D).

Temperantia *victûs*, in frugalitate; temperantia *expensarum* in mediocritate consistit (E).

Secundò, Actus Temperantiæ. Temperantiæ actus est refrænatio appetitûs ciborum, ac voluptatum. Est comœdiarum, conviviorum, aliarúmque mundi cupiditatum fuga (F). Moderati juxta cujusque conditionem sumptus (G). Alius temperantiæ actus est temperare à vino immodico, contra quod liber Annalium Imperialium habet unum integrum capitulum, & hæc est ejus summa: in principio Cælum jussit fieri vinum ad Spirituum & hospitum cultus, non ad hominum compotationes; ex compotationibus enim pigritia in negotiis, obscuritas in mente, turpitudo in actionibus oritur. Insuper propter illas compotationes à Cælo immittuntur calamitates; Familiæ, Regna, Imperia evertuntur. Maximè autem debent cavere à vino juniores Præfecti. Itaque oportet, ut Parentes suos liberos, & fratres seniores suos

fratres

fratres juniores à vino deterreant, & hi debent ſana illorum ſequi monita. Magiſtratus ebrioſi puniendi ſunt. Alii, vino aſſuefacti, priùs inſtrui ac ad emendationem exſtimulari debent; ſi non reſipiſcant, etiam puniendi. Attamen Agricolas, dum diligenter ſuis agris colendis; Mercatores, dum diligenter ſuis commerciis exercendis vacant ad alendos Parentes, non dedecet modicum vinum ſimul domi bibere, ſed citra ebrietatem (H). Olim ita erant Sinæ abſtemii, ut rariſſimè carnibus veſcerentur; imò Ritus præſcribebant, ut abſque gravi causâ Reguli bovem, primarii Præfecti ovem, Doctores ſeu viri Litterati porcum non mactarent; v. gr. hoſpitis causâ, &c. (I).

Tertiò, Proprietas temperantiæ. Temperantiæ proprietas eſt, nec in cibo ſaturitatem, nec in habitatione commoditatem, nec in veſtitu luxum quærere (K). Mundi delicias perparcè ſibi adſciſcere. Vanam divitiarum & honorum pompam vitare (L).

Quartò, Partes integrales ac ſubjectivæ temperantiæ, ſunt hæ: In menſâ modeſtia, & parcus ciborum delectus (M). Sumptuum inita ratio; accepti cum expenſo collatio (N). Honeſta hoſpitum tractatio, ſed non temulenta; modeſtorum ædificiorum exſtructio; victûs parcitas inter divitias, & ſcurrilium verborum abſtinentia (O.)

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Lun yu* artic. 1. ſic Interpres *Chu hi*: Temperantia, inquit Doctor *Tam*, juxta librum *Ye kim*, ſpectat moderationis leges.

B. 2. Lib. *Siao hio* cap. 4. §. 2. ſic: Puella *Kum Kiam* pacta fuerat in uxorem Principi *Kum Pe*, Regni *Cy* heredi. Hic ante initum matrimonium præcoce morte ereptus eſt. Illa ad ſervandam ſponſo ſuo fidem, ſtatuit alteri non nubere; & quamvis urgerent Parentes, ut ad alias nuptias tranſiret, nullo tamen modo potuit adduci ut conſentiret; ſed odam compoſuit, nomine *Navim cypreſſinam*, in qua jurejurando ſpondet ſe potiùs morituram, quàm alteri nupturam.

B. 3. Lib. *Siao hio* cap. 6. §. 2. ſic: Vir *Tam ten* ex oppido *Fum tien* oriundus habebat duas filias, ruri quidem educatas, ſed à pueritia virtutis avidas animóque inſignes. Imperante *Tay tſum* Familiæ *Tam* in ſui Imperii annis dictis *Tum Tay*, contigit, ut prædonum turma latè per imperium debacchans, irrueret ad devaſtandum earum pa-

gum. Illæ, ut erant formâ decoræ, altera 19. altera 16. annos nata, mox in montium cavernis sese abdiderunt; sed cùm inde abstractæ, vi raperentur ad prædonum castra, appulsæ ad præcipitem centenis cubitis profundissimæ vallis & rivi clivum, natu major sic prior effata est: melius est fortiter mori, quàm turpiter violari; & hæc dicens sese in ima præcipitem dedit, atque occubuit. Prædonibus ad spectaculum stupentibus, natu minor sororem suam subsecuta, mox se etiam in præcipitium egit, sibi crura confregit, vultúmque totum diffluente undique sanguine contrivit; viva tamen evasit. Perterriti prædones illam reliquerunt, & abierunt. Posteà urbis *Kim chao* gubernator *Ti u ki* singularem istarum sororum castitatem extollens, dato supplici libello obtinuit ut Imperator publicum pro illis encomium mitteret, earúmque Familiam ac vicum ab omni personali tributo eximeret in perpetuum.

C. 4. Lib. *Siao hio* cap. 4. §. 2. sic: Filia Reguli Regni *Sum*, filio Reguli Regni *Tsay* nupserat. Post initas nuptias ejus maritus contagioso morbo cœpit laborare; idcircò Mater volebat eam alteri in matrimonium collocare; sed illa reluctans: mei, inquit, mariti malum est etiam meum malum; eccur igitur violando datam fidem, illum relinquam? cum mulieris munus sit sequi virum; ubi semel solemni Ritu in uxorem uni marito tradita est, totâ vitâ non potest illum commutare. Deinde ille contagioso morbo sic infectus, numquam etiam me relinquet, nisi fortè gravissimâ improbitate causam præbuerim. Quì igitur possim illum relinquere? denique Matris consilia rejecit.

C. 5. Lib. *Siao hio* cap. 6. §. 2. sic: Imperante Familiâ *Han*, quædam puella Parentum observantissima, cognomine *Chin*, sedecim annos nata, nupsit viro, qui antequam liberos procreâsset, coactus est militiam sequi ad custodiendos Regni limites. Discessurus suæ uxori hoc commendavit: mórsne, an vita, inquit, illic me maneat, incertum. Ego senem matrem habeo, ut scis, omnibus fratribus ad eam alendam destitutus; si igitur me mori contigerit, vísne illam alere? Volo, reponit uxor. Maritus itaque profectus, illic reverà obiit. Uxor promissi tenax, cœpit diligentissimè suam socrum ale-

re,

re, & diligentiam ex amore mutuo augere. Nebat, ac texebat telas ad domûs sustentationem, abjectâ omni ad secundas nuptias transeundi mente. Peracto triennali mariti luctu, Parentes juvenilem ejus viduitatem miserati, volebant alteri eam in matrimonium collocare. At illa: discedens, inquit, meus conjux suam mihi alendam matrem commendavit, ejúsque petitioni annui. Quæ autem nec constans usque ad mortem in alenda alterius matre, nec verax ac fidelis in promisso valet esse, quomodo possit in hoc mundo vivere? hæc dicens volebat sibi necem inferre. Quâ re exterriti Parentes, non ausi sunt ampliùs eam ad secundas nuptias impellere. Postquam igitur 28. annis socrum suam diligentissimè aluisset, socrus octogenariâ major tandem obiit, ad cujus funus majori pompâ peragendum, sua prædia, domum, facultates vendidit, eique deinceps tamquam matri propriæ, semper parentavit. Hoc comperto urbis *Hoai ngan* & *Tam cheu* gubernator, dato supplici libello obtinuit, ut Imperator illi donaret 4240. argenti uncias, eámque totâ vitâ ab omni tributo eximeret, ac ei honorificum hoc cognomentum: *Uxor Parenti obsequiosa*, donaret.

C. 6. Lib. *Siao hio* cap. 6. artic. 2. sic: Nobilissimus vir *Ven Xo*, regiâ editus stirpe, habuit uxorem *Lin Niu*, filiam Præfecti *Ven Nim*. Hæc marito præmaturè mortuo, post peractum ejus funus, verita, nè ob suam juvenilem ætatem, & quia liberis carebat, ad alias nuptias à Parentibus cogeretur, ut suum palam propositum patefaceret, capillos sibi abscidit. Et certè ad ineundas alias nuptias eam tentârunt Parentes; sed hoc audito ambas sibi auriculas resecuit, vixítque semper cum suo cognato *Tsao xuam*, qui cum occisus fuisset, totáque ejus stirps deleta; patruus viduæ, dato supplici libello impetravit, ut Imperator ejus matrimonium cum alio à regia Familia orto sanciret, vi volens eam abducere. Verùm Pater ejus *Ven Nim*, qui tunc gubernatorem urbis *Leam Cheu* agebat, miseratus istud juvenilis ætatis propositum, misit, qui eam exhortarentur, & paulalatim emollirent. Iis auditis *Lin Niu*, suspirans ac flens: ego etiam, inquit, id mente pervoluo. Me despondere viro, id sanè rectum est. Domestici non dubitantes hæc fictè dici, illam assiduè explorabant; sed cùm paulisper de sua vigilantia remisissent, illa cubicu-

lum clam ingressa, cultello sibi nares abscidit, & in lecto se composuit. Paulò pòst mater illam vocans, nec responsum accipiens, cubiculum ingreditur, illámque invenit suo sanguini innatantem. Statim accurrentes domestici, & ad tale spectaculum attoniti ingemuerunt; cúmque quidam fortè illi diceret: homo in hoc mundo, non secus ac pulvis in fragili gramine residens, commoratur; eccur ita te ultrò crucias? &c. Cui illa: audivi, ait, hominem pium nec propter prosperam, nec propter adversam fortunam mutare propositum; hominem æquum nec propter mortem, nec propter vitam mutare animum. Familia mariti mei *Tsao* dum nuper florebat, ego spopondi illi servare totâ vitâ continentiam; jam verò postquam miserè extincta est, quomodo possim illam relinquere?

D. 7. Liber *Ta mim hoei tien* tom. 79. de largitione publici encomii, sinicè *Cim Piao*, sic: Imperator *Hum Vu* primo sui Imperii anno, hoc statuit: quisquis filius, obedientiæ; nepos, obsequentiæ; vir, æquitatis; mulier, castitatis singulare & insolitum aliquod opus patrârit, loci gubernator, denuntiet illius nomen provinciali justitiæ præsidi, ut rei veritate examinata & cognita, transmittatur ei publicum encomium ad vici portam appendendum. Rursus sic: Mulier plebeia, quæ ante 30. ætatis annum, maritum amiserit, & post ejus mortem continens vixerit usque ad quinquagesimum, si posteà constans in castitatis proposito persistat, donetur publico encomio ad vici portam appendendo, ejúsque domus tributo personali eximatur.

Ibidem paulò pòst sic: Anno sexto Imperatoris *Chim Te* exiit hoc decretum: Quandoquidem rei veritate examinata & cognita, oblatus fuerit libellus supplex, quo denunciatum est hisce annis præteritis aliquas virgines in provincia *Xan si*, & in aliis locis, non permisisse se à prædonibus constuprari (nempe mortem potiùs elegisse), Præfecti primò pro singulis dent tres argenti uncias, (id est, tria scuta Romana) in subsidium exequiarum & sepulturæ. Deinde ad latus tabernaculi encomiastici, erigatur sepulchralis virginum lapis, in quo sculpatur earum cognomen & mortis annus ad perpetuam memoriam.

Vide etiam hìc suprà num. 3. litterâ B. circa finem; & num. 5. litterâ C. etiam circa finem.

E. 8.

E. 8. Lib. *Siao hio* cap. 6. §. 3. sic : Præfectus *Ven Chun* non nisi vulgari ac munda veste indui absque ullo ornatu volebat; serica volumina floribus & auro elaborata domum ejus non intrabant. Solebat dicere : non nisi naturali colore tinctas gerere vestes , viri sapientis est; adscititiis coloribus imbutas gerere, mulieris est.

E. Ibidem, sic : Tres fratres cognomine *Kao*, ut refert *Lieu Pi*, quamvis Magistratus sublimiores gererent, ubi nullus hospes aderat, unum tantùm carnis ferculum sibi apponi volebant in prandio ; vesperi sola legumina comedebant.

E. Idem sic : Primarius Imperii Minister *Cham ven cie*, eò quòd in tanta dignitate constitutus etiam tunc tam parcè viveret, quàm dum olim exiguum in urbecula *Ho Yam* Magistratum gerebat; quidam ex amicis sic eum allocutus est : Domine, cùm nunc amplissima sint tibi stipendia, quare tam parcè vivis? quamvis temperantiæ amore reverà id facias, alii tamen passim dicunt te esse similem ditissimo olim primo Imperii Ministro *Kum sun*, qui sibi ipse lectum sternebat. Præstat igitur ut communi hominum propensioni parumper obsecundes. Cui ille suspirans : quomodo, inquit, non possim ex regiis stipendiis meos omnes domesticos serico & auro vestire? ad obsecundandum communi hominum propensioni, ex parco nunc fieri prodigum, est facillimum; sed posteà ex prodigo fieri parcum , quàm erit difficile? possuntne semper ista mea stipendia permanere? infrà unius diei spatium, meus qui nunc exstat, status totus in morte immutabitur. Tunc autem mei domestici statim parcè vivere non sustinentes, utpote luxui dudum assuefacti, brevi in scelera procul dubio ibunt præcipites. Numquid ergo præstat & tam in dignitate quàm post dignitatem, tam in vita quàm post mortem , eumdem semper agendi modum servare?

Vide etiam ibidem de alio primo Imperii Ministro singularem in domûs ædificatione moderationem observante.

E. Ibidem sic : Doctor *Su ma ven kum*, patris sui memor, sic aiebat : Olim Pater meus Magistratum gerens, in hospitum adventu vinum quidem offerri curabat; sed vel tres vel quinque haustus tantum propinabat ; vulgare vinum in foro emebat; pro bellariis pyra, castaneas, pruna, poma ; pro dapibus carnem passam, carnem jusculo

conditam, & legumina dumtaxat apponi curabat. Figulina tantùm vasa, vel minio colorata adhibebat. Tunc temporis omnes viri honesti ac Magistratus ita agebant, nec sibi obmurmurabant; sæpiùs se invicem invisebant, sed humaniter; munera quidem erant modica, sed affectio intima. Hisce verò temporibus viri honesti ac Magistratus, nisi vinum fuerit domi confectum ac exquisitum; fructus rari, & procul advecti, multa ciborum varietas, vasa & fercula pretiosa impleant totam mensam, non audent hospitem ad epulum invitare,&c. Nisi enim sic agant: continuò avaritiæ & abjectionis insimulantur, &c. Eheu! adeò tanta morum corruptela nunc regnat! cur Magistratus, si nequeant eam reprimere, ipsimet sustinent adjuvare?

F. 9. Lib. *Siao hio* cap. 6. §. 3. sic: Doctor *Liu chin hien* à pueritia in litterarum studia incumbens, pravas animi affectiones frænare, & ingenitum virtutis amorem fovere sollicitè conabatur; unde ciborum & voluptatum illecebras maximè fugiebat; in victu sobrius, in verbis temperatus, vultu gravis, gressu moderatus, corporis specie liberalis. Vilia & scurrilia verba numquam ex ejus ore prodibant; illas omnes vanas mundi pompas, ingeniosas comœdias, inutiles deambulationes, convivia, aleas, talos, reliquósque perniciosos ludos prorsus oderat.

G. 10. Lib. *sim li ta ciuen guey yao* tom. 22. artic. *Cie kien* sic: Terræ vires, inquit Doctor *Hiu*, in rebus producendis certum suum numerum, & hominis vires in illis conficiendis certos suos limites habent. Si utamur illis certà cum regula & moderatione, illæ semper abunde sufficient; contrà, si utamur illis sine Regula & moderatione, numquam illæ abunde sufficient. Abundans aut parca rerum productio, à Cælo; multus aut modicus rerum usus à nobis pendet. Omnia in mundo suum habent determinatum statum; sicut non possumus ultra nostrum determinatum statum aliquid quærere aut ambire; ita nec possumus ad usum adhibere. Dum Cæli rebus prodigè ac dissolutè utimur, in Cælum peccamus.

H. 11. Lib. *Xu Kim* seu Annalium Imperialium tom. 4. cap. *Cieu Kao* seu monita de vino, Imperator *Vu Vam* creando fratrem suum juniorem Regulum in Principatu *Guey*, ubi perversi compotandi mores grassaban-

sabantur, his verbis ad eos corrigendos ac tollendos illum alloquitur: Nunc dum te mitto in istud Regnum seu Principatum, in quo tota ditio *Muy* compotationibus plena est; utor iisdem verbis, quibus olim noster venerandus Pater *Ven Vam*, in principio sui occidentalis Principatûs, usus est ad suos omnes Magistratus majores & minores. Sic manè & vespere illos monebat: vini usus est tantùm institutus ad Ceremonias *Su* vel *Cy* faciendas (nempe Spiritibus & hospitibus, uti in istum locum ait interpretatio Imperatoris *Kam Hi.*) Quando Cælum jussit, ut nostri olim populi inciperent vinum conficere, ejus mens fuit, ut hisce Ceremoniis *Su* vel *Cy* faciendis tantùm inserviret. Cur autem Cælum horrendas calamitates immittat, populi tumultus ac seditiones excitent omnémque virtutem pessumdent, magna ac parva Regna funditùs subvertantur, ista omnia non aliunde proveniunt quàm ex vini compotationibus. Deinde ad docendos Juniores, sic etiam aiebat: vos Præfecti, ut bene fungamini vestro officio, ordinariè debetis à vino abstinere, & docere vestros juniores liberos, ut vino tantùm utantur ad faciendas Ceremonias *Su*. Qui virtute pollent, possunt quidem modico uti vino, sed absque ebrietatis periculo. Instruite etiam meæ plebis liberos, ut magnoperè ament agriculturæ labores, atque ita eorum animi erunt probi; ut filii ac nepotes diligenter ac libenter excipiant sanas suorum Parentum instructiones; ut caveant dicere abstinentiam vini esse parvam virtutem. Tam parvam quàm magnam virtutem debent spectare ut unam & eamdem. Vos, ditionis *Mui* agricolæ, ubi diligenti vestro labore terram bene colueritis; & vos, mercatores, ubi sollicitâ vestrâ operâ copiosas merces reportaveritis ad alendos vestros Parentes, tunc domi cum illis jam contentis vinum potestis moderatè bibere. Vos, Præfecti superiores & inferiores, qui soletis mea audire documenta, si in festiva alendorum senum Ceremonia vinum bibitis, id non vocatur excessus. Item si illud bibitis, dum vero corde Spiritibus Ceremoniam *Su* facitis, tunc vestram lætitiam augebitis & adjuvabitis. Hoc modo vestri officii munus verè adimplebitis, ipsúmque Cælum vestræ virtuti obsecundans, in dignitatis gradu vos semper conservabit.

Ita olim Pater noster *Ven Vam*. Jam verò, tu frater, scis quanta virtute

tute primi Imperatores præcedentis Familiæ floruerint. Isti sapientissimi Principes, ut ego pridem audivi, summoperè verebantur lucidam Cælo legem, diligenter suos mores componebant, nec se sinebant ab insipientibus homunculis excæcari. Hinc à primo istius Familiæ Imperatore *Chim Tam* usque ad Imperatorem *Ti Ye*, multi & perfecti Imperatores, & venerandi Ministri floruerunt, in suo officio diligentes, accurati, otii & deliciarum osores. Enimverò quî ausi fuissent vini compotationes extollere ac prædicare? tunc & Reguli & proceres & Præfecti tum superiores, tum inferiores, & viri præfecturâ Defuncti, quî sanè ausi fuissent vino se ingurgitare? nec tantum non ausi fuissent, sed nec id ipsum quærere illis vacabat. Superiores enim Magistratus toti erant in adjuvanda Imperatoris virtute, inferiores toti in adjuvando Superiorum ac Regulorum officio. Deinde, uti etiam audivi, horum Imperatorum Posteri sensim degeneres effecti sunt; donec tandem Imperator *Cheu* temulentus, exlex, crudelis, corrigi nescius, libidinibus deditus, omnia susquedéque evertit. Et quamvis sat videret profundissimum populi mœrorem, non tamen desistebat à suis compotationibus ac voluptatibus, ita ut subinde effervescente irâ, & mortem & totius imperii ruinam contemneret, Cælique servitium ac Ceremonias *Su* negligeret. Nec tantùm ille, sed etiam omnes populi se vino ingurgitabant; ita ut fœtidus ipsorum odor ad Cælum usque ascenderet. Idcircò ultimam immisit isti Familiæ *In* perniciem, & ob pravas libidines ab ejus amore destitit. Cælum non extitit in illam crudele; sed isti populi sibi ipsis hoc malum accersivêre. Verùm hæc pauca sufficiant. Proverbio dicitur: non in aqua, sed in homine se debet homo inspicere. Dum igitur videmus istam horrendam Imperii *In* ruinam, nónne id nos debet monere ac movere ad præsens bonum regimen? jam verò tuo exemplo non tantùm vicinos Præfectos & Principes, sed maximè tuos omnes Magistratûs, tu frater, debes deterrere ac fortiter removere à compotandi vitio. Siqui non pareant, & turmatim compotent, tu nè illis parcas; sed apprehensos huc ad me in Curiam mitte; ego eos morte plectam. Quia tamen illi diuturnâ consuetudine assuefacti compotationibus, non possunt ita subitò mutari; dum aliqui non turmatim

vino

vino indulgebant; interim illos mone, instrue, exhortare; si meis, inquies, paretis monitis ac consiliis, ego ad altiora munia vos promovebo; sin minus, ego vobis non parcam. Posteà si non pareant, etiam illi morte plectendi sunt. Itaque, Tu, frater, meis documentis diligenter ac strenuè morem gere. Hoc scias certò: nisi Præfecti ac Magistratus exemplo præiverint, populus à compotationis vitio non desistet.

I. 12. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 22. artic. *Cie Kien*, sic: Prisci, inquit Doctor *Liu*, temperantiam & parcitatem tam rigidè sectati sunt, ut eam imitari Posteri non potuerint; v. gr. pro victu, superioris & inferioris conditionis hominibus certæ erant præscriptæ leges; Reguli bovem, primarii Præfecti ovem, Doctores porcum absque gravi causa mactare non poterant; imò hæ victûs leges, florentis imperii tempore adhuc vigebant. Denique Prisci carnibus rarissimè vescebantur.

K. 13. Lib. *Lun yu* artic. 1. sic: Vir sapiens, inquit Confucius, nec in cibo saturitatem, nec in habitatione commoditatem quærit.

K. 14. Lib. *Lun yu* art. 4. sic: Qui erubescit vilibus vestibus indui, & vilibus cibis vesci, hic non est capax sapientiam addiscendi.

L. 15. Lib. *Siao hio* cap. 5. §. 3. sic: Sapientiæ Alumnus, inquit Doctor *Hu ven tim*, quasvis mundi delicias debet perparcè sibi adsciscere, nec vanam divitiarum & honorum pompam sectari.

M. 16. Lib. *Siao hio* cap. 3. §. 4. sic: Invitatus ad epulum, inquit liber Rituum cap. *Kio li*, noli stomachum omninò saturare; orizæ jusculo manum conspurcare; longo tractu bibere, ore strepitum edere, tuas reliquias in communem lancem reponere, &c.

N. 17. Lib. *Siao hio* cap. 5. §. 2. sub finem sic: Paterfamilias maximam sumptuum rationem habeat; acceptum cum expenso conferat, &c.

O. 18. Lib. *Siao hio* cap. 6. §. 3. sic: Primus Imperii Minister *Li ven cim* exstruens sibi domum prope palatii Regii portam, quia tam angustum ejus atrium conficiebat, ut eques vix commodè posset in eo se vertere; cuidam objicienti nimis esse angustum, subridens respondit: hoc atrium ad meos Nepotes debet devolvi; nunc quidem pro primo Imperii Ministro, fateor, est nimis angustum; sed

 post-

posteà pro Ceremoniarum Magistro, dum mei Nepotes mihi Parentabunt, erit satis superque amplum, nec nimis angustum.

Vide etiam hic suprà num.8. litteram E. & num. 9. litteram F.

Paragraphus Octavus.

De Amicitia.

Sinæ amicitiam non inter virtutes, sed inter quinduplicem humanæ conditionis ordinem, de quo infrà, quinto loco reponunt. Hic tamen, uti Aristoteles, propter similitudinem, quam habet cum virtutibus; eam appono. Itaque

Primò, Definitio Amicitiæ juxta Sin.s sic: Amicitia est societas hominum ejusdem virtutis & sortis, in affectionibus concordium, in urbanitatibus accuratorum, in junioris & senioris ætatis subordinatione attentorum, in itu & ope reciproca convenientium, in vita & morte persistentium, in doloribus & gaudiis æquè inter se affectorum. Si hæc desint, non amicitia, sed futile consortium, quod uno momento coalescit & mox dissipatur, vocandum est (A).

Secundò, Leges Amicitiæ. Amicitiæ leges sunt hæ:

Prima, Amici mutuis stimulis ad virtutem se invicem excitent (B).

Secunda, peccantem Amicum sincere admone; si monita non audiat, desiste (C).

Tertia, utere Amicis tamquam instrumentis, quibus animum tuum aptes & acuas ad virtutem (D).

Quarta, in frequentanda aliorum societate, sive ob tuam grandiorem ætatem, sive ob tui generis splendorem, sive ob tuam superiorem dignitatem, sive ob tuorum consanguineorum multitudinem, noli te arrogantem & imperiosum præbere. In frequentanda enim aliorum societate quærenda est illorum virtus quam imiteris, non arrogantia quâ illos asperneris (E).

Quinta, non debes ab Amicis exigere, ut omni quo decet amore, & omni quo possunt affectu te prosequantur; sed tu id erga illos præsta (F).

Sexta, in ingressu & egressu amici inter se mutuam servent urbanitatem (G).

Septi-

Septima, quamvis jam pridem Amicum frequentes, semper tamen cum eo reverentiam serva (H).

Octava, noli Amicum, qui non sit sicut tu, eligere (I).

Nona, nec divitiæ, nec generis splendor in amicitia, sed ipsa sola amicitia spectanda est (K).

Decima Amici debent sibi invicem cedere, sibi invicem ignoscere, verba subindè ingrata tolerare sine iræ demonstratione; numquam se invicem fastidire (L)

Undecima Amici debent reciprocis muneribus amicitiam fovere, reverentiæ, non utilitatis ergo (M).

Tertiò; utilitas & damna Amicitiæ. Tria sunt Amicorum genera quæ prosunt, tria quæ nocent. Amici recti, Amici sinceri, amici docti prosunt ad nostram pravitatem, simultatem, ignorantiam depellendam. Contrà, Amici pravi, Amici fucati, Amici garruli & ignorantes nobis nocent ob periculum imitandi eorum pravitatem, fucum, garrulitatem (N). Sapiens suâ Sapientià amicitiam, amicitià, suam pietatem promovet (O). Qui vanos tantùm jocos, facetias, blanditias, voluptatem in amicitia quærunt, non possunt esse diuturni Amici (P). Rejicere amici donum, alendæ amicitiæ nocet; libenter accipere, prodest (Q).

Textus Librorum.

A. 1. Libellus *San tsu kim*, seu versus trium vocum pag. 14. sic Interpres *Vam siam*: Amicitia est societas, &c. Ut suprà in contextu.

B. 2. Lib. *Siao hio* cap. 2. §. 5. sic: Mutui, inquit Memcius, ad virtutem stimuli, mutuáque monita, consuetum Amicorum munus est.

C. 3. Lib. *Siao hio* cap. 2. §. 5. sic: Cum discipulus *Tsu Kum* interrogâsset Confucium, amicitiæ leges: peccantem, inquit, Amicum sincerè admone; si nihil tuis monitis proficias, desiste; ne tibi injuriam vel probrum arcessas.

D. 4. Idem liber ibidem sic: Sapientiæ Alumnus, rursum inquit Confucius, dum in aliquo Regno hospes versatur, hominibus tamquam instrumentis quibus se aptet & acuat, utatur necesse est. Utatur ergo primariorum Præfectorum sapientiâ, illis inserviendo, ut discipulus; utatur virorum honestorum pietate, illos frequentando, ut Amicus.

E. 5. Idem liber *Siao hio* ibidem sic: In frequentanda, inquit Memcius, aliorum societate, &c. Ut suprà in contextu.

F. 6. Idem liber *Siao hio* ibidem, sic: Non debes, inquit Liber Rituum cap. *Kio li*, ab aliis exigere, ut omni quo decet, amore, & omni quo possunt, affectu te prosequantur; sed tu id erga illos præsta.

G. 7. Idem liber *Siao hio* ibidem sic: In hospite excipiendo, inquit Liber Rituum cap. *Kio li*, ad cujuslibet portæ ingressum Herus roget, ut Hospes prior transeat; Hospite ad interioris Aulæ portam appulso, Herus cum ejus venia prior intret, ut sedes disponat; tum regressus excipiat Hospitem; si Hospes omninò recuset prior intrare, Herus ei reverentiam exhibeat & intret, Herus ad dextram, Hospes ad sinistram. Ingressi, Herus ad scalæ gradus orientales sive dextros, Hospes ad occidentales sive sinistros pergant, (nota: domus Sinicæ ita ferè solent exstrui, ut vergant ad Austrum) sed Hospes quasi foret dignitate inferior Hero, statim accedat ad Heri scalæ gradus orientales ut illinc ascendat; quod omninò recusante Hero, tandem redeat ad scalæ gradus occidentales. Tum Herus & Hospes postquam se invicem invitârunt ad ascensum, Herus prior incipiat ascendere, Hospes subsequatur; ascendendo in singulis gradibus pes uterque simul jungatur, & æquali passu Hospes Herúsque ascendant. Qui in orientali parte ascendit, priùs dextrum; qui in occidentali, priùs sinistrum pedem attollat, ut nimirum hinc & hinc utriusque Hospitis pedes ad se invicem vergant honoris ergò.

H. 8. Lib. *Lun yu* artic. 5. sic: Quàm bellè callebat amicitiæ leges primarius ille Regni *Cy* Præfectus *Yen pim chum*! quamvis diuturnâ consuetudine jam aliquem frequentâsset, accuratam tamen reverentiam semper, ut priùs, servabat.

I. 9. Lib. *Lun yu* artic. 1. sic: Noli Amicum, inquit Confucius, eligere, qui non sit sicut tu; vel qui tibi non sit par; defectus tuos corrigere non erubescas.

K. 10. Lib. *Su xu che kiay* tom. 22. in Libr. 2. Memcii cap. 4. *Van cham hia*, sic Memcius: In his servandis amicitiæ legibus maximè claruit celeberrimus ille *Lu* primarius Præfectus *Mem Hien*, vir domo illustris, & centum quadrigis potens. Hic familiariter utebatur consuetudine

ne quinque virorum, quorum unus vocabatur *Lo chim kieu*, alter *Mo chum*: trium reliquorum nomina mihi memoriâ exciderunt. Hic *Mem hien* utens familiariter quinque istis viris, nihil aliud quàm mutuam amicitiam spectabat; hi etiam quinque viri nullo modo vel generis splendorem, quo *Mem hien* fulgebat, vel divitias, quibus affluebat, spectabant.

L. 11. Lib. *Siao hio* cap. 5. §. 2. sic Doctor *Cham*, ex pago *Hem Kine* oriundus: Nunc, inquit, homines tantùm eos, qui sibi blandiuntur, in Amicos adsciscunt; & ad demonstrandam in consortio benevolentiam, manu supercilia expoliunt, aut vestis manicam arripiunt. Si verò vel unicum verbum ingratum exciderit, mox stomachabundi in mutuas iras assurgunt. Enimverò Amicorum consuetudo exigit, ut sibi invicem ignoscant, se invicem numquam fastidiant. Idcircò illi qui in amicorum consortio reverentiam attentè servant, quotidie se invicem frequentando, felicem suæ amicitiæ effectum sortiuntur.

M. 12. Lib. *Su xu che kiay* tom. 22. in Libr. 2. Memcii cap. 4. *Van cham hia*, sic discipulus *Van cham* interrogat Magistrum suum Memcium: Ausim iterum ex Te, Magister, exquirere: quisnam animi sensus debet esse in eis, qui mutuam inter se amicitiam mutuis muneribus fovent? reverentiæ, inquit Memcius. Jam verò, subjungit *Van Cham*, dicunt eum, qui amica urbanitatis munera iterum iterùmque rejicit, irreverentiâ peccare; ecquâ quæso, de causa? sic illi Memcius: ecce honestus vir mihi munus offert; mox ego sic apud me dissero: éstne æquitate, an inquitate istud munus acquisitum? si æquitate, possum accipere; si iniquitate, non possum. Dum igitur illud non accipio, censeor datorem contemnere, adeóque irreverentiâ pecco. Idcircò lex amicitiæ exigit, ut munus Amici non rejiciam. Sed dic, amabo, reponit *Van cham*: non apertis verbis, cur munus rejiciam, significo; sed mecum in corde, cur illud rejicere debeam, ita tacitus dissero: istud munus haud dubiè à populo, iniquitatis viâ extortum est, adeóque mihi non licet accipere; ad illud tamen honesto modo rejiciendum, alias exteriùs fingo rationes; numquid hoc licitum est? sic illi Memcius: en quis Amicus in mutuo suo consortio sive loquendo, sive operando om-

nem æquitatis normam, omnésque honestatis leges servat; hujus profectò munus vel ipse Confucius, abjectâ omninò inquirendæ æquitatis sollicitudine, haud dubiè acciperet.

N. 13. Lib. *Su xu che kiay* tom. 10. in libr. *Lun yu* artic. 16. sic : Tria sunt, inquit Confucius, Amicorum genera, &c. Ut suprà in contextu.

O. 14. Lib. *Siao hio* cap. 2. §. 5. sic Confucii discipulus *Cem Tsu* : Vir sapiens suà scientià amicitiam, amicitià suam pietatem promovet.

P. 15. Lib. *Siao hio* cap. 5. §. 2. sic Doctor *Chim* ex pago *T chuen* oriundus : Homines hisce perversis temporibus in frequentanda aliorum societate, unos tantùm jocos, facetias, voluptatem; & in mutuo amore, unas tantum blanditias absque ulla commonitione spectant. Sed ejusmodi amicitia quonam sanè pacto queat esse diuturna ? ut enim amicitia possit esse diuturna, intercedat reciproca reverentia necesse est.

Q. 16. Lib. *Su xu che kiay* tom. 22. in Lib. 2. Memcii cap. 4. *Van cham hia*, &c. Vide hìc suprà num. 12. litteram M.

CAPUT IV.

De Proprietatibus humanarum Actionum.

Actionum humanarum proprietates sunt duæ : Prima voluntarium vel involuntarium. Secunda bonitas vel malitia moralis. Omnis enim actio humana vel est voluntaria, vel involuntaria. Deinde vel est bona, vel mala moraliter. Itaque de his duabus proprietatibus quid sentiant aut differant Sinæ, videamus.

SECTIO I.

De Voluntario & involuntario.

PRimò, quemadmodum juxta Aristotelem sumitur quatuor modis voluntarium. Primò pro *libero*, quod est à voluntate eligente. Secundò pro *naturali*, quod est à principio intrinseco secundum naturalem impulsum agente, ut lapis naturaliter descendit. Tertiò pro *spontaneo*, quod

quod est à principio intrinseco, aliquam saltem imperfectam cognitionem habente, ut bruta sponte quærunt pastum. Quartò pro *voluntario strictè*, quod est à principio intrinseco singula, in quibus est actio, cognoscente; ita Sinæ insinuant hunc quadruplicem voluntarii modum.

Primò enim dicunt: Quando discipulus *Yen hoei* aliqua in re virtutis Medium agnoscebat, mox illud eligebat, & velut duabus manibus fortiter apprehendebat ad illud opere complendum (A). En voluntarium pro *libero* sumptum

Secundò, aquà naturali gravitate deorsum descendit (B). En voluntarium pro *naturali* sumptum.

Tertiò, aves nôrunt ædificare nidos, pullos alere, &c. & habent veluti quosdam scientiæ & pietatis sensus, sed modo tantùm imperfecto, & longè ab hominibus diverso; non enim possunt ratiocinari (C). En voluntarium pro *spontaneo* sumptum.

Quartò, Imperator *Xun* auditas utriusque partis rationes ac momenta singillatim expendebat, omnia ad æquitatis Medium reducebat, ac posteà illud opere complebat (D). En *voluntarium strictè* sumptum.

Secundò, *voluntarium strictè* sumptum, duplex est; aliud voluntarium *directè*, & in se; v.gr. cur aliquis in virtutis viâ aut progrediatur, aut desistat, id ex seipso provenit; sicut luti bajulus ad exstruendum aggerem, si vel desistat vel pergat, id stat in ejus arbitrio (E). Aliud voluntarium *indirectè* & in causâ; v.gr. cur in Regno multi moriantur fame, id ex Regis duritia publica horrea non aperientis oritur (F).

Tertiò, *involuntarium* est id, quod a nobis fit actu, vel virtute resistentibus; suntque quatuor res, quæ illud vel causant, vel multùm adjuvant;

Prima, est *Vis* seu violentia; ut violenta vini & orizæ datio, quam plebs Reguli *Ko* extorquebat à bajulis Regis *Tam* Ministris (G).

Secunda, *ignorantia*; ut legis, quam plebs nescit, transgressio (H).

Tertia, *concupiscentia* ad prosequendum bonum, ut inveterata furandi consuetudo (I).

Quarta, *Metus* ad aversandum malum; ut collocatio filiæ in matrimonium, quam Regulus Regni *Cy* tradidit Regulo Regni *Ou*, metu ejus potentiæ, cui non poterat resistere (K).

Ex his paucis liquet quid de voluntario & involuntario Sinæ indicent.

cent. Nunc de altera actionis humanæ proprietate, bonitate scilicet & malitia morali.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 2. in Libr. *Chum yum* artic. 8. sic Confucius : Dum nuper in vita degebat noster discipulus *Yen hoey*, heu! quàm dissimilis erat illis cæcis & inconstantibus homunculis ! ad discernendum in quavis re immutabile virtutis Medium assiduè incumbebat; ubi hoc discreverat, verámque ejus rationem assecutus fuerat, mox illud eligebat, & velut ambabus manibus fortiter apprehendebat ad opere complendum, intiméque pectori inserebat, veritus, nè umquam illud oblivisceretur aut amitteret.

B. 2. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Lib. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* sic : Ingenita bonitas ad sequendam virtutem ita est naturæ humanæ propria, uti gravitas est aquæ propria ad currendum deorsum. Nullus est enim homo qui ex ingenita suæ naturæ bonitate non spectet virtutem sequi, uti nulla est aqua, quæ ex ingenita suæ naturæ gravitate non spectet deorsum currere.

C. 3. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 9. artic. *Gin ve chi sim*, sic : Bestiæ sunt quidem homini similes, sed non possunt ratiocinari. Sic illarum natura facta est, ut ingenito & ultroneo impetu agant ; non opus habent discere aut doceri, v. gr. ad ædificandos suos nidos, ad alendos suos pullos, &c.

C. 4. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* sic: Ergóne, reponit Memcius, natura bovis, cui inest vita, non erit diversa à natura hominis, cui etiam inest vita ? si vitam spectes, qua homo cognoscit, sentit, se loco movet, vix quidem à brutis discrepat; sed si rectam rationem, quâ pietatem, æquitatem, honestatem, intelligentiam seu prudentiam sequitur, spectaveris; tunc certè magnum discrimen in istis duobus reperies.

C. 5. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 9. artic. *Gin ve chi sim* sic : Natura quatenus recipitur, alia recta, alia non recta, (nempe rationalis & irrationalis); hinc constituuntur in suo esse homines & aliæ res, (nempe bestiæ); ideóque harum natura diversa est ab hominis natura per aliquid subtilissimum. Cùm enim illarum natura sit clausa nec aperiri possit, ideò non clarè cognoscunt sicut homi-

mi-

mines; & cum sit non recta (seu irrationalis), nec possit rectificari, ideò facultatibus non præstant sicut homines.

Paulò infrà sic: Cognoscere, sentire, loco se movere, id & bestiæ possunt; quin imò naturaliter habent quamdam pietatem, æquitatem, honestatem, intelligentiam; sed quonam pacto possint eas perficere? (id est, habent instinctus quosdam naturales similitudinariæ pietatis, intelligentiæ, &c. Non verò perfectam, seu veram pietatem, intelligentiam, &c. Ut suprà dixi.)

D. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 2. in Libr. *Chum yum* artic. 6. sic de Imperatore *Xun*: Cum verò in ipsis sanis consiliis, & rectis verbis soleat sæpè nonnihil peccari modò per defectum, modò per excessum; ideò audita utriusque partis momenta & rationes maturè apud se perpendebat, omniáque ad unum æquitatis medium reducebat; ac tunc illud opere complebat.

E. 7. Lib. *Su xu che kiay* tom. 7. in Libr. *Lun yu* artic. 9. sic: Cur sapientiæ Alumnus in arrepto perfectionis proposito progrediatur, vel desistat, id ex seipso pendet ac proficiscitur. V. gr. aliquis qui vult montem seu aggerem exstruere; postquam multùm desudavit in eo exstruendo, ita ut tantùm desit unus terræ cophinus ad complendum opus, en subitò desistit: id certè ex ipso, & ex solo ejus arbitrio proficiscitur. Contrà, alius in æqua campi planitie vult similem aggerem aut monticulum attollere; quamvis vix bene unum dumtaxat terræ cophinum jam cœperit ingerere, si tamen animosè pergat, & opus continuet; id etiam ex ipso solo, & ex solo ejus arbitrio proficiscitur. Ita sapientiæ Alumnus, qui virtutis propositum vel deserit vel continuat, se habet.

F. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 13. in Libr. 1. Memcii cap. 1. *Leam hoei vam xam*, sic Memcius: Jam verò pace tuâ, Princeps, dixerim; tu perfectam boni regiminis rationem tenere non adeò niteris; nullâ habitâ ratione parcimoniæ innumeros alis & canes & sues, qui populi alimenta comedunt; hinc non paucos in viis reperire est fame & miseriâ enectos; nec ideò tamen publica horrea ad eleemosynas aperis; sed contrà, dum aliquem sic obiisse audis, statim dicis: non ego sum istius mali causa, sed animi sterilitas id fecit. Istud sanè quid aliud est, quàm siquis, postquam alium gladio per-

cussum occidisset, diceret: non ego, sed gladius illum interfecit. .... His monitis commotus Princeps *Leam hoei vam*: Modicæ, inquit, virtutis vir vehementer exopto à te pleniùs instrui; conceptum, quæso, sermonem perfice. Tum Memcius: Estne, inquit discrimen inter eum qui baculo, & alium qui gladio hominem occidit? non est, reponit Princeps. Iterum Memcius: Estne discrimen inter eum qui gladio, & inter alium qui immiti regimine hominem occidit? non est iterum reponit Princeps. Tum Memcius: Tua, Princeps, culina lautis carnibus affluit, tuum equile pinguibus equis redundat; & ecce populus tuus macilenta facie languet, & inopià deficit; imò in campis & in desertis locis plures fame enecti reperiuntur. Annon illud est educere bestias ad mactandos & devorandos homines? quid ergo refert, utrùm cordis duritie, an gladio intereat populus?

G. 9. Lib. *Su xu che kiay* tom. 18. in Libr. 1. Memcii cap. 6. *Tem ven kum hia*, sic Memcius: Vir pius caret Adversario: adeóque ad auspicandum verum Imperatoris regimen, sitnè paruum, an magnum ejus regnum vel Principatus, nihil interest. Id in Principe *Chim Tam* videre est. Princeps *Chim Tam* cum adhuc Regulum ageret in urbe *Po*, vicina ei erat Dynastia *Ko*. Hujus Dynasta omnis legis & pietatis expers, statas Majoribus defunctis Parentationes non faciebat. Idcircò Princeps *Tam* misit qui ex eo percunctaretur, cur illas non faceret? non habeo, inquit ille, unde animalia ad eas faciendas requisita mihi comparem. Quo audito Princeps *Tam* statim misit illi oves & boves. Sed *Ko* Dynasta illos non ad parentationes, sed ad suam mensam adhibuit. Rursùm Regulus *Tam* misit qui interrogaret, eccur statas Majorum defunctorum parentationes omitteret? non habeo, inquit, orizam & milium ad illas requisitum. Tunc Regulus *Tam* præcepit suæ urbis *Po* incolis, ut istius dynastiæ *Ko* agros aratum irent, útque senes & pueri imbecilles, qui arare non poterant, escam & potum aratoribus deferrent. At barbanis ille *Ko* Dynasta eduxit populum suum adversus eos, qui vinum, milium, orizam aratoribus advehebant, & ab iis allatum victum vi eripuit. Siquis postulatum victum tradere recusabat, protinus illum interficiebat. Accidit, ut puerulum victûs latorem

rem sic interficeret, & allatum victum eriperet.................. Propter hanc crudelem pueruli innocentis necem, Regulus *Tam* collecto milite illum aggressus est. Quod ubi pervenit ad aures omnium populorum per totum imperium dispersorum, unanimi voce cœperunt acclamare: Non movet bellum Princeps *Tam* ut hostis, nec ut imperii spoliis ditetur; sed ut privati mariti & uxoris injuriam, innocentis filii morte illatam ulciscatur. Et ab hoc exili principio suam gloriosam Monarchiam auspicatus est.

H. 10. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Libr. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam* sic: Antiqui Principes, inquit liber *Xu Kim*, populos suos, ceu filiolos, amabant ac fovebant................. Ad quem locum sic respondet Memcius: Hic locus vult dicere, quod rudis plebs si fortè leges violet ac transgrediatur, non continuò id illi culpæ vertendum sit; uti infantulus huc illuc reptans, si fortè in puteum cadat, hoc non illi culpæ vertitur. Quocircà pius Princeps debet plebem ceu infantem custodire ac conservare, nè imprudens in culpam aut errorem labatur.

I. 11. Lib. *Su xu che kiay* tom. 18. in Libr. 1. Memcii cap. 6. *Tem ven kum hia* sic: Ego quidem, vehementer optarem, inquit primarius Præfectus *Tay*, antiquam tributi consuetudinem exigendi unam dumtaxat partem ex decem renovare, illáque fori ac limitum vectigalia tollere; sed jam illicò non possum. Te igitur rogo, si istud vitium hoc anno paulatim imminuam, deinde anno sequenti penitùs tollam: quid tibi videtur? Hac ego similitudine tibi respondeo, inquit Memcius: En vir, qui aliquot quotidie vicini sui gallinas in domum suam venientes surripit. Alius illi dicit: Nónne vides id virum honestum ac probum dedecere? effice ut ab hoc vili furto abstineas. Cui ille: Ita reverà est. Sed non possum istud vítium jam diu inveteratum uno momento omninò tollere; liceat igitur paulatim imminuere. Singulis hujus anni mensibus unam tantùm gallinam surripiam; postcà anno sequente penitùs à furto abstinebo. Nunc rogo, quid de ejusmodi homine sentis? si reverà suam iniquitatem agnoscit & odit, illicò eam corrigat ac penitùs tollat. Eccur in annum sequentem differre?

K. 12. Lib. *Su xu che kiay* tom. 19. in Libr. 2. Memcii cap. 1. *Li leu xam*

 sic:

sic: Olim Regni *Cy* Regulus *Kim Kum* viribus & potestate debilior, elegit potiùs morem gerere & obtemperare minitanti Regulo Regni *Ou* potentiori, quàm illi bellum indicere. Sic ergo suos Proceres affatus est: Siquis Princeps nec possit aliis dominari, nec velit illis parere, quid? nónne & se & suum Regnum in perniciem ultrò conjicit, séque ab hominum societate rescindit? his dictis, lacrymæ statim illi ex oculis eruperunt; comitiisque egressus filiam Principi heredi istius Regni *Ou*, ut pacem impetraret, in matrimonium collocavit.

SECTIO II.

De Bonitate & Malitia morali.

DUplex est bonitas & malitia moralis: alia formalis, quam habet actus voluntatis ex se, prout hîc & nunc liberè exercetur; alia objectiva, quam habet idem actus ex objecto. Nunc utraque quid sit, & quomodo explicetur juxta Sinas, accipe.

Primò, Bonitas objectiva respectivè sumpta, est quædam objecti honestas, quæ naturaliter afficit cor nostrum, seu nostram naturam rationalem quà talem; (sive est quædam objecti convenientia cum natura rationali quà tali, ut aiunt Philosophi Europæi). Quemadmodum conveniens melodia auditum, conveniens color visum, conveniens sapor palatum naturaliter afficit ac rapit; ita rei honestas ac æquitas nostram naturam rationalem quà talem, naturaliter afficit ac delectat illíque convenit, & se ut appetendam proponit (A). Item bonitas objectiva respectiva, est recta agendi via in rebus relucens, quàm homo sequi debet (B).

Secundò, Bonitas formalis respectivè sumpta consistit *primò, mediatè & ultimatè* in convenientia actûs humani cum natura rationali quà tali, seu quatenus est operativa secundum rectam rationem. Quia natura rationalis quà talis, habet quemdam naturalem inchoatæ pietatis, æquitatis, honestatis, prudentiæ impulsum; actus huic rationalis naturæ impulsui seu exigentiæ conformis, dicitur bonus moraliter (C). *Secundò, immediatè & proximè* consistit in convenientia actûs humani cum ipsomet rectæ rationis dictamine, proponente bonitatem ob-

objecti; (immediata siquidem humanarum actionum regula, est practicum dictamen rationis); sive bene operari moraliter juxta Sinas est sequi ipsam rectam rationem, quam Cælum homini indidit; quod in idem redit. Quidquid ergo extra hanc humanarum actionum regulam homo molitur, quamvis fortè foret egregium aut belli aut doctrinæ opus, id tamen totum pravæ humani appetitûs cupiditati adscribendum est; & quantum terra à Cælo, id tantum à vera virtute, seu bonitate morali distat (D). Itaque si nihil agas, quod recta ratio dictat non agendum; si nihil concupiscas, quod recta ratio dictat non concupiscendum (loquendo nempe positivè, non merè privativè), veram virtutis viam tenes, seu formalem actûs bonitatem exerces (E). Hæc recta hominis ratio, est veluti Cæli præceptum aut lex, cui homo tenetur obedire & se illi conformare, ut bene agat (F).

Hæc sat clarè indicant, qua in re constituant Sinæ moralem humanarum actionum bonitatem.

De morali earum malitia idem intelligendum cum proportione; consistente scilicet in eo, quod directè contrarium est bonitati morali.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* sic: Quandoquidem sit idem omnium hominum ori erga saporum suavitatem, auri erga vocum concentum, oculo erga colorum pulchritudinem naturalis appetitus gustûs, auditûs, visûs seu gustandi, audiendi, videndi; numquid etiam omnium cordi, quod est totius corporis seu hominis dominus, imò & primum ipsius gustûs, auditûs, visûs principium, erit idem naturalis appetitus? sed hic cordis appetitus naturalis qua in re consistit? Respondeo in rectà ratione & æquitate. Olim illi Sapientes, virtute & scientià insignes viri, id unum dumtaxat habuerunt, quod nunc cor meum habet commune cum omnium hominum corde. Idcircò recta ratio, æquitas, rei honestas tam naturali appetitu rapit, afficit & recreat cor meum, quàm sapida pecudis caro, meum os & palatum.

B. 2. Lib. *Su xu che kiay* tom. 5. in Libr. *Lun yu* artic. 6. sic: In omnibus rebus, inquit Confucius, est quædam honestas seu recta via, quam homo sequi debet; sicut in omni domo est porta, per quam exire oportet. Quemadmodum igitur omnes exeunt per domûs portam, eccur non etiam omnes eunt per illam rectam agendi viam?

Ibidem sic: *Recta via*, id est, recta in rebus humanis & quotidianis actionibus relucens ratio, juxta quam homo agere debet.

C. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 2. in Libr. *Chum yum* artic. 1. sic: Nullus est homo, qui non habeat naturam (nempe rationalem); sed unde hoc nomen *naturæ?* Cælum in hominis productione postquam adhibuit seu dedit aërem vel materiam sensibilem ad corporis compositionem, illi infundit rationem ad naturam perficiendam. Hæc ratio quatenus in Cælo existit, dicitur virtus seu principium magnum, communicativum, directivum, perfectivum; quatenus in homine existit, dicitur innatus pietatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ sensus. Hujus Rationis infusio ac receptio est instar Cæli præcepti aut legis. Ideò dicitur: Natura, est cæli lex. Deinde nulla res est in mundo, quæ non habeat viam suam; sed unde hoc nomen *viæ?* homo ceteræque res juxta innatam naturæ suæ propensionem in omnibus suis actionibus habent viam quam teneant. V. gr. pietas, quâ Parentes & filii se invicem diligunt, æquitas quâ Rex & Minister sui muneris partes adimplent, honestas quâ reverentia interior & exterior, comitas & urbanitas servatur, intelligentia qua veritas à falsitate, honestas à turpitudine discernitur, nihil sunt aliud quàm actus nostræ naturæ conformes, & juxta innatum illius ductum exerciti; ideò dicitur naturæ ductus, est recta agendi via.

C. 4. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* sic Memcius: Quod attinet ad innatum naturæ humanæ affectum, certè bonus censendus est; ideò ego assero naturam humanam esse bonam........................ Omni enim homini inest quidam innatus commiserationis quâ miseros prosequitur, verecundiæ quâ res turpes aversatur, reverentiæ quâ superiores veneratur, scientiæ qua veritatem à falsitate, honestatem à turpitudine discernit, sensus. Hic commiserationis sensus, pietas; vere-

eun-

cundiæ, æquitas; reverentiæ, honestas; scientiæ, intelligentia dicitur. Hæ quatuor inchoatæ virtutes, pietas, æquitas, honestas, intelligentia seu prudentia non foris aliunde conflatæ, hominis naturæ adveniunt; sed illi intimè conjunctæ sunt & ingenitæ. Verùm proh! dolor! plerique istam intrinsecam naturæ suæ rectitudinem nec recogitant nec curant; hinc dicitur: qui illam quærunt, obtinent, fiúntque sapientes, seu probi: qui illam negligunt, amittunt, fiúntque insipientes, seu improbi.

D. 5. Lib. 1. Memcii in Proœmio Interpres *Chu Hi* sic: Naturæ humanæ rectitudini nihil potest quidquam addi aut excellentius aut utilius. Ideò enim Imperatores *Yao* & *Xun* omnibus sequentibus sæculis facti sunt absolutum rectè vivendi ac regendi exemplar, quia naturæ suæ ductum exactè secuti sunt. Sequi autem naturæ suæ ductum, est sequi id quod ratio nobis à Cælo infusa dictat agendum, seu ponere actus rectæ rationis à Cælo infusæ dictamini conformes. Quidquid extra hanc humanarum actionum regulam, rectéque vivendi normam, mille artibus, mille numerorum ac periodorum inventionibus molitur homo, quamvis egregium forsan aut scientiæ, aut belli opus foret; id tamen totum depravatæ humani appetitûs cupiditati adscribendum est; quantúmque terra à Cælo, tantùm hoc à vero virtutis & sapientiæ opere distat.

E. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 25. in Libr. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic Memcius: Ut autem hanc veræ virtutis viam teneas, quid sit opus, accipe: noli agere, quod recta ratio dictat non agendum, noli concupiscere, quod recta ratio dictat non esse concupiscendum. Hoc age, & viam virtutis, seu bonitatis moralis tenes.

F. 7. Vide hìc suprà num. 3. litteram C.

CAPUT V.

De speciebus humanarum Actionum.

Species Actionum humanarum sunt hæ quatuor: Prima sunt actiones circa finem. Secunda actiones circa media. Tertia actiones appetitûs rationalis. Quarta actiones appetitûs sensitivi. De singulis pauca.

SECTIO

SECTIO I.

De Actionibus humanis circa finem & media.

PRimò, *Actiones seu actus voluntatis, qui versantur circa finem*, à Philosophis enumerantur tres: *Primus* est *simplex amor* finis, seu simplex affectus erga Bonum finis, consideratum secundum se, & sine respectu ad media. *Secundus* est *intentio*, seu efficax volitio finis cum respectu ad media saltem in confuso. *Tertius* est *fruitio*, seu vitalis quies in fine jam obtento ac possesso.

Sinæ quamvis non ita singillatim ista explicent; æquivalenter tamen idem significant. Dicunt enim *primò*, quòd finis quem vir sapiens sibi proponit, sit se & alios renovare; en *simplex amor* finis. *Secundò*, dicunt quòd illum finem acquirat per internam cordis, & externam corporis compositionem tamquam media; en *intentio* seu efficax volitio finis. *Tertiò*, dicunt quod obtenta suæ & alienæ renovationis summa atque ultima perfectione, sistat ac quiescat; en *fruitio* seu vitalis quies in fine obtento ac possesso (A).

Rursus sic dicunt: Id quod vir sapiens spectat, est recta agendi ratio; en *simplex amor* finis. Id quod firmiter arripit aut apprehendit, est colendæ virtutis propositum; en *efficax volitio* finis. Denique id cui assiduè ac pacificè inhæret, est omnimoda cordis rectitudo, absque ulla prorsus prava cupiditate; en *fruitio* & vitalis quies, seu actio, qua voluntas fertur circa finem præsentem, & in eo quiescit (B).

Secundò, Actus voluntatis & aliarum potentiarum, qui versantur circa media, ab iisdem Philosophis enumerantur quatuor:

Primus, est *consultatio*, seu actus intellectus à voluntate imperatus, inquirentis & examinantis media ad finem, qui intenditur, conducibilia.

Secundus, est *consensus*, seu actus voluntatis acceptantis media ab intellectu sibi proposita.

Tertius, *electio*, seu actus voluntatis ex pluribus mediis per consultationem sibi propositis, unum aut alterum eligentis.

Quartus, *usus*. Et hic duplex est; alius activus, seu actus voluntatis applicantis potentiam executivam ad mediorum executionem; alius passivus, seu actus potentiæ executivæ ponentis media imperata ad finem assequendum.

Sinæ

Sinæ hæc quatuor suo modo etiam utcumque docent, ac tradunt. *Primò*, enim dicunt: Sapientiæ Alumnus non debet confusè & sine ordine agere; unum primariò ceu arboris radicem, nempe sui renovationem, & alterum secundariò ceu arboris ramos, nempe proximi renovationem, ac posteà hujus utriusque renovationis summam perfectionem, in qua sistat ac quiescat, spectare debet, diligenterque inquirere media, quibus hanc consequi valeat. En *consultatio circa media* (C).

Secundò, postquam hoc novit, tunc habet objectum determinatum, & est immunis à vanis curis & angoribus. En *consensus* (C).

Tertiò, dum sic immunis est à vanis curis & angoribus, tunc cordis & corporis, seu internâ & externâ pace perfruitur, quâ perfruens res singulas accuratè expendit ac curat; sicut peritus medicus, dum morbi occurunt, statim aptam unam ex multis arripit medicinam. En *electio mediorum* (C).

Quartò denique expendendo ac curando res singulas, summæ perfectionis, in qua sistit ac quiescit, finem consequitur. En *usus*, sive applicatio potentiæ executivæ, & ipsa executio (C).

Rursus sic dicunt: *Primò*, vir sapiens seu Philosophus antè omnia debet rerum naturas ac rationes, nimirum quænam veræ aut falsæ, quænam honestæ aut turpes sint, ritè investigare. En *consultatio* (D). Deinde debet voluntatem suam in vero Boni amore & in vero Mali odio firmiter stabilire seu firmare. En *consensus voluntatis* (D). Posteà debet veram cordis rectitudinem procurare. En *electio mediorum*. Denique debet mores, ac totam vitam suam ritè componere. En *usus*. componendo autem mores, ac vitam suam, Familiæ concordia, Regni seu Principatûs bonum regimen, totius imperii pax, ac omnium populorum virtus obtinetur. En *finis consecutio* per media à voluntate imperata (D). Ac proinde vides Sinas cum Europæis penè in unum & idem in hac etiam materia coincidere, licèt parum aliis verbis, alióque modo loquendi utantur.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* sic: Doctrinæ cui Adulti & magni homines vacare debent, via ac ratio consistit in his tribus:

P Primò

Primò in reparanda lucidæ seu rationalis suæ facultatis primigenia claritate; ut enim offuscatus metallici speculi splendor poliendo reparatur; ita primitiva lucidæ nostræ facultatis claritas vel ingenii hebetudine obducta, vel mundi cupiditatibus inter vivendum deturpata reparatur, si illæ mentis tenebræ, & mundi cupiditates diligenti studio ac labore depellantur. Ista *facultas lucida*, est humani cordis vacui seu incorporei, intelligentis seu spiritualis, non obscurati, omnes rationes complectentis, & omnibus negotiis respondentis seu occurrentis propria essentia vel substantia. Secundò in renovandis populis seu proximo. Postquam aliquis primitivam lucidæ suæ facultatis claritatem reparavit, debet deinde tum exemplo, tum documentis eniti, ut omnes alii primitivam suæ lucidæ facultatis claritatem etiam restaurent, errorum tenebras à se expellant, inveteratas vitiorum consuetudines excutiant, ac renoventur; uti vestis luto fœdata, dum benè lavatur, renovari dicitur. Tertiò in sistendo in summa bonitate ac perfectione, instar viatoris, qui domum suam appulsus, tandem sistit ac quiescit. Vir enim sapiens sive suæ reparandæ, sive alienæ renovandæ lucidæ facultatis primitivæ claritati animum ac vires applicet, non debet nisi in obtento ultimæ ac summæ bonitatis vel perfectionis apice sistere.

Et paulò infrà ibidem sic: Olim sapientes Principes volendo suum Regnum seu Principatum rectè componere, priùs suam Familiam ac domum ritè componebant. Volendo autem suam Familiam ac domum ritè componere, priùs suam vitam ac mores probè componebant; volendo suam vitam ac mores probè componere, priùs sui cordis rectitudinem procurabant.

Denique paulò pòst, sive in artic. 3. sic: Passerculorum ad sistendum ac quiescendum locus, est sylva montosa; hominis ad sistendum ac quiescendum scopus seu finis, est summa bonitas ac summa perfectio.

B. 2. Lib. *Su xu che kiay* tom. 6. in Libr. *Lun yu* artic. 7. sic Confucius: Quod ante omnia spectat Sapiens, est figere suum scopum. Hominis via, est recta & naturalis in rebus humanis agendi ratio. Nisi in hac figatur scopus, aberratur. Idcircò oportet hanc rectam agendi rationem pro regula totius vitæ ac morum nostrorum assume-

me-

mere, totúmque animum ac voluntatem applicare ad eam sequendam, tunc noster scopus ac finis est rectus, seu volitio nostri finis est recta. Deinde dum hæc rectè agendi ratio in praxim reducitur, & in animo continetur, tunc dicitur virtus. Sed nisi hæc bene servetur, facilè amittitur. Idcircò oportet illam firmiter velut ambabus manibus apprehendere, de die in diem augere, constantérque conservare. Posteà si hæc ex omni parte perficiatur, ita ut acquiratur omnimoda cordis ab omni prava cupiditate liberi rectitudo, tunc vocatur pietas; sed nisi semper illi inhæreatur, facilè à pravis cupiditatibus labefactatur; ideò oportet illi semper inhærere, in illa sistere ac quiescere, nè à pravis affectionibus perturbetur ac coinquinetur. Atque ita habetur tota interioris hominis perfectio. Denique quamvis Ritus externi, Musica, aliæque liberales artes non sint primarium hujus perfectionis objectum, oportet tamen etiam illarum exercitationi vacare.

C. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Lib. *Ta Hio* sub initium sic: Hoc habet ferè omnis res, ut unum primariò, alterum secundariò spectet, similis arbori, quæ radicem & ramos habet. Deinde omne opus ex principio & fine constituitur. Sic hoc sapientiæ seu Adultorum hominum studium primariò spectat sui ipsius reparationem, secundariò populi renovationem. Tanti operis principium est cognitio ejus, in quo sistendum est; finis, adeptio ejus, in quo sistitur. Illa cognitio & sui ipsius restauratio est quid prius; hæc adeptio, & populi renovatio est quid posterius. Qui autem hanc prioritatem ac posterioritatem ritè novit, animúmque ac vires ad eam servandam diligenter applicat; hic vix aut nè vix quidem à verâ sapientiæ ac virtutis viâ abest.

C. Ibidem paulò superiùs sic: Qui novit qua in re sibi sistendum sit, habet determinatum objectum; qui autem habet determinatum objectum, hic potest esse à vanis cordis commotionibus & angoribus immunis; & qui est immunis à vanis cordis commotionibus & angoribus, is potest interna & externa pace frui; sed qui interna ac externâ pace fruitur, is potest accuratè res singulas considerare, expendere, curare. Denique qui accuratè res singulas expendit ac curat, hic potest consequi id in quo sistendum ac quiescendum est.

 C. 4.

C. 4. Lib. *Su xu mam yn* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* sic: qui novit, qua in re sibi sistendum sit, is habet objectum determinatum, &c. (ut in num. præcedenti) sicut medicus qui in curandis quibusvis morbis est peritus & exercitatus, antequam accedat ad ægrum, varios medendi modos apud se perpendit ac quærit; cúmque hos bene novit discernere ac eligere, non timet, dum ad ægrum accedit, in dando pharmaco errare.

D. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* sub initium sic: Modus assequendi perfectam Boni & Mali notitiam consistit in perscrutandis ac cognoscendis rerum naturis & rationibus. Probè enim cognitis rerum naturis & rationibus, nimirùm quænam veræ aut falsæ, quænam honestæ aut turpes sint, tunc mens ultimum intelligendi apicem attingit. Quando autem mens ultimum intelligendi apicem attingit, tunc voluntas potest in vero Boni amore, & in vero Mali odio firmari. Quando voluntas in vero Boni amore, & in vero Mali odio est firmata ac bene stabilita, tunc potest vera cordis rectitudo obtineri. Ubi verò quis veram cordis rectitudinem obtinet, tunc mores suos ac vitam potest ritè componere. Et ubi quis mores suos ac vitam ritè componit, tunc potest totam suam domum ac Familiam pulchro disciplinæ ordine, concordia, pace regere. Ubi quis totam suam domum ac Familiam pulchro disciplinæ ordine, concordia, pace regit, tunc potest totum suum Regnum seu Principatum rectè gubernare. Denique ubi quis Princeps seu Regulus totum suum Regnum aut Principatum rectè gubernat, tunc potest suo exemplo totum ipsum imperium commovere, ad virtutem excitare, componere, pacare, & id, quod unicuique convenit, afferre. Hinc vides præcipuum totius istius concatenati operis momentum consistere in suis moribus ac vita ritè componendis; siquidem & naturæ perscrutatio, & mentis cognitio, & voluntatis affectio, & cordis rectitudo, & domûs disciplina, & Regni bonum regimen, & imperii tranquillitas, hæc omnia illuc referuntur. Idcircò, ait Confucius, ab ipso Imperatore ad infimum usque ex plebecula Alumnum sapientiæ, nullo excepto, debent omnes id unum tamquam cunctorum suorum laborum basim ac principium spectare, ut mores suos ac vitam ritè componant. Et cer-

certè qui incompositos mores gerendo, vitámque perversam ducendo vellet pulchro disciplinæ ordine ac concordiâ domum suam regere, Principatum suum bono regimne administrare, totum imperium tranquillitate donare, idem ageret, ac qui vellet, ut emortuâ & siccatâ arboris radice, ejus rami ac folia virescerent. Hoc sanè fieri nequit.

SECTIO II.

De Actionibus Appetitûs Rationalis, & sensitivi.

PRimò, *Natura & proprietates Appetitûs Rationalis & sensitivi juxta Sinas sic:* Etsi cordis nostri natura incorporea, spiritualis, & cognoscitiva sit tantùm unica; duplex tamen cor, seu appetitus habetur; alterum cor hominis, alterum cor viæ; sive alterum cor humanæ cupiditatis, alterum cor rectæ rationis: illud ex cupiditate sensuum pullulat, hoc ex infusæ rationis rectitudine emanat: illud periculosum damnosísque rerum sensibilium illecebris obnoxium, hoc subtile, excellens, sensu imperceptibile. Quemadmodum nemo est, qui materialibus corporis sensibus careat, ita nemo est, licèt intelligentissimus, qui sine illo humanæ cupiditatis corde possit esse. Contrà, quemadmodum nemo est, qui spiritualis naturæ substantiâ careat, ita & nemo est, licet stupidissimus, qui sine hoc rectæ rationis corde possit esse; id est, nullus est homo qui non habeat appetitum rationalem & sensitivum (A).

Deinde nullus est homo, qui, quantum est ex naturæ suæ bonitate, seu ex appetitu rationali secundum se, non spectet virtutem sequi; uti nulla aqua, quæ quantum est ex naturæ suæ gravitate, non spectet deorsum currere (B). Quamvis omnes homines à natura habeant, ut os erga saporum suavitatem, oculus erga colorum pulchritudinem, auris erga aurium melodiam, naris erga odorum fragrantiam, pes, manus ceteráque membra erga quietem & delectationem naturali impulsu ferantur, ac proinde hic sensuum appetitus possit dici aliquo modo hominis natura; quia tamen hæc cælesti legi sæpiùs adversatur & ruit in illicita ac turpia, ideò non potest propriè dici illius natura, seu recta ratio quæ pietatem, æquitatem, honestatem, prudentiam ex se semper spectat, hæcque est vera hominis natura (C).

(C). Itaque dum nostrum cor seu animus in res sensibiles erumpit, id dicitur humanæ cupiditatis cor, id est, appetitus sensitivus; dum in res æquitati & honestati consentaneas tendit, id dicitur rectæ rationis cor, id est appetitus rationalis. Quia autem humanæ cupiditatis cor facilè pravitatem, difficilè honestatem amat, ideò dicitur periculosum; & quia rectæ rationis cor facilè tenebris, difficilè claritate fruitur, ideò dicitur subtile, seu imperceptibile (D).

Secundò, Actionis & officium Appetitûs rationalis, & sensitivi. Humanæ cupiditatis cor, sensibilibus visûs, auditûs, gustûs, olfactûs, tactûs objectis reficitur; rectæ autem rationis cor pietate, æquitate, honestate, prudentia delectatur (E). Vir sapiens debet huic utrique cordi diligenter invigilare, nec sinere ut humanæ cupiditatis cor turpibus rerum sensibilium illecebris irretiatur; sed efficere debet, ut uni æquitatis & honestatis rectitudini adhæreat, curaréque ut rectæ rationis cor semper dominum agat; humanæ cupiditatis, famulum; illud dominetur, hoc subjiciatur; illud imperet, hoc obediat; nec ullus motus aut quies, verbum aut factum sive per defectum, sive per excessum à recta umquam via declinet, sed æquitatis semper medium teneat (F).

In homine alia pars nobilior, alia ignobilior; alia pretiosior, alia vilior. Æquitas exigit, ut pretiosior pluris fiat quàm vilior, & nobilior majori honore colatur quàm ignobilior; non igitur licet propter viliorem & ignobiliorem damnum afferre pretiosiori & nobiliori. Hinc siquis viliorem & ignobiliorem sui partem studiosiùs curet, quàm pretiosiorem & nobiliorem, is ignobilissimus & vilissimus evadet homunculus; contrà, siquis nobiliorem & pretiosiorem sui partem studiosiùs curet quàm ignobiliorem & viliorem, hic nobilissimus ac præstantissimus Heros fiet (G).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Chum Yum* in Proœmio Interpres *Chu Hi* sic: Forsan aliquis quæret, ob quam causam hic liber *Chum Yum*, id est, *immutabile Medium*, sit compositus? Respondeo cum Doctor *Tsu Su* doleret rectæ rationis doctrinam jam non ampliùs ad Posteros transfundi, ideò illum composuit. Rectæ enim rationis doctrina ab illis antiquis viris sapientibus, virtute, doctrina, spiritualique vivendi norma illustribus, qui Cæli legi parentes, Cælique vicem gerentes verbo &

bo & exemplo summæ perfectionis regulam tradiderunt Posteris successivè transmissam, emanavit; idque patet ex libro *Xu Kim*, id est, Annalium Imperialium: Dum enim Imperator *Yao* instituit Principem *Xun* suæ dignitatis ac imperii heredem, verborum formula, quâ usus est ad commendandum illi totum imperium, hæc una fuit: verè firmitérque apprehende aureum virtutis ac rectæ rationis Medium. Deinde Imperator *Xun* dum instituit Principem *Yu* suæ etiam dignitatis ac imperii heredem, verborum formula, quâ usus est ad commendandum illi totum imperium, hæc rursus una fuit: humanæ indolis cor, quo sensibilia appetuntur, unicè periculosum est; rectæ rationis cor, quo honesta amantur, unicè subtile. Propterea sis attentissimus & solers in unâ honestate & æquitate sequenda; aureum virtutis ac rectæ rationis Medium verè firmitérque apprehende. Atque ita quod Imperator *Yao* uno verbo aut unâ sententiâ plenè perfectéque expresserat, rursum Imperator *Xun* tribus aliis sententiis illud idem ampliavit, ut clariùs explicaret id, quod uno verbo Imperator *Yao* complexus fuerat. Hâc igitur Medii viâ oportet vitam instituere, tunc vix poterit à scopo aberrari. Prisci illi Sapientes, uti possumus colligere, etsi humani cordis vacuam, seu incorpoream, intelligentem, spiritualem, cognoscitivam, sensitivam naturam in omnibus unicam tantùm esse crederent; duplex tamen diversum cor distinguebant, alterum *hominis*, seu humanæ indolis, alterum *viæ* seu rectæ rationis cor vocabant, quia illud ex cupiditate sensuum pullulat, hoc ex infusæ rationis rectitudine emanat; unde fit, ut non omnes idem cognoscant ac sentiant. Quapropter illud periculosum est & inquietum, damnosísque rerum sensibilium illecebris obnoxium; hoc autem est subtile, delicatissimum, & perceptu difficillimum. Porrò qui illis materialibus corporis sensibus careat, neminem certè reperias; ideóque qui sine illo humanæ indolis corde possit esse, celsissimâ licèt intelligentiâ sublimem, etiam reperias neminem. Pari modo, qui hac spirituali infusæ cælitùs rationis naturâ careat, prorsus neminem reperies; ideóque & qui sine hoc rectæ rationis corde possit esse, profundissimâ licèt ignorantiâ stupidissimum, etiam reperies neminem. Jam verò dum quis geminum hoc cor, in carneo

suo

suo corde vix digitum lato, prorsus confundit ac permiscet, nec novit aut callet id, quo utrumque apposite dirigat ac regat, tunc periculosum cor, magis periculosum; subtile cor, magis tenue magisque imperceptibile evadit, donec tandem cæli rationis æquitas non habeat amplius, quo domet ac vincat humanæ appetentiæ iniquitatem. Vir attentus ac solers, hoc utrumque cor diligentissimè discutit, perpendit nec confundit; & qui unam æquitatem honestatémque sectatur, hic debitam sui cordis rectitudinem vigilantissimè custodit, nè ab ea quandoque deflectat. Unde in rebus agendis sine ulla vel minima intermissione efficit, ut rectæ rationis cor semper omnium sensuum totiúsque corporis Dominum agat, & humanæ indolis cor, ejus imperiis ubique obtemperet; tunc periculosum cor acquirit tranquillitatem & securitatem; subtile cor prodeuntem foras decorem, spectabiléſque suæ formæ radios emittit; ac demum nullus motus aut quies, nullum verbum aut factum sive per defectum, sive per excessum ullam culpæ notam incurrit.

B. 2. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* sic: Nullus est homo, qui, &c. Ut suprà in contextu.

C. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 26. in Libr. 2. Memcii cap. 8. *Cin sin hia* sic Memcius: Sapientes longè aliter de natura humana ac cælesti providentia sentiunt, quàm isti vulgares ac rudes homines. Hi naturam humanam in sensitivo appetitu, quem unum sibi sequendum proponunt, & cælestem providentiam in quadam volventis aëris seu temporis periodo, vel gyrantis aëris revolutione ac numero, quo desides ad omne opus bonum torpent, sitam esse volunt. Sed non sic Sapientes. Quamvis ergo omnes homines hoc à natura comparatum habeant, ut os erga saporum suavitatem, oculus erga colorum pulchritudinem, auris erga vocum melodiam, naris erga odorum fragrantiam, pes, manus, ceteràque membra erga quietem & delectationes naturali quodam impetu & appetitu ferantur, adeóque hic appetitus possit dici quædam humana partis sensitivæ natura; quia tamen rerum Effector juxta suum arbitrium huic dat vel non dat, vel quantum lubet, dat, nec id ex ingenii viribus provenit; ideò vir sapiens, cùm in natura humana cælestis lex seu providentia resideat, illum appetitum sensitivum, qui sæpiùs

piùs hominem in illicita contra cæleſtem legem trahit, non vocat humanam naturam, nè fortè facinoroſi homines prætextu naturæ, effrænatè in ſcelera ruant. Deinde quamvis amoris pietas inter patrem & filium, officii æquitas inter regem & vaſallum, reverentiæ honeſtas inter hoſpitem & hoſpitem, intelligentiæ diſparitas inter ſapientem & rudem, recta cæli via in homine perfecto ſit quædam cæleſtis lex aut providentia; quia tamen natura humana in cæleſti lege aut providentia reſidens agit quod ſuum eſt, ideò vir ſapiens illam non vocat cæleſtem legem aut providentiam, nè fortè facinoroſi homines prætextu cæleſtis legis & providentiæ aut omnem ſui ipſorum curam abjiciant, aut in errores deducantur.

C. 4. Lib. *Su xu mum yn* tom. 26. in Libr. 2. Mencii cap. 8. *Cin ſin hia* ſic: Hæc, inquit Doctor *Chim*, propenſio oris erga ſapores, oculi erga colores, auris erga melodiam, naris erga odores, pedis, manûs, ceterorúmque membrorum erga commoditates & delectationes, ſunt ſenſitivi appetitûs natura. Et Doctor *Chu Hi*: Id quod natura, ait, concupiſcit, oritur ex illa natura, quæ in victûs & corporis voluptates fertur. Unde Doctor *Chu Hi*, per iſtam naturam etiam intelligit naturalem vitalis auræ (ſeu ſenſuum) indolem ac temperamentum. Et paulò infrà ſic: Quod attinet ad veram vitalis auræ indolis ac temperamenti explicationem, certè in illis natura, quæ eſt ratio, continetur; ideò non dicitur vitalis auræ indoles ac temperamentum eſſe natura.

D. 5. Lib. *Xu Kim* tom. 1. cap. *Ta yu mu* Interpres *Tſay Xin* ſic: Cor ſeu animus eſt hominis intelligentia & advertentia, prout in medio illius dominatur ac præſidet, omnibúſque advenientibus negotiis aut rebus occurrit & reſpondet. Dum in res ſenſibiles erumpit, vocatur hominis cor, ſeu humanæ cupiditatis cor; dum in res æquitati & honeſtati conſentaneas tendit, vocatur viæ cor, ſeu rectæ rationis cor, nempe rationalis appetitus. Quia autem hominis cor facilè pravitatem, difficilè honeſtatem amat, ideò dicitur periculoſum; & quia viæ ſeu rectæ rationis cor facilè tenebris, difficilè claritate fruitur, ideò dicitur ſubtile, ſeu imperceptibile. Dum quis illi diligenter invigilat nec illi permittit, ut pravis rerum materialium cupiditatibus immiſceatur ac implicetur, ſed efficit

ficit, ut unam puram bonitatem probitatémque spectet ac servet; ut uni perfectæ æquitatis & honestatis rectitudini adhæreat; útque viæ seu rectæ rationis cor, semper dominum; & hominis seu humanæ cupiditatis cor semper famulum agat; illud dominetur & imperet, hoc subjiciatur & pareat: tunc periculosum acquirit tranquillitatem, subtile manifestationem; nec ullus motus aut quies, verbum aut factum, sive per defectum, sive per excessum peccat; sed omnia immutabile virtutis Medium verè attingunt.

E. 6. Lib. *Su xu mum yn* tom. 3. in Libr. *Chum Yum* Prooemium sic: Ubi habetur hic homo, mox membra, aures, oculi, nares, os, pedes, manus, reliquæque partes habentur. Idcircò aurium, oculorum, narium, oris, pedum, manuum, reliquarúmque partium naturalis appetitus vocatur hominis cor. Viæ autem, seu rectæ rationis cor, quia significat aut indicat pietatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ naturam, ideò unam Cæli rationem spectat, nec rebus sensibilibus implicatur, ipsúmque Doctor *Cham* vocat Cæli ac terræ naturam, ideóque dicitur viæ cor.

F. 7. Vide hîc suprà num. 1. litteram A. sub finem & num. 5. litteram D. etiam sub finem.

G. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* sic Memcius: Homo in seipso binam continet partem, aliam nobiliorem & majorem, aliam ignobiliorem & minorem. Nobilior ac major est cor & mens; ignobilior ac minor, est os & venter. Æquitas autem exigit, ut majori pretio major quàm minor æstimetur, & nobiliori honore nobilior quàm ignobilior colatur. Non ergo licet propter ignobiliorem & minorem partem, nobiliori & majori nocere; atque in hoc pravus aut rectus seipsum fovendi alendíque modus consistit. Siquis enim ignobiliorem & minorem sui partem studiosiùs quàm nobiliorem & majorem aluerit, ignobilissimus & minimus evadet homunculus; contrà, siquis nobiliorem & majorem sui partem studiosiùs quàm ignobiliorem & minorem aluerit, nobilissimus & maximus Heros fiet. Et verò siquis hortulanus majores istas *Ngu* & *Kia* arbores, hominum usibus utilissimas, curare negligeret, totúmque suum laborem ac curam in alendis quibusdam vilissimis fruticibus poneret, annon rudissimus vilissimusq; hortulanus jure merito censere-

feretur? aut si vir omne suum studium in fovendo suo digito, nè quid fortè mali incurrat, impenderet; & interea gravissimâ sæviente in dorso plagâ, non adverteret totos sibi humeros penè eripi; annon hic lupus currens, qui tantùm ea, quæ ante oculos, non quæ retrò sunt, respicit, verè diceretur?

SECTIO III.
De Passionibus.

PAssiones sunt præcipua pars appetitûs sensitivi; idcircò de iis hìc breviter etiam agemus.

Primò, Natura & proprietates passionum juxta Sinas sic: Passio est cordis seu appetitûs sensitivi commotio ab objecto sensibili excitata. Sicut aqua vel ab obvio lapide, vel à soli inæqualitate, vel à venti resistentia excitatur; ita noster animus à rebus sensibilibus commovetur (A); adeóque ista commotio fit cum aliqua corporis transmutatione non naturali, quod ad passionem requiritur.

Causa passionis productiva est cor; objectum est res sensibilis. Sicut aqua ex se est æqualis & quieta instar speculi, quamdiu à nulla re movetur; ita nostrum cor ante passionis commotionem (B).

Passiones in omnibus hominibus sive malis, sive bonis reperiuntur; sed boni non sinunt illas intra se tumultuari, mali sinunt (C). Adeóque illæ ex se sunt quid indifferens ad bonum vel malum morale; solummodò ex bono vel malo earum usu fiunt bonæ vel malæ. Hinc malæ sunt, quando noster animus ab illis abreptus, in actus contra rationem & æquitatem erumpit (D). Bonæ sunt, quando noster animus ab illis motus, servata ratione & æquitate, justæ moderationis terminos non excedit; idque vocatur perfecta passionis cum ratione concordia; quæ concordia est communis omnibus rectè agendi via (E).

Secundò, Divisio Passionum. Sinæ non undecim ut Europæi, sed septem tantùm passiones enumerant, scilicet gaudium, tristitiam, iram, timorem, amorem, odium, desiderium (F). Quandoque eas reducunt ad quatuor, scilicet ad gaudium, iram, tristitiam, desiderium; quia amor sub gaudio, odium sub ira, timor sub tristitia continetur; imò sunt aliqui qui eas ad duas tantùm reducunt, reliquas sub iis compre-

hendendo ; nimirum vel ad gaudium & iram (G) ; vel ad desiderium & odium (H).

Tertiò, Effectus Passionum. Quod attinet ad passionum effectus, hi sunt: Si noster animus, ubi & quando res exigit, passionibus moderatè utatur, ac post usum mox illas deponat; tunc ab illis non inficitur, instar clarissimi speculi, quod ab objectis & receptis rerum imaginibus non maculatur. Si autem illis vel intempestivè, vel immoderatè utatur, easque intra se tumultuari sinat ; tunc sicut clarissimum speculum ab inhærente pulvere, ac luto offuscatur ; ita noster animus ob inhærentes passionum tumultus suum nitorem ac rectitudinem amittit (I).

Ante omnem passionum motum habetur in omnibus hominibus rectæ rationis à Cælo infusæ bonitas, quæ est quidam rectus pietatis, & æquitatis sensus. Ubi crescente ætate incipit passionum motus exurgere, si hæ juxta rectam rationem regantur, illa naturalis bonitas virtutibus perficitur ; si non regantur, vitiis deformatur; atque hinc habetur hominis vel probitas, vel improbitas (K).

Quartò, Remedia Passionum. Ad regendas suas passiones, debet homo diligenter invigilare primis illis & subtilibus animi motibus, qui nobis ipsis tantùm noti sunt, aliis autem incogniti; nè ipsum à recta agendi via intus abripiant (L). Deinde debet animum suum colligere, dissipatum cor non habere, suam mentem pascere rerum veritatibus (M). Præterea efficere, ut interior cordis honestas vincat pravam sensuum cupiditatem, sicut aqua ignem ; non tamen ridiculè agere instar hominis, qui viso grandi incendio, mox parvulum aquæ cyathum in ignem projiceret; igne non extincto, statim desisteret, dicens: aqua non potest ignem extinguere ; sed constanti virtute & labore opus est, & assiduè excolenda, pascenda, corroboranda nobilior animi pars (N).

Denique homini in adolescentia, quia tunc vitales spiritus sunt instabiles, cavendum est à libidinibus; in juventute, quia tunc vitalis spiritus sunt fortes, cavendum est à rixis; in senectute quia tunc vitales spiritus sunt debiles, cavendum est ab habendi ardore (O).

Atque hæc de Ethica Monastica Sinensi; nunc de Oeconomica.

Textus

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 10. artic. *Sin sim cim* sic Doctor *Chim* : Natura sensitiva dicitur cor ; hujus naturæ motus dicitur passio, seu affectio.

Petes : Ira & gaudium oriuntúrne à natura, annon? Respondeo Affirmativè. Quum enim producitur cognitio, habetur natura; habitâ naturâ habetur affectio. Quomodo igitur posset esse affectio sine natura?

Petes : Ira & gaudium procedítne à natura, sicut fluctus ab aqua?

B. Respondeo Affirmativè. Natura aquæ ex se est æqualis, tranquilla, plana, ut facies chrystalli. Dum autem offendit in arenas, saxa, soli inæqualitatem; tunc incipit commoveri, agitari, tumescere; & si ventus superveniat, in undas etiam & fluctus assurgit; sed hoc non est ipsa natura aquæ. Sic in hominis natura habentur tantùm hi quatuor connaturales & ingeniti pietatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ sensus, non verò illæ innumerabiles commotiones à rebus occurrentibus excitatæ. Quemadmodum tamen si non sit aqua, non possunt haberi fluctus; ita sine natura non habentur commotiones seu passiones.

Ibidem infrà sic: Habito hoc corpore, habetur cor. Recta ratio, quam cor à Cælo recipit, dicitur natura; & illa commotio quam natura à rebus sensibilibus excitata producit, dicitur affectio,

C. seu passio. Hæc tria in omnibus hominibus reperiuntur, sive sint sapientes & excellentes, sive sint insipientes, rudes & vulgares; nemo enim est qui illis careat. Sed viri sapientiâ & virtute inclyti cùm habeant cor rectum & ingenium clarum, naturam suam perficiunt, ita ut passiones in illis non possint tumultuari.

D. 2. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* artic. 7. sic : Quod suprà ait Confucius : *Ubi quis veram cordis sui rectitudinem obtinet, tunc potest mores suos ac vitam ritè componere*, his verbis indicat, quòd quando cor nostrum contra rationem vel irâ, vel metu, vel gaudio, vel tristitiâ abripitur, tunc non possit veram suam obtinere rectitudinem. Cor enim nostrum quamvis his quatuor passionibus carere non possit, earum tamen usus suas habet leges. Si igitur ubi & quando

res exigit, iis utatur, statimque post usum illas deponat, tunc ab iis non inficitur; uti clarissimum speculum ab objectis rerum imaginibus non maculatur. Si autem illis vel intempestivè, vel immoderatè utatur, easque intra se tumultuari sinat: tunc uti clarissimum speculum ab inhærente pulvere, & luto offuscatur; ita cor nostrum ob inhærentes passionum tumultus suum nitorem ac rectitudinem amittit. Cor itaque ut sit rectum, debet esse prorsus vacuum ab omni passione, pacem ejus perturbante & judicium offuscante.

E. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 2. in Libr. *Chum Yum* artic. 1. sic: Quid autem sint hæ animi commotiones ac passiones, quæ earum natura, quis effectus, quomodo regendæ sint, accipe. Amor & odium, tristitia & gaudium, cæteræque passiones antequam in actum prodeant, nihil sunt aliud quàm ipsa natura in statu tranquillitatis posita, quæ nec ad dextram, nec ad lævam declinat; ideò tunc vocantur ipsum rectæ rationis Medium. Dum autem in actum erumpunt, naturámq; à statu tranquillitatis ad statum commotionis transferunt; si æquitate servatâ, justæ moderationis terminos nil prorsus excedant; tunc vocantur perfecta affectionis cum recta ratione concordia. Illud Medium, utpote ipsámet natura rationalis, est omnibus hominibus rectè agendi communis radix ac primum principium; hæc concordia, utpote practicus naturæ rationalis ductus, est omnibus hominibus rectè agendi communis via.

F. 4. Lib. *Li Ki* seu Rituum tom. 4. cap. 9. *Li yun* sic: Quænam sunt hominis passiones? Sunt hæ: gaudium, ira, tristitia, timor, amor, odium, desiderium. Hæ septem passiones absque sapientiæ studio & honestatis Ritibus non possunt regi.

G. 5. Lib. *Su xu m m yn* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 1. sic: Eccur hic enumerantur tantùm quatuor passiones, cùm tamen sint septem? Respondeo: Amor sub gaudio, timor sub tristitia, odium sub ira comprehenditur. Quoad concupiscentiam verò, ea in illis continetur, & in omnibus reperitur. Præterea breviùs adhuc aliqui illas reducunt ad duas tantùm; hoc est, ad gaudium & iram.

H. 6. Lib. Rituum tom. 4. cap. 9. *Li yun* Interpres *Chin hao* sic: Quamvis in hominis corde sint septem passiones: generatim tamen sub duabus tantùm comprehenduntur; id est, sub desiderio & odio.

I. 7.

I. 7. Vide hîc suprà num. 2. litteram D.

K. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Libr. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum* sic: Regni seu Principatûs *Tem* Regulus *Ven Kum* quum adhuc vivente patre, solummodò esset futurus Regni heres; profecturus in Regnum *Tsou*, (id est, in Provinciam *Hu Quam*) ad renovandam cum illo Regulo amicitiam, iniit suum iter per Regnum *Sum*, ut Memcium, qui tunc temporis illic morabatur, inviseret & docentem audiret. Memcius conspicatus Principem audiendæ & addiscendæ sapientiæ adeò avidum, cœpit illi à primis principiis viam ineundæ virtutis ac perfectionis explanare. Itaque primitivam naturæ humanæ bonitatem à Cælo infusæ, quæ in omnibus hominibus reperitur priusquam crescente ætate vel vitiis deturpetur, vel virtutibus exornnetur, singillatim illi exposuit. Hæc bonitas ante omnem passionum motum, in unoquoque à natura habetur, & est quidam innatus ac rectus pietatis & æquitatis sensus. Ubi autem crescente ætate passionum motus incipiunt exurgere, si hæ juxta rectam rationem temperentur ac regantur, ista bonitas perficitur; sin minus: vitiatur; atque hinc hominis vel probitas, vel improbitas oritur.

L. 9. Lib. *Su xu che kiay* tom. 2. in Libr. *Chum Yum* artic. 1. sic: Deinde primi illi & subtiles motus, qui in secretissimo cordis penetrali sive erga Bonum sive erga Malum feruntur, etsi aliis nondum sint cogniti, ei tamen homini, cui insunt, valde spectabiles apparent; unde de illis dicitur: nihil tam spectabile quàm id, quod est occultum; nihil tam visibile quàm id, quod est subtile. Quia autem ex his subtilissimis & absconditis motibus tota aut honestatis, aut turpitudinis diversitas profluit; ideò vir sapiens isti internæ cordis sui solitudini, quam ipse solus cognoscit, studiosissimè invigilat; veritus, nè procul à rectâ agendi via ipsum abripiant succrescentes paulatim istæ occultæ cupiditatis commotiones.

M. 10. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 10. artic. *Sin sin cim*, sic: Sapientiæ Alumnus debet diligenter colligere & servare suum cor, ut naturam suam rationalem alat, & suas pasiones moderetur.

M. 11. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* artic. 7. sic: Deinde ubi cor illos pasionum tumultus intra se admittit nec coërcet, tunc ab illis foras abripitur; Dúmque cor est foras abreptum & absens,

sens, tunc omnes corporis sensus non possunt suo munere benè fungi, vel funguntur quasi non fungerentur; oculus intuetur & non videt, auris audit & non intelligit, os comedit & non discernit sapores; quia nimirum cor, horum sensuum actionúmque Dominus ac Rector, abest.

N. 12. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Libr. 2. Memcii cap. 5. *Kao tsu xam* sic Memcius: Quin imò illi veræ virtutis simulatores, suis etiam vitiis & iniquitatibus futiles causas prætexunt. Communis lex est, ut interior cordis honestas vincat pravam sensuum cupiditatem, perinde ac ignem aqua. Jam verò isti fucatæ honestatis amatores non aliter se gerunt ac is, qui ingentem lignis onustum conspicatus currum igne deflagrare, mox ad extinguendum istud incendium, parvulum aquæ cyathum arriperet, atque in ignem conjiceret; igne non extincto, confestim diceret: aqua non potest ignem vincere. Itaque illi postquam vix quidpiam honestatis ad domandas suas pravas passiones adhibuerunt, statim illis non domitis dicunt: interior honestas non potest pravam sensuum cupiditatem vincere. Unde quotidie in majora scelera præcipites ruunt, donec tandem omnem interioris honestatis sensum penitùs amittant.

O. 13. Lib. *Lun yu* artic. 16. sic: Tria sunt, quæ debet cavere Sapiens: in adolescentia, quia spiritus non sunt adhuc stabiles, debet cavere luxuriam; in juventute, quia spiritus sunt debiles, debet cavere rixas; in senectute, quia spiritus sunt debiles, debet cavere avaritiam, seu habendi libidinem.



PARS SECUNDA.

Ethica Oeconomica.

Ethica Oeconomica est, quæ tradit leges regendæ Familiæ seu domûs; domûs partes juxta Aristotelem sunt homo & possessio. Inter domûs homines datur quadruplex societas: paterna, conjuga-

jugalis, fraterna, herilis. Et Familiæ ſeu domûs poſſeſſiones dividuntur in immobiles, & mobiles.

Finis Oeconomicæ eſt Familiæ directio, & educatio. Itaque agemus primò de Familiæ hominibus. Secundò, de Familiæ poſſeſſionibus.

CAPUT I.

De Familiæ Hominibus.

SECTIO I.

De Paterna Societate.

SOcietas Paterna eſt quidam ordo inter Parentes & liberos. Itaque *Primò, Regulæ Parentum erga liberos juxta Sinas ſic* : Totius diſciplinæ domeſticæ fundamentum ac radix, eſt Paterfamilias bonis moribus inſtructus (A).

Prima Regula: Mater prægnans ſit modeſta, ſobria, nihil niſi honeſtum loquatur & audiat, ut ſuo infanti conſulat (B).

Secunda: Si infanti danda ſit nutrix ac Magiſtra, eligatur mulier modeſta, quieta, pia, obſequens, affabilis, facilis, gravis, reverens, diligens, cauta, taciturna (C).

Tertia: Teneri puelli celeriùs, puellæ lentiùs reſpondere, dextrâque manu, non lævâ uti doceantur. Puelli & puellæ ſeptennes non unà ſedeant, nec unà comedant; incipiant addiſcere libellum filialis obſervantiæ, & librum Sententiarum. Octennes urbanitatem doceantur quâ primum locum ſenioribus in ingreſſu, congreſſu, ſeſſione, menſa deferre debeant. Puer decennis Scholam frequentet; diſcat ſcribendi & numerandi artem; librorum notitiam hauriat; urbanitatem & veritatem edoceatur, ac deinde Muſicam. Viginti Annos natus ſolemni ritu primum pileum accipiat.; triginta, matrimonium ineat. Puella verò decennis domo non egrediatur, doceatur ſuaviter loqui; modeſtum vultum præferre, mandatis obtemperare, nere, texere, ſuere, &c. Quindecim Annos nata ſolemni ritu, capitis ornatum accipiat; viginti, nubat (D).

 Quar-

Quarta: Parentes suos liberos sæpiùs moneant, ut hæc vitia fugiant: Majores suos probro afficere, domûs bona dilapidare, famæ & sanitati suæ nocere, voluptates quærere, sobrietatem odisse, solis facetiis delectari, auditis aliorum virtutibus invidere, audita aliorum vitia evulgare, priscorum Sapientum dicta ac mores fastidire, viros doctos fugere, in rebus agendis torpescere, vestium luxum amare, &c.

Quinta: Pater filium non erudiat per se, sed Magistro erudiendum tradat; quia inter erudiendum si filius non obsequatur, posset exoriri mutua Patris & filii exacerbatio, quæ noceret & Patris amori erga filium, & filii honori erga Patrem. Hinc Sapientes suum filium cum alterius filio permutabant, ut eum non per se instruerent atque educarent (F).

Sexta: Parens debet amare filium, non prout cæcus affectus impellit, sed prout recta ratio exigit. Quia sicut Agricola segetis suæ ubertatem ob nimiam aviditatem non cognoscit, ita Parens nec filii sui malitiam, nec nævos ob nimium amorem (G).

Septima: Si liberi aut nurus aliquam irreverentiam aut inobedientiam committant, non debent Parentes statim stomachabundi in iras erumpere illisque succensere; sed illos patienter instruant. Si instructi, non se emendent, eos puniant (H).

Secundò, Regulæ liberorum erga Parentes.

Prima: Liberi summo mane surgant; decenter induti adeant Parentes; rogent quid velint, quid expetant, quid imperent. Aquam ad lavandas manus offerant, cubiculi supellectilem componant, cibos eis deferant. Nurus erga socerum & socrum idem præstent.

Liberi Parentibus vocantibus reverenter respondeant, coram illis, accedendo & recedendo modestiam & attentionem servent; nec ausint ructare, oscitare, corpus extendere, uni pedi insistere, alicui rei inniti, limis oculis intueri, spuere, naribus stillare, sese scalpere, &c. Parentes vestes mundandas ac reficiendas curent. Hieme eos rogent, num aliquid contrà frigus, & æstate, num aliquid contra calorem expetant? Nurus erga socrum & socerum idem præstent (I).

Secunda: Filius domo egrediens, Parentes præmoneat, & dicat quò va-

vadit. Rediens coram illis se sistat. In serviendo Parentibus faciem alacrem & affabilem præferat, nec sit morosus (K).

Tertia: Liberi & nurus nec proprium peculium, nec propria animalia, nec propria vasa habeant; nec quidquam suo nomine aut petere commodatum, aut alteri dare audeant. Siquod munus accipiat nurus, illud socrui deferat (L).

Quarta: Liberi & nurus si fortè à Parentibus, socero aut socru multùm amentur, non ideò præsumant esse minùs prompti ad eorum jussa. Dum aliquâ re ab iis donantur, ostendant eam sibi gratam accidere. Si cibo aut potu donentur, eum, quamvis insipidum, gustent; si veste, eam, quamvis injucundam, induant. Opus è manibus, cibus ex ore dimittendus, dum Parentes vocant (M).

Quinta: Filius amet quos amat, colat quos colit Parens; in omnibus voluntatem Parentum exquirat; uti etiam nurus, soceri ac socrûs (N).

Sexta: Filius annotet Parentum jussa, secum gerat, examinet, properè exequatur; post executionem, statim eos faciat certiores (O).

Septima: Filius ad ducendam uxorem, debet Patrem & matrem præmonere, & ab eis facultatem petere (P).

Octava: Filius Parentes peccantes ore blando, & vultu sereno suaviter commoneat. Si monentem respuant, honorem & reverentiam, ut priùs eis exhibeat. Dum viderit eos alacriores, rursùm commoneat; præstat enim peccantes, quamvis nonnihil irascantur, amanter commonere, quàm ipsos totum vicum, urbem, Patriam suo peccato offendere. Si autem ob ista monita exasperati filio succenseant, imò eum vel ad ipsam usque sanguinis effusionem cædant, non tamen audeat filius eis succensere; sed debitam reverentiam & obedientiam more solito eis præstet (Q).

Nona: Si Parentes ægrotent, filius corporis ornatum negligat, sit in gressu modestior, humilior in verbis, in victu magis sobrius, passiones frænet, mœrorem demonstret, pharmacum illis dandum prægustet (R).

Decima: Filius Parentum cultor, si sit in suprema dignitate, non debet superbire; nè superbiendo se cum illa in exitium trahat. Si sit in inferiori dignitate, non debet tumultuari, nè tumultuando Regni

pœnas incurrat. Si sit in plebe, non debet altercari, nè arma in se concitet (S).

Præterea in Confucii libello de filiali observantia, quintuplex ejus genus ac munus describitur, scilicet Imperatoris, Reguli, primarii Præfecti, Doctoris seu viri litterarum laureâ donati, & viri plebeii. Nullus enim ab hac filiali observantia sive Rex, sive plebeius eximitur; imò totius Regni & imperii bonum regimen ab illa dependet (T).

Undecima: Denique filii, dum Parentes vivunt, debent illis juxta Ritus honestatis inservire; dum obierunt, juxta Ritus honestatis exequias celebrare; postquam sepulti sunt, juxta Ritus honestatis statis anni temporibus parentationes illis facere (V).

Inter exequias recensetur triennalis luctus ob triennium quo filius matris lac suxit, & gremio gestatus fuit. Triennalis luctus consistit in albo rudioris cannabis vestitu, in parciori victu, &c. (X).

Duodecima: Filialis observantiæ vitia, hæc sunt præsertim quinque: primum, socordi otio; secundum, ludis & compotationibus; tertiū, immodico uxoris ac liberorum amori sine fræno indulgere, neglectâ alendorum Parentum curâ. Quartum, obscœnæ voluptatis cœno sese immergere, invectâ Parentibus ignominiæ notâ. Quintum, amare audaculam bullientis sanguinis fortitudinem, rixas, altercationes; ac posteà pœnas, ipsámque mortem incurrere, periculo & damno in Parentes resiliente (Z).

Alia sunt innumera circa hanc filialis observantiæ materiam; sed ea brevitatis causâ omitto

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* art. 8. sic: Quod suprà ait Confucius: *Ubi quis mores suos ac vitam ritè componit, tunc potest totam suam domum pace, concordiâ, pulchro disciplinæ ordine temperare*, his verbis indicat, quòd totius disciplinæ ac pacis domesticæ fundamentum, sit ipse Paterfamilias, qui se erga alios debet gerere, non prout cæcus affectus eum impellit, sed prout recta ratio & æquitas exigit. Sed heu! plerique nunc in iis quos aut amant, aut oderunt, aut verentur, aut reverentur, aut miserantur, aut aspernantur, non

non rectam rationem, sed unum cordis affectum cæcè sequuntur; non enim quid deceat aut dedeceat, nec quid laudabile vel vituperabile sit, attendunt. Idcircò paucissimos reperies, qui ejus quem amant, defectus aut vitia noverint; & ejus quem oderunt, perfectiones aut virtutes cognoscant. Hanc ob causam dicitur antiquo proverbio: vir nec filii sui malitiam, nec segetis suæ abundantiam cognoscit; quia erga segetem avaritiâ, erga filium amore excæcatur. Unde patet eum qui mores & vitam suam, juxta rectæ rationis regulam æquitatisque normam non componit, non posse domum suam pace, concordiâ, & pulchro disciplinæ ordine temperare.

A. 2. Lib. *Sim li ta ciuen*, seu magnus Commentarius de natura & ratione tom. 19. artic. *Kiu kia tsa y*, sic Doctor *Su ma ven kum*: Quicumque est Paterfamilias, ante omnia debet summâ cum diligentiâ honestatis Ritus, ac Regni leges servare, ut poßit omnes suos liberos, fratres natu minores, ac domesticos bene regere. Debet sua unicuique officia ritè distribuere.

B. 3. Lib. *Siao Hio* cap. 1. sic: Olim, inquit liber *Lie niu chuen*, mulier prægnans, dormiendo lateri incumbere, sedendo corpus inflectere, stando uni pedi insistere, cibum malesanum aut malè sectum comedere, in storea malè composita sedere, prava seu turpia objecta respicere, prava seu turpia verba audire non audebat. Vesperi jubebat cœcum, id est, Musicæ Magistrum decantare duas primas odas libri Carminum, & res honestas narrari; atque ita infans nascebatur tum specie, tum ingenio præstans.

C. 4. Lib. *Siao Hio* cap. 1. sic: Mater, inquit liber Rituum cap. *Nuy ce*, quæ in nutricem sui infantis vel aliquam ex secundariis mulieribus, vel quamlibet aliam adsciscit, debet curare ut illa nutrix sit modesta, quieta, pia, obsequens, affabilis, facilis, gravis, reverens, diligens, cauta, taciturna. Ubi aliquam his dotibus instructam repererit, potest jubere eam sui infantis nutricem ac Magistram.

D. Puellus quando jam potest per se cibum sumere, instruatur uti dextrâ manu; quando jam potest loqui instruatur celeriter respondere dicendo *Uey*, id est, *etiam* vel *ita*. Puella lentè respondere dicendo *Yu*, id est, *etiam* vel *ita*. Puellus pelliceum, puella sericum cin-

cingulum gestet. Puelli & puellæ sexennes, numerorum communium, & orbis plagarum nomina doceantur. Septennes nec simul sedeant, nec simul comedant. Octennes doceantur demissionem & urbanitatem, quâ debent in ingressu domûs aut cubiculi, sedendo, comedendo, bibendo primum senioribus locum deferre. Novennes doceantur numerare mensium & anni, seu Kalendarii dies. Puer decennis externam Scholam frequentet; diu noctúque foris degat; scribendi & numerandi artem discat; vestem nec interiorem, nec exteriorem gossipio fartam induat, utpote nimis calidam. Quidquid aggreditur, id semper dirigat urbanitas & honestas. Manè & vespere debitam juniorum erga seniores reverentiam addiscat; librorum notitiam à Magistro hauriat; in verbis veritatem sectetur. Tredecim annos natus studeat Musicæ; librum *Xi Kim* seu Carminum memoriæ mandet cantitando; & in addiscenda tripudiandi arte concinat odam, dictam *Cho*, in laudem Imperatoris *Vu Vam* olim compositam. Quindecim annos natus rursus in tripudii exercitatione concinat aliam versuum odam, dictam *Siam*, in laudem Principis *Ven Vam* olim etiam compositam; ac simul discat jaculandi, & aurigandi artem. 20. annos natus primum pileum solemni ritu impositum accipiat, discátque Rituum leges. Tunc pellitas ac sericas vestes potest induere. Tripudiando canat Imperaroris *Tu* Musicam, dictam *Ta Hia*. Accuratè servet filialem erga Parentes observantiam, & debitam erga seniores reverentiam. Ad noscendas multas res suum studium extendat; nondum in aliorum Magistrum se offerat; suam virtutem non prodat. 30. annos natus uxorem ducat; domum regere ac res viri proprias incipiat tractare; cuivis litterarum studio amplè & indiscriminatim vacet. In amicorum societate demissionem servet; quid illi ament, quidve spectent, diligenter inspiciat. 40. annos natus ad Magistratuum gradus subeat; sui muneris res diligenter perpendat, & maturè deliberet. Quando opus aut negotium est æquum, fortiter illud exequatur, ac Regi pareat; quando iniquum; si id impedire nequit dissuadendo, officio se abdicet, & à Rege recedat. Non nisi quinquagenarius creetur primarius Regni Præfectus, altioráque negotia administret. Septuagenarius se suo Magistratu abdicet.

Jam

Jam verò quod ad puellam attinet; decennis domo non egrediatur; à Magistra dulciter loqui, blandum vultum præferre, mandatis obtemperare, cannabem nere, sericos glomos adaptare, cannabinas ac sericas telas texere, suere, denique omnia mulieris officia ad vestes conficiendas spectantia addiscat. In Parentali Majorum defunctorum Aula, quando illis fit Parentalis Ceremonia, ejus officium est vinum poculo infundere, lancibus condimentum indere, leguminum & carnium fercula super mensas apponere, ut vel sic suo obsequio & cultu Parentales Ritus adjuvet.

Puella 15. annos nata solemnii ritu primam acum, se primum Capitis ornatum accipiat. 20. annos nata nubat, nisi fortè tunc Patris vel Matris defunctæ triennalis luctus ac funus occurrat; in hoc enim casu, post expletum triennalem Parentum luctum, 23. annos nata nubet.

E. 5. Lib. *Siao Hio* cap. 5. §. 1. sic: Primarius Præfectus *Lieu Pie* in suo domesticæ instructionis libro hæc monita dabat suis liberis: Dum quis propriæ famæ ac saluti non consulit, is Majores suos probro afficit, & domum dilapidat; vitia autem quæ inde sequuntur, sunt hæc quinque præcipuè; menti vestræ ea profundè infigite. Primum est anhelare voluptates, abhorrere sobrietatem, uni suæ commoditati vacare, cohortationes ad aliorum commiserationem rejicere. Secundum, ignorare virorum litteratorum honestum agendi modum, non delectari priscorum Sapientum doctrinâ, visis præteritorum Heroum documentis aut exemplis in se non confundi, loquendo de rebus jam jam peragendis torpescere ac ridere, peritos viros, quia ipse est imperitus, aversari. Tertium, majores se fastidire, blandientes sibi diligere, solis facetiis, & vanis colloquiis delectari, rectam priscorum virorum vitam à mente amovere, auditis aliorum virtutibus invidere, audita aliorum vitia evulgare, pravis rebus & actionibus sensim assuescere, omnem æquitatem pervertere, vanum vestitûs ornatum foris ostentare; sed in hoc quodnam à famulis, quos alit, discrimen? Quartum, æstimare & amare comœdias, compotationibus gaudere, compotandi morem extollere, diligentiam in officio vilipendere; iisque ita assuescere, ut posteà non possit resipiscere. Quintum, honorificam dignitatem arden-

ardenter ambire, & ad illam adipiscendam sese apud eos, qui auctoritate pollent, quasi captivum detinere; sed cùm sit omnibus odio, quamvis fortè dimidium aliquem Magistratum adeptus fuerit, quomodo tamen possit illum conservare? Dum mecum considero illustres ac nobiles Familias, profectò video eas omnes ab Avis filiali observantiâ, diligentiâ, temperantiâ inclytis semper fuisse conditas, & à Nepotibus perversitate, negligentiâ, prodigalitate, superbjâ degeneribus semper fuisse eversas; tam difficilè fuisse eas condi quàm Cælum ascendere; & tam facilè eas everti quàm plumam comburere. Itaque hæc verba mea compuncto corde excipite, & vestris ossibus insculpite.

F. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 19. in Lib. 2. Memcii cap. 1. *Li leu xam* sic: Discipulus *Kum sun cheu* interrogavit Magistrum suum Memcium hisce verbis: Vir sapiens cùm filium suum tantoperè diligat, eccur illum ipsemet non erudit, sed pædagogo erudiendum tradit? quamvis expediret, inquit Memcius, ut Pater filium ipsemet erudiret; quia tamen res est factu difficilis, ideò eum alteri erudiendum committit. Si enim Pater filium ipsemet erudiat, oportet sanè ut illum rectam honestatis ac virtutis viam edoceat; sed si filius hanc non sequatur, si præceptis non obtemperet, si documenta fastidiat, certè Pater illi stomachabitur. Jam verò hisce documentis Pater spectat filii amorem, sed stomachabundo filii amori nocet; siquidem filius ob Patris iram exasperatus, culpam in Patrem rejiciet. Mi Pater, inquiet, adeò rigidè me rectam virtutis viam doces; & tamen ea quæ agis, non videntur adhuc illi omninò cohærere. Atque ita Pater & filius se invicem arguent, se invicem exacerbabunt, sibi invicem nocebunt. Hujusmodi mutua Patris & filii exacerbatio, prorsus adversatur utriusque conditioni. Ideò prisci sapientes suum filium cum alterius filio permutabant, ut eum non per se, sed per alium instruerent atque educarent; quia non decet mutuam correptionem, & reciproca virtutis monita inter Patrem & filium intervenire: hinc namque emanat exacerbatio, alienatio, discordia; nullum autem pejus malum est, nullum periculosius omen, quàm domi exorta discordia & alienatio.

G. 7. Vide hîc suprà num. 1. litteram A.

H. 8.

H. 8. Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 19. artic. *Kiu kia tsu y*, sic Doctor *Su ma ven kum*: Si filii vel nurus debitam aut reverentiam aut obedientiam non præstiterint, non debent subitò Parentes irâ exscandescere, & illos abominari; sed mansuetè eos instruant. Si instructionem non audiant, tunc illis iracundiam demonstrent. Si iracundia non profit, tunc illis verbera infligant. Si post multa & repetita verbera nolint se corrigere, tunc ejusmodi filios dimittant, & nurus ejiciant, non tamen eorum delicta propalando.

I. 9. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 1. sic: Liberi, inquit liber Rituum cap. *Nuy Ce*, Parentibus inservientes, ad primum galli cantum surgant, manus & os lavent, capillos pectant, &c. Pari modo nurus, quæ debent socero & socrui tamquam Patri ac Matri inservire, etiam statim ad primum galli cantum surgant, manus & os lavent, capillos pectant, collectos acu stringant, &c. Sic decenter vestiti eant ad Patrem & Matrem, vel ad socerum & socrum; vocéque submissa & ore blando rogent, num contra frigus aut calorem aliquid vestium necesse habeant, &c. Egredientes aut ingredientes reverenter sustentent. Natu minores deferant pelvim, majores infundant aquam rogando ut manus lavent; afferant linteum ad eas tergendas. Deinde petant quid comedere velint, & illud reverenter afferant, blandóque vultu, eorum vota impleant. Postquam Pater & Mater, socer & socrus comederunt, tum demum ipsi se recipiant ad comedendum. Pari etiam modo pueri nondum primo pileo donati, puellæ nondum primo capitis ornatu donatæ ad primum galli cantum surgant, &c. Summo mane adeant Parentes, &c. Quando Pater aut Mater, socer aut socrus vocant, statim reverenter respondeant. Accedendo & recedendo exactam modestiam & attentionem servent; in ascensu graduum Aulæ & cubiculi ad illos accedendo, submissum; in descensu & egressu ab illis recedendo, alacrem vultum præferant, nec coram illis audeant ructare, spirare, oscitare, tussire, corpus aut extendere aut colligere, uni pedi insistere, alicui rei inniti, limis oculis intueri, spuere, naribus stillare. Quamvis frigeant, non ausint vestes superinduere; quamvis impetigine irritentur, non ausint se scalpere. Brachia, nisi quando jaculandum est, numquam denudent. Vestem, nisi

S quan-

quando rivus trajiciendus, numquam attollant. Interior amictus, nè fortè sit sordidus, numquam appareat. Parentum sputum aut narium stilla statim scopis tergatur. Si eorum vestes fuerint sordidæ, petant ut eas lavent; si diffutæ aut laceræ, petant ut eas reficiant.

K. Ibidem sic: Cujusvis filii erga Parentes officium, hoc est: hieme eos rogare, num aliquid contra frigus; æstate, num aliquid contra calorem expetant; vespere lectum sternendum curet, manè de salute inquirat; dum domo egreditur, eos præmoneat; dum redit, coram illis se sistat. Quocumque eat, habeat locum determinatum; quamcumque artem addiscat, videat ut sit honesta. Passim loquendo, non se jam senem dicat.

K. Ibidem sic: Filius obsequiosus, qui multùm Parentes diligit, affabilem semper oris speciem præfert, alacritatem in vultu prodit, atque ita totam corporis formam ad obsequium propensam demonstrat. Deinde filius obsequiosus obsequium Parentibus præstat non aliter, ac si aut lapidem pretiosum, aut vas plenum præ manibus teneret; atque præ reverentia & hoc sustinere quasi non valeret, & illum amittere quasi timeret. Quod attinet ad gravem & austeram vultûs speciem, non est ea, quâ Parentibus inserviendum est.

L. Ibidem sic: Quamdiu Pater & Mater vivit, filius nec de suo corpore disponere, nec proprias divitias possidere audet; & hoc fit ad ostendendum populis, inferiorum & superiorum discrimen. Deinde quamdiu Pater & Mater vivit, munera quæ vel amicis, vel superioribus dat, non debent esse magni pretii v. gr. currus, equus, &c. Et hoc ad ostendendam aliis suam subjectionem.

L. Ibidem sic: Liberi ac nurus nec proprium peculium, nec propria animalia, nec propria vasa habeant; nec quidquam suo nomine aut petere commodatum, aut alteri dare audeant. Si fortè consanguinei vel cibos, vel vestes, vel pannum, vel strophium, vel mantile, vel flores nurui donent; illa quidem recipiat, sed mox ad socrum deferat, &c.

M. Ibidem paulò superiùs sic: Si fortè Pater aut Mater filium; socer aut socrus nurum obsequiosam ament; non ideò tamen hi ad eorum mandata aut minùs prompti, aut minùs impigri esse debent.

Si

Si Pater aut Mater, ſocer aut ſocrus cibo ſeu potu illos donent, quamvis ſit illis faſtidioſus, eum guſtent tamen, donec abſtinere jubeantur; pari modo ſi veſtem illis dent, quamvis non placeat, eam tamen induant donec deponere jubeantur. Si alius jubeatur facere opus, quod ipſis commiſſum fuerat, quamvis non id cupiant, annuant tamen, & doceant illum, quomodo ſit faciendum, &c.

M. Ibidem ſic: Ad patris vocem promptiſſimè reſpondendum eſt; ſi manus quidpiam operis tractet, mox relinquat; ſi os comedat, mox deſinat, & pes feſtinet. Parentibus jam ſenibus, ſi filius peregrè abeat, locum quem priùs indicavit, non mutet; nec præfixo tempore tardiùs redeat. Parentibus ægris mœrorem in vultu prodat; atque hæc ſunt quædam tantùm levia filii obſequentis officia.

Ibidem ſic: Filii eſt, inquit diſcipulus *Tſem Tſu*, in alendis Parentibus delectare eorum animos, votis obſecundare, voce blandâ au-

N. res & vultu benigno oculos eorum recreare, cubiculum ac lectum componere, in potu & cibo ſubminiſtrando omnes ſui muneris partes explere, omnes quos illi amant, amare, omnes quos illi colunt, colere. Quin imò canes & equos, quos illi amant, amare addecet; quantò igitur magis homines, quos illi amant, filius amare debet.

Et paulò infrà: Omnes nurus in omni re ſive magna, ſive parva, ſoceri aut ſocrûs voluntatem ſemper exquirant.

O. 10. Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 19. artic. *Kiu kia tſa y* ſic Doctor *Su ma ven kum*: dum filius à Patre aut Matre accipit mandatum, illud in charta annotet, ſecum gerat, ſæpiùs examinet, properè exequatur. opere completo, faciat eos certiores.

P. 11. Lib. *Su xu che kiay* tom. 21. in Libr. 2. Memcii cap. 3. *Van cham xam* ſic diſcipulus *Van cham* interrogat Memcium: Quonam modo, inquit liber Carminum, debet filius ducere uxorem? Reſpondet: Patrem & Matrem debet præmonere, & ab eis facultatem obtinere. Jam verò nullus alius meo judicio videtur adeò debuiſſe hoc præceptum ſervare, quàm Princeps *Xun*, qui tamen non præmonitis Parentibus matrimonium iniit. Quid? ſic illi Memcius: Hic libri locus commune & conſuetum filii munus exponit, non caſum

particularem, in quo implicatus Princeps *Xun* habebat Patrem ac Matrem æquitati, rectæque rationi adversantes.

Q. 12. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 1. sic: Si Pater aut Mater, inquit liber Rituum cap. *Nuy ce*, peccent, filius ore blando, vultu sereno, verbis mollibus eos commonere debet; si monita respuant, honorem & reverentiam, ut priùs, eis præstet. Cum viderit eos alacriores, rursus commoneat; satius est enim peccantes, licet irascantur, impigrè admonere, quàm ipsos suo peccato totum vicum, urbem, & patriam offendere. Si verò ob tua monita exasperati tibi succenseant, quin imò ad sanguinis usque effusionem te verberent, nè tu tamen audeas illis succensere, sed debitam & reverentiam & obedientiam more solito iis præsta.

R. Ibidem sic: Si Parentes morbo laborent, filius jam pileo donatus, capillos non pectat; in gressu fastum, in verbis despectum non præferat; citharam non pulset; in carnium esu varietatem, in vini potu ruborem vultûs caveat. Risus ita sit modicus, ut dentes non cernantur; ira ita sit levis, ut in convitia non erumpat. Postquam recuperârint sanitatem, more pristino se gerat.

Rex æger quando pharmacum est sumpturus, Regius Minister; Pater æger quando pharmacum est sumpturus, filius illud priùs prægustet. Nisi fuerit trium generationum medicus, ejus pharmaca non sumantur.

S. Ibidem sic: Verus Parentum cultor, ait Confucius, in ædibus reverentiam, in alimentis lætitiam, in morbis tristitiam, in exequiis luctum, in Parentalibus solemnitatibus honorem omni cum studio erga illos exhibet. Qui autem hæc quinque servat, potest dici verus Parentum cultor. Prætereà verus Parentum cultor, si sit in superiori dignitate constitutus, non superbit; si in inferiori Magistratûs gradu positus, non tumultuatur; si in plebe dejectus, non altercatur; qui enim in superiori dignitate constitutus superbit, se cum illa in exitium præcipitat; qui in inferiori Magistratûs gradu positus tumultuatur legum pœnas incurrit; & qui in plebe dejectus altercatur, arma in se lacessit & accersit. Qui igitur hæc tria à se procul non removet, quamvis quotidie tribus diversis bovinæ, ovinæ, porcinæ carnis ferculis opiparè Parentes aluerit; non potest tamen dici verus Parentum cultor.

T. 12.

T. 13. Lib. *Hiao Kim* seu filialis observantiæ. Hic liber de hac observantia varia continet parvula Capitula. Ejus index sic habet: Totius argumenti explanatio. De Imperatore. De Regulo. De Toparcha. De litterarum Alumno. De viro plebeio. De tribus primariis rerum causis. De regimine filialis observantiæ. De virtutis regimine, &c.

Accipe hîc infrà penè totam istius libelli summam ex libro *Siao Hio* sic:

T. 14. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 1. ita habet: Confucius agens cum suo discipulo *Tsem Tsu*, debitum filii munus quintuplicémque filialis observantiæ speciem ei his verbis exposuit: Filialis observantiæ initium est, non audere corpus & membra à Parentibus accepta lædere aut labefactare; consummatio seu finis est, mores suos ritè perficere ac virtutem colere, relictâ post se magni nominis famâ, quâ Parentes decorentur. Filialis observantiæ initium à Parentum obsequio, medium à Regis servitio, finis à morum perfectione procedit. Dum Imperator ita & amat & reveretur suos Parentes, ut neminem in toto imperio aut oderit aut despiciat, tunc dato erga Parentes absoluto & amoris & reverentiæ specimine, ejus virtus ac exemplum adeò omnes populos commovet, ut unusquisque suos Parentes nec odisse nec despicere audeat. Commovere autem suo exemplo omnes populos ubique per universum imperium longè latéque dispersos ad amandos & colendos suos Parentes, profectò ista est, quæ Imperatorem decet, filialis observantia. Deinde Regulus, utpote in alta dignitate constitutus, si non superbierit, licèt sit altus, non tamen cadet; si in magna opum abundantia noverit & temperantiam, & honestatem servare, licèt sit plenus, non tamen supereffluet; atque ita poterit & suum Regnum seu Principatum conservare, & populum suum mutuâ concordiâ donare. Conservare autem suum Principatum, & populum suum mutuâ concordiâ donare, profectò ista est, quæ Regulum decet, filialis observantia. Præterea si primarius Regni Præfectus seu Toparcha nec vestes induere, nec verba proferre, nec gesta moliri ausit, quæ priscorum Imperatorum normæ non respondeant, tunc poterit Parentalem Majorum domum cum sua avita supellectili conservare; conservare autem Parentalem Majorum domum

cum sua avita supellectili, profectò ista est, quæ primarium Regni Præfectum decet, filialis observantia. Litterarum Alumnus si filiali amore inserviat Regi, erit fidus; si fraternâ reverentiâ inserviat Magistratibus, erit obsequens; cum fidus & obsequens non soleat in superiorum obsequio culpas committere, tunc poterit suam dignitatem tueri; tuendo dignitatem, poterit perenni erga Parentes Defunctos cultu Parentales Ritus sine difficultate servare; posse autem perenni erga Parentes defunctos cultu Parentales Ritus servare, profectò ista est, quæ litterarum Alumnum decet, filialis observantia. Denique quas in diversis terræ locis juxta singulas anni tempestates Cælum producit utilitates, has & diligenter procurare, & temperanter expendere ad alendos Parentes, ista est, quæ virum plebeium decet, filialis observantia. Itaque ab Imperatore ad usque infimum à plebe virum, in servanda filiali observantia, non datur primæ & ultimæ, nobilis & ignobilis conditionis aut gradûs discrimen; nec ullus est qui possit conqueri sibi vires ad eam servandam non sufficere.

V. 15. Lib. *Lun yu* artic. 2. sic: Primarius Præfectus *Mem I* interrogavit Confucium, quid requireretur ad filialem observantiam? nihil age contra rectam rationem, respondit Confucius. Posteà cùm curru veheretur, narravit suum responsum discipulo suo *Fan Chi*, qui aurigam agebat. Tum *Fan Chi*: quid hoc significat, inquit? cui Confucius: filii, dum Parentes vivunt, debent, &c. Ut suprà in contextu.

X. 16. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Lib. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam*, sic Memcius respondet Legato interroganti modum ritè parentandi: Triennalis ob Parentum mortem luctus, qui in gerenda vilioris aut rudioris cannabis veste, & in comedenda dumtaxat insipida ac liquida oriza, ab omnibus, nemine excepto, nè ipso quidem Imperatore, servari jussus est. Hunc itaque triennalis luctûs Ritum longissimo tempore receptum, tuus Princeps sedulò servet ac peragat.

Et paulò infrà sic: Olim Imperatore defuncto, mox filius heres imperii, ex vimine & fulcris ligneis confectum, extra secundam palatii portam ad partem orientalem erigebat tuguriolum, in quo Patrem

trem toto triennio lugebat. Hoc autem triennio, totum imperii onus & administratio erat penes primum Aulæ Ministrum, cui omnes Præfecti parebant. Princeps in hoc tuguriolo, spissiori tantùm orizæ jusculo vescebatur, &c. Manè & vespere ante paterni cadaveris feretrum se prosternebat, ploratus & ejulatus edebat, &c.

X. 17. Lib. *Lun yu* artic. 17. discipulus *Tsay Ngo* interrogavit Confucium de triennali Parentum luctu: Jam enim, inquit, à multo tempore unicus illi annus tribuitur. Et certè si Sapiens totos tres annos non vacet honestatis Ritibus, nec Musicæ; & hanc & illos obliviscetur. Intra spatium unius anni, veteri segete emortuâ, nova resurgit; & ignis, qui terebrâ ex diverso ligno per annum elicitur, (sic nempe Sinæ olim ignem eliciebant) sæpiùs immutatur.............. Isto discipulo egresso, sic ait Confucius: profectò iste *Tu*, (id est *Tsay Ngo*), pietatem nescit. Filius post exactum ab ortu triennium, tunc demum à Patris & Matris gremio eximitur; ideò triennalis Patris & Matris defunctorum luctus est communis omnibus. An fortè iste *Tu* non recepit à Patre & Matre illud triennalis amoris beneficiũ?

Z. 18. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 1. sic: Quinque sunt capita, inquit Memcius, ob quæ vulgò censetur filius debitæ erga Parentes observantiæ transgressor: Primum, manus ac pedes socordi otio dedere, neglectâ Parentum alendorum curâ. Secundum, tesseris, aleis, aliis ludis vetitis, vini compotationibus effrænatè indulgere, neglectâ Parentum alendorum curâ. Tertium, cæcâ avaritiâ in divitias ferri, aut depravato amore uxorem ac liberos deperire, neglectâ Parentum alendorum curâ. Quartum, obscœnis aurium & oculorum cupiditatibus obsecundare, invectâ Parentibus ignominiæ notâ. Quintum, amare audaculam bullientis sanguinis fortitudinem, rixas, altercationes; atque ita pœnas, ipsámque mortem incurrere, periculo ac damno in Parentes resiliente.

SECTIO II.

De Conjugali Societate.

Societas conjugalis est quidam ordo inter maritum & uxorem. *Primò, Regulæ Conjugii.* Matrimonialis Ritus est omnium genitorum

rum hominum principium (A). Hujus Regulæ Sinenses sunt hæ:

Prima: Ad matrimonium ineundum duæ diversi cognominis Familiæ adsciscantur, ut omnis mala suspicio tollatur, & conjugalis diversitas magni fiat. Sponsalia munera sint sincera, & matrimonialia verba sint honesta, ut erudiatur sponsa de sinceritate & honestate servanda. Ubi semel uni viro ad communis vitæ societatem tradita est mulier, totâ vitâ eum non mutet. Unde eo mortuo, alteri non nubat. Sponsus adeat sponsæ domum ad eam excipiendam, & in suam domum adducat; in via sponsus præeat, sequatur sponsa, ad ostendendam naturæ firmæ & infirmæ diversam conditionem. Sponsus in excipienda sponsa avem cicurem illi offerat, tum ad prodendum suum amorem, tum ad indicandam mariti & uxoris diversitatem, ex cujus custodia, bonum totius domûs regimen, pax, concordia procedit (B).

Secunda: Ante matrimonium, prohibita est sponso & sponsæ mutua visitatio & familiaritas. Coram Parentali Progenitorum defunctorum Tabella, matrimonii ineundi qualitas ac tempus denuntiandum est. Dum Pater mittit filium ad excipiendam sponsam, eum moneat de prosequenda Majorum defunctorum filiali observantia, sítque suæ uxori exemplo, & eam in virtutis viam semper dirigat. Cui filius: Parebo, inquit; unum tantùm metuo, nè isti oneri impar sim. Patris tamen jussa numquam oblivíscar. Pari modo dum Pater filiæ suæ jam jam nupturæ valedicit, illam moneat de cautela servanda, de obedientia erga socerum ac socrum præstanda; deinde Mater parvam fasciam seu cingulum ei tradit, cingulóque appendit strophiolum, & eam etiam monet de colenda diligentia, &c. (C).

Tertia: Filii & filiæ non debent nimis citò in matrimonium collocari; libidine enim effrænes fiunt. Deinde concubinas coacervant, virtutem ignorant, ac sæpiùs præcoce morte extinguuntur (D).

Quarta: In matrimonio contrahendo, non divitiæ aut honores, sed sponsi & sponsæ indoles, virtus, domesticáque istius Familiæ disciplina attendenda est; nam licèt nunc sit pauper sponsus, forsan posteà evadet dives & clarus; contrà, licèt nunc sit dives, forsan posteà evadet pauper & abjectus. Præterea dum mulier ob suas opes aut honores in uxorem ducitur; hæc, uti fieri amat, suis opibus aut honoribus tumida, maritum aspernatur; socero & socrui non obtemperat;

perat; totam domum perturbat. Unde dum filiam tuam in matrimonium collocas, cura, ut mariti Familia sit clarior tuâ; & dum filio tuo uxorem adscifcis, cura ut uxoris Familia sit obscurior tuâ (E).

Quinta: Non adsciscatur uxor, in cujus domo æquitas, honestas, observantia erga Parentes & superiores non viget; nec ea, cujus domus seu Familia per multas generationes infamiâ vel ob publicas scelerum pœnas, vel ob morbum contagiosum laborat (F).

Secundò, Regulæ Mariti.

Prima: Maritus res domûs externas curet; de internis non differat; uxori imperet (G).

Secunda: Maritus uxorem diligat, in periculis adjuvet, in mutatione domicilii sociam ducat (H.)

Tertia: Diligenter procuret cum illa concordiam (I).

Quarta: Ob has septem causas potest Maritus uxorem à se separare, (nempe quoad thorum, & habitationem, non quoad vinculum matrimonii): scilicet, vel quia est Parentibus inobediens, vel quia adultera, vel quia sterilis, vel quia morbo contagioso laborat, vel quia invida, vel quia garrula, vel quia prædatrix. Excipitur tamen si illa Parentibus orbata non habeat ad quem confugiat; si triennalem luctum pro socero vel socru gesserit; si ex paupere facta sit dives & nobilis (K).

Tertiò, Regulæ Uxoris.

Prima: Dum domus extruitur, dividatur in duo septa, interius & exterius, seu in posterius & anterius; viri in exteriori, mulieres in interiori degant. Media utriusque septi porta diligenter sit clausa. Vir sine causâ interius septum non ingrediatur, nec mulier sine causâ illo egrediatur. Pertica & fulcrum, in quo vestes appenduntur, non sit unum & idem pro viris & mulieribus; imò nec unum & idem pro marito & uxore. Nec mulier in corbe mariti aut arca suas vestes recondat, nec eadem balnearia habeat. Pro interiori & exteriori domûs septo non sit unus & idem puteus, sedes, balnearia. Nihil ex utraque parte à se invicem commodatum petatur. Viris & mulieribus vestes interioris non sint ejusdem formæ. Vir & mulier manu immediatè nihil sibi invicem tradant; sed vel in vase, vel humi res tradenda deponatur, & & ab excipiente & tradente genuflectatur (L).

Secunda: Uxor sit viro subjecta; unde non est sui juris, nec potest de ulla re disponere. Triplicem autem habet subjectionem mulier; innupta Patri, nupta Marito, vidua filio debet adhærere. Uxoris imperia intra gynæcei limites coarctantur. Ejus officium in solis victûs ac vestitûs rebus consistit. Quocircà toto die maneat in gynæceo. Ad exequias longinquas non debet ire; nec ad exteriorem hospitum domesticam aulam interdiu excurrere. Noctu sine lumine intra domum non eat. Si ob causam domo egrediatur, velo faciem cooperiat (M).

Tertia: Uxor curet tantùm res cibi & potûs, atque vestes; nec in Regno ad regimen, nec domi ad negotia tractanda adhiberi potest. Si autem illa ingenio, prudentiâ, doctrinâ, rerum notitiâ fortè polleat, tunc Maritum potest adjuvare ac excitare; sed gallinam manè cantantem (nempe galli officium) non agat; alioquin sibi & marito haud dubiè mala accerset (N).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 3. sic: Matrimonialis Ritus, inquit liber Rituum cap. *Kiao te sem*, est omnium genitorum hominum princi-
B. pium. Ad matrimonium ineundum duæ diversi cognominis Familiæ adsciscuntur, ut tollatur quævis suspicio, & conjugalis diversitas magni fiat. Sponsalia munera sint sincera, & matrimonalia verba sint honesta, ut moneatur sponsa de sinceritate seu fidelitate, & honestate servanda. Sinceritate, utpote quæ est propria mulieris virtus, debet marito inservire seu obtemperare. Ubi semel uni viro ad communem societatem tradita est, totâ vitâ eum non mutet. Unde eo mortuo, alteri non nubat. Sponsus adeat sponsæ domum ad eam excipiendam, & illam in domum suam adducat. Sponsus in via præeat, sequatur sponsa; nimirum ad ostendendam rei firmæ & infirmæ naturam. Sic etiam ob eamdem rationem cælum terram, Rex Ministrum præcedit. Sponsus dum excipit sponsam, ei offerat avem cicurem, tum ad prodendum suum amorem, tum ad indicandam mariti & uxoris diversitatem. Ubi mariti & uxoris diversitas habetur, mutuus Patris & liberorum amor exur-

exurgit; habito mutuo Patris & liberorum amore, paterna cura & filialis observantia viget; ubi paterna cura & filialis observantia viget, tunc honestas & urbanitas erga superiores, seniores, amicos servatur. Dum servatur honestas & urbanitas, unusquisque quod ipsi convenit, tenet, paceque ac tranquillitate gaudet. Si enim non habeatur tum illa mariti & uxoris vivendi diversitas, tum hæc paterna cura & filialis observantia, quanam in re hominum conjugium discrepabit à brutis?

C. Ibidem paulò superiùs sic: Antequam, inquit liber Rituum cap. *Kio li*, conciliatores conjugii, mutuum sponsi & sponsæ amorem detulerint, nec sponsus sponsæ, nec sponsa sponsi debet nomen nôsse; nec antequam fuerint oblata sponsalis arrhæ munera, debent se invicem videre, & suum amorem testari. Idcircò de præfixo ineundi matrimonii mense ac die Rex præmonetur. Illius denuntiationi, quæ fit coram Parentalibus defunctorum Progenitorum Tabellis, præmittitur corporis mundities seu ablutio & solitarum rerum abstinentia. Consanguinei, vicini & amici ad epulas invitantur. Et hæc quidem fiunt, ut pateat quanti æstimetur viri & uxoris diversitas. Vir non debet uxorem cognominem seu ejusdem secum cognominis ducere; imò si secundariam conjugem emat nec ejus cognomen sciat, illi cognomen sorte imponatur.

C. Ibidem paulò infrà sic: Dum Pater, (inquit liber *Y Li* seu Rituum & Urbanitatum cap. *Su boen li*, id est, matrimonii viri litterati Ritus) filium mittit ad excipiendam sponsam, ei propinando hæc dicit: vade, excipe tuam conjugem ac vitæ consortem. Prosequere statos Parentalis ædificii Ritus seu Ceremonias C7; diligenter exemplo præi tuæ conjugi ad eas defunctæ Matri faciendas; virtutis viam assiduè illam doce. Tum filius; parebo, inquit; sed unum dumtaxat vereor, nè tanto impar oneri futurus sim. Ceterum Patris jussa numquam oblivisci audebo. Pari modo dum Pater filiæ suæ jam jam nupturæ valedicit, hæc illi etiam commendat: cave, cave nè pecces; omnem cautelam & diligentiam adhibe; noli umquam sive manè sive vesperi soceri tui aut socrûs mandatis adversari. Deinde Mater dando illi parvam fasciam seu cingulum, quo filiæ latus circumcingit, & illi cingulo appendendo strophiolum, hæc commendat: diligentissimè & reverentissimè te gere; à mane usque

que ad vesperam tuo operi gnaviter vaca. Deinde conjux secundaria, dando illi prolixum cingulum, sic eam Patris & Matris nomine etiam admonet: hæc Patris & Matris jussa reverenter excipe; manè & vespere ab omni culpa diligenter cave. Ista Parentum dona (cingulum & strophiolum) memor sæpiùs respice.

D. 2. Lib. *Siao Hio* cap. 5. §. 2. sic: Præfectus *Vam Kou* Imperante Familiâ *Han* hunc libellum supplicem Imperatori obtulit: Potissimus, inquit, humanæ conditionis ordo est conjugium, ut pote ex quo sæpissimè brevis aut longa vita promanat. Jam verò nimis citò iniri matrimonium videre est; antequam enim adolescentes & puellæ nôrint quale sit Patris & Matris munus, sæpè jam habent liberos; hinc libidine effrænes fiunt, viam virtutis ignorant, & multi præcoce morte eripiuntur, &c.

E. Ibidem sic Doctor *Ven Chum*: In conjugiis contrahendis spectare divitias, ista est barbarorum aut captivorum agendi ratio. Vir sapiens eorum Patriam non ingreditur. Olim Parentes sponsi & sponsæ unam virtutem attendebant. Filium aut filiam nimis citò in matrimonium collocare, est docere homines virtutis despectum, innumerabilium concubinarum commercium, domûs confusionem, &c.

E. Ibidem sic Doctor *Su ma ven kum*: Quicumque filium aut filiam in matrimonium collocare meditatur, debet primò sponsi aut sponsæ indolem ac virtutem, domesticámque istius Familiæ disciplinam diligenter attendere & inquirere; non verò unis tantùm divitiis vel honoribus inhiare; si enim sponsus sapiens sit, licèt nunc pauper & abjectus, posteà tamen clarus & dives forsitan evadet; contrà, si sit insipiens, licèt nunc dives & nobilis, posteà tamen pauper & abjectus forsitan fiet. Deinde Familiarum augmentum aut decrementum etiam sæpè ex uxoribus oritur. Si enim mulier ob suas momentaneas aut divitias aut honores in uxorem ducatur, illa, ut fieri amat, suis opibus aut honoribus tumida, maritum aspernabitur, socerum & socrum despiciet, sensímque crescente ejus superbiâ, totam domum confundet. Insuper finge maritum fieri divitem & honoratum propter suæ uxoris divitias & honores, numquid ille, si generosos spiritus gerat, inde erubescet?

E. Ibi-

E. Ibidem sic Doctor *Hu*: Dum filiam in matrimonium tradis, cura ut mariti Familia sit clarior tuâ; sic enim uxor reverentiam & cautelam erga maritum, socerum, & socrum servabit. Contrà, dum filium matrimonio jungis, cura ut uxoris Familia sit obscurior tuâ; sic illa erga maritum, socerum & socrum se geret, ut uxorem decet.

F. 3. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 3. sic: Sunt quinque, inquit liber Rituum cap. *Nuy Ce* seu domesticæ regulæ, mulierum genera, quæ non debent in uxorem adsciscì: primum: Mulier, cujus domus seu Familia nullam erga Parentes & superiores observantiam servat, non adsciscatur. Secundum: Cujus domus omni æquitate & morum honestate caret, non adsciscatur. Tertium: Cujus domus ob publicas scelerum pœnas per multas generationes infamiâ laborat, non adsciscatur. Quartum: Cujus domus morbum contagiosum per multas generationes semper transmittit, non adsciscatur. Quintum: Natu major filia, orbata Parente, non adsciscatur.

G. 4. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 3. sic: Vir non differat de internis domûs rebus, nec mulier de externis.

H. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 14. in Libr. 1. Memcii cap. 2. *Leam hoei vam hia* sic Memcius: Princeps *Tay vam* etiam voluptatem amabat; suam, inquam, uxorem *Kiam* singulari amore prosequebatur, ut refert liber *Xi Kim* seu Carminum sic: Regulus *Tan Fou*, (id est *Tay vam*), cum in sua urbe *Pin* sæpissimè vexaretur & opprimeretur ab infestis gentis occidentalis excursionibus, statuit mutare sedem, suámque mentem Præfectis suis ac senioribus aperuit. Itaque appropinquante adhuc infestis armis hoste, jussit semel diluculo totam suam gentem equos festinanter conscendere, urbem relinquere, laxatis habenis iter celerare, longo ordine ripas fluvii occidentalis *Cin* & *Cie* decurrere, donec tandem deflexo parumper versus ad orientem cursu, perveniret ad radices montis *Ki*, ubi novam Regni sedem condidit. In hac autem præpropera fuga, unum maximè illi curæ fuit ut suam secum uxorem *Kiam* deferret, atque ad cohabitandum simul in novis terris comitem inseparabilem secum haberet. Hinc ergo vides quòd Princeps *Tay vam* multo uxorem suam amore prosequeretur.

I. 6. Lib. *Xi Kim* seu Carminum tom. *Siao Ya* odâ *Ta Ti* sic de domestica concordia : Dum vir potest efficere, ut sua uxor amet concordiam, sicut cymbalista aut citharista amat symphoniam ; útque mutuum amoris vinculum inter fratres natu majores & minores arctissimè intercedat, quasi foret cor unum & animus unus, tunc quàm pulchra est tota istius domûs species ! quàm jucundi uxor & liberi, omnésque domestici !

K. 7. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 3. sic : Sunt septem, inquit liber Rituum cap. *Nuy Ce*, uxorum ejiciendarum genera : scilicet Patri & Matri inobedientium, sterilium, adulterarum, invidarum, morbo contagioso infectarum, garrularum, prædatricium. Triplex tamen datur casus, in quo non sunt ejiciendæ : *Primus*, siqua mulier initi matrimonii tempore Parentes habebat, & posteà Parentibus orba, nullum habeat ad quem confugiat, non ejiciatur. *Secundus*, siqua triennalem luctum pro mariti sui Patre vel Matre unà cum marito gesserit, non ejiciatur. *Tertius*, siqua prius pauper & vilis, posteà dives & nobilis effecta fuerit, non ejiciatur.

L. 8. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 3. sic : Cum Ritus, inquit liber Rituum cap. *Nuy Ce*, duxerint à matrimonio initium, ideò in explendo mariti & uxoris officio magna diligentia & cautela ponenda est. Dum domus exstruitur, dividatur in duo septa, exterius & interius, sive in anterius & posterius. Viri in exteriori, mulieres in interiori habitent. Media utriusque septi porta diligentissimè claudatur. Sit janitor qui hanc custodiat, & alii domestici qui res interioris septi curent. Vir sine causâ interius septum non intret ; nec mulier sine causâ illo exeat. Pertica & fulcrum, in quo vestes appenduntur, non sit unum & idem pro viris ac mulieribus ; imò uxor suas vestes nec in mariti pertica aut fulcro appendere, nec in ejus corbe aut cista recondere, nec iisdem balneariis uti audeat.

L. Ibidem paulò infrà sic : Exceptâ parentandi aut exequias celebrandi occasione, vir & mulier manu immediatè nihil sibi invicem tradant ; sed vir dum quidpiam mulieri tradit, illud in calatho, ex quo mulier ipsum accipiat, deponat. Si mulier careat calatho, uterque genu flectat ; donum humi deponat vir, & inde illud mulier accipiat. Pro interiori & exteriori domûs septo, non sit unus & idem pu-

puteus, balnea, sedes; nihil à se invicem ex utraque parte commodatum postuletur. Viris & mulieribus non sint unius & ejusdem formæ vestes interiores. Dum vir intrat gynæceum, ravim non excitet, nihil digito monstret; noctu euntem lux regat, sine lumine non eat. Mulier si ob causam domo egrediatur, velo caput & faciem cooperiat; si noctu eat, lux euntem dirigat, sine lumine non eat. In via vir dextram, mulier sinistram teneat.

M. 9. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 3. sic Confucius: Mulier debet esse viro subjecta; hinc non est sui juris, nec potest de ulla re per se disponere. Triplicis generis habet sequelam, seu subjectionem: innupta Patrem, nupta maritum, vidua filium sequi debet. In nulla conditione ausit quidquam ex se agere. Ejus imperia intra gynæcei limites coarctantur. Ejus officia in solis victûs rebus sita sunt. Quocirca mulier toto die in gynæceo versetur; extra Patriæ suæ limites non tendat ad exequias; nihil ex sui unius arbitrio agat; nullum opus ausit sperare, à se sola perfici posse; illud alteri priùs notum faciat; tunc manum illi admoveat. Nisi possit reverà promissum implere, non ausit quidpiam promittere. Interdiu non excurrat ad exteriorem hospitum aulam; noctu sine lumine intra domum non eat, ut suam mulieris virtutem probè custodiat.

N. 10. Lib. *Siao Hio* cap. 5. §. 2. sic Doctor *Ten* in sua domesticæ disciplinæ institutione: Uxor, utpote victûs administratrix, tantùm cibi & potûs res, vestésque curet; nec in Regno ad regimen, nec domi ad negotia tractanda adhiberi debet. Si autem illa ingenio, prudentiâ, rerum antiquarum ac modernarum notitiâ fortè polleat, tunc virum quidem adjuvet, ejúsque imbecillitatem roboret; sed gallinam manè cantantem non agat; alioquin mala sibi & marito suo accersura est.

SECTIO III.

De fraterna Societate.

SOcietas fraterna est quidam ordo inter fratres seniores & juniores.

Primò, Regulæ fratrum communes juxta Sinas sic:

Prima:

Prima: Fratres licèt corpore disjuncti, sanguine tamen conjuncti, unum sunt. Unde non tantùm in infantia, dum simul domi jocantur, comedunt, spatiantur, debent se invicem diligere; sed etiam postquam in matrimonio collocati sunt, debent eumdem amorem inter se retinere; nec sinere se à suis uxoribus ac liberis excæcari, ut eum diminuant aut dimittant; fratrum enim uxores cùm sint inter se minùs propinquæ, facilè illius diminutionem instillant; imò odia & inimicitias inspirant, ita ut aliquando fratres velut hostes se invicem tractent. Unde ab illecebrosis illarum verbis diligenter cavendum. (A).

Secunda: Fratres debent mutuum amorem prodere honore & auxilio reciproco; mutuos despectus cavere; & quamvis alteruter exhibitæ reverentiæ & amori remissè respondeat, non tamen propter hoc à suo officio debent desistere (B).

Secundò, Regulæ fratris senioris.

Prima: Frater senior fratri juniori amicitiam demonstret (C).

Secunda: Frater senior debet fratris junioris prosperitati congaudere, de adversitate dolere, eum adjuvare, erudire, opibus & honore augere, familiariter cum illo versari, nullam malam suspicionem habere, consiliorum suorum participem facere (D).

Tertia: Fratrem juniorem debet instruere, dirigere, hortari; benignitate, longaminitate, patientiâ fovere. Posteà hic tanti beneficii memor gaudebit sibi fuisse ejusmodi fratrem seniorem (E).

Tertiò, Regulæ fratris junioris.

Prima: Reverentiam & obsequium præstet fratri seniori; & id quidem officii in futurum non differat; quia cum ætas & vita adeò festinè prætervolet, futurum fortè non dabitur (F).

Secunda: Fratri ægrotanti assistat; de salute, etiam dum valet, eum quandoque interroget; sæpè cum illo debitâ urbanitate ac reverentiâ versetur. Juxta varias anni tempestates primorum fructuum aliarúmque rerum munuscula fratri mittat (G).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Siao Hio* cap. 5. §. 2. sic Doctor *Yen* in sua domesticæ disciplinæ in-

institutione: Habito homine, tunc maritus & uxor; habito marito & uxore, tunc Pater & Mater; habito Patre & Matre, tunc fratres seniores & juniores habentur; ab his tribus tota domûs consanguinitas, novémque consanguinitatis gradus, in serie ascendente & descendente comprehensi dependent. Idcircò in quintuplici humanæ conditionis ordine illi tres potissimùm suspiciendi sunt. Fratres quidem corpore disjuncti, sed sanguine conjuncti, unum sunt. Dum adhuc puelli sunt, modò Pater aut Mater hunc dextrâ, illum sinistrâ ducit; modò paternæ aut maternæ vestis oram, hic anteriorem, ille posteriorem trahit; eadem illis mensa ad edendum, eædem vestes ad induendum, eædem artes ad discendum, idem locus ad spatiandum; & quamvis aliquando illorum nonnulli sint turbulenti aut perversi, non possunt tamen se invicem non diligere. Posteà verò cùm viri effecti sunt, tunc suam quisque uxorem ac liberos singulari studio diligere incipit; & quamvis optimâ & candidâ indole sint præditi, mutuus tamen illorum amor non potest non esse paulò remissior. Deinde quia fratrum uxores sunt minùs propinquæ quàm fratres inter se; si mariti sinant illas mutuum fratrum consanguinitate propinquissimorum amorem regere, perinde erit ac si vasi quadrato rotundum operculum imponere volueris; quod certè cohærere non potest. Itaque illi dumtaxat fratres intimè se invicem diligentes, qui non sinunt cor suum illecebrosis uxorum suarum verbis immutari, possunt hoc malum declinare.

A. Ibidem sic Doctor *Lieu kay kum tu* suos liberos instruebat: Olim defunctus meus Pater in servanda domûs disciplina exactissimus erat. Primò cujusque mensis die, & decimo quinto, postquam omnes filii ac nurus, aliíque domestici ad inferiores aulæ gradus debitam reverentiam exhibuerant, ipse sublatis manibus ac vultu parùm demisso: audite, inquiebat, defuncti Patris mei monita ac præcepta. Germani fratres inter se nihil aliud quàm mutuum amorem ac demissionem spirare debent; quia verò subindè præbent aures suis uxoribus ex diversa domo in unam & eamdem collectis, quæ certatim aliorum vitia carpunt, sensímque odia & inimicitias instillant, hinc fit ut ipsi depravato earum amore abrepti, privata studia foveant, æquitatem spernant, dissensiones moveant, divisa domo à

ſe invicem recedant, & quandoque tamquam fures, aut hoſtes ſe mutuò ſpectent. Et unde hoc malum, niſi ex vobis, ô nurus? nonnullos quidem firmiori corde præſtantes, qui non ſinunt ſe à ſuis uxoribus emolliri atque excæcari, maritos reperire eſt; ſed ego plurimos ab iis emollitos, atque excæcatos vidi. Num fortè vos vultis ſic agere? ite igitur, & in veſtra cubicula vos recipite, ac diligentiſſimè cavete, nè unum verbum quod filialem obſervantiam lædat, proferatis. Ejuſmodi monitorum beneficio noſtra ſtirps *Kay* huc uſque potuit indiviſam omnium fratrum ſine ulla diſcordia cohabitationem retinere, ſeque omninò integram conſervare.

B. Ibidem ſic Doctor *Cham* ex pago *Hem Kiue*: Dum liber *Xi Kim* dicit: *Fratres ſe invicem diligentes, caveant nè videantur non ſe diligere*, vult dicere: fratres mutuum amorem ita debent inter ſe fovere, ut mutuas inimicitias & deſpectus non concipiant nec addiſcant. Communis hominum ægritudo eſt, ut dum vident eos, quos reverentur & amant, ſuæ reverentiæ & amori non reſpondere, mox deſiſtant. Unde fit ut inceptum beneficium optato fine privetur. Vos nolite hoc diſcere; veſtræ reverentiæ & amoris partes explete, & nihil aliud curate.

C. 2. Liber *Siao Hio* cap. 2. §. 6. ſic primarius Regni Præfectus *Yen*: Quamvis ſit ſolitus honeſtatis ordo ut Rex imperet, ſubditus obtemperet; Pater miſereatur, filius obſequatur; frater ſenior juniorem amet, junior ſeniorem honoret; maritus ſit concors, uxor blanda; ſocrus clemens, nurus obediens; ſi tamen Rex imperando, rectæ rationi nihil contrarium cupiat; ſubditus obtemperando, animum non diſtrahat; Pater miſerando, documenta non omittat; filius obſequendo, conſilia ſuggerat; frater ſenior amando, amicitiam adjungat; frater junior honorando, obſequia præſtet; maritus concors, æquitate prælùceat; uxor blanda, caſtitate præcellat; ſocrus clemens, monita audiat; nurus obediens, hilaritatem præferat: tunc demum iſtud erit abſoluta honeſtatis perfectio.

D. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 21. in Libr. 2. Memcii cap. 3. *Van cham xam* ſic diſcipulus *Van Cham* Memcium interrogat: Jam verò cùm ſic hilari vultu Princeps *Xun* alloqueretur fratrem ſuum juniorem *Siam*, num-

numquid ſciebat illum ſibi mortem inferre voluiſſe ? ſciebat , inquit Memcius; ſed ſic benigno hilaríque vultu eum alloquebatur, quia frater fratrem amabat; ſi enim fratrem ſuum *Siam* videbat triſtem, cum eo triſtabatur; ſi hilarem, cum eo lætabatur.

Ibidem paulò infrà ſic : Frater dignitate & opibus potens, cùm velit familiari fratris conſuetudine uti , ſtatim cupit illum honoribus illuſtrem reddere ; cúmque velit fraterno amore fratrem diligere , ſtatim cupit illum divitiis locupletare. Ideò Imperator *Xun* fratrem ſuum juniorem *Siam* ſtatim conſtituit Regulum Regnî *Teu Pi*, ut honore illuſtris, & divitiis locuples eſſet. Si enim in vili & paupere conditione privatus vixiſſet, quomodo Imperator *Xun* potuiſſet familiari ejus conſuetudine perfrui , & fraterno amore eum diligere ? ecquæ familiaritas, amor, amicitia poſſit eſſe inter plebeium, & nobilem ? inter pauperem & divitem ? Te rurſus auſim, inquit diſcipulus *Van Cham*, Magiſter, interrogare ? eccur nonnulli evulgârunt iſtum *Siam* à fratre *Xun* fuiſſe relegatum ? Princeps *Siam*, inquit Memcius, quamvis honorariam Reguli dignitatem poſſideret, liberam tamen ſui Regni adminiſtrationem non habebat; ſed Imperator identidem ad res iſtius Regni componendas mittebat præfectum, qui vectigal, & ea omnia quæ ad Reguli ſumptus honorificámque ſuſtentationem eſſent neceſſaria, à populo affatim ſubminiſtranda curaret. Idcircò nonnulli evulgârunt illum fuiſſe relegatum. Deinde hoc fræno coërcitus Princeps *Siam* non poterat populum vexare, aut injuſtitiâ opprimere. Ceterum quamvis hoc fræno fratrem ſuum coërcuit , non eò tamen id fecit , quòd illum minùs diligeret ; ſed quia vehementer optabat illum ſæpiùs apud ſe videre, ideóque ut aſſiduè poſſet ſublato omni impedimento venire, illum Regni adminiſtratione non oneravit. Hinc antiquus liber ait : Quod attinet ad Regulum Regnî *Teu Pi*, non expectabat præfixum tempus, quo alii Reguli ad curiam veniebant ; ſed quotieſcumque ſe offerebat occaſio aut negotium , Imperator *Xun* illum tamquam regiminis conſortem ac ſocium advocabat , & ad colloquium familiare admittebat.

E. 4. Lib. *Su xu che kiay* tom. 20. in Libr. 2. Memcii cap. 2. *Li leu hia* ſic Memcius : Si Pater aut frater natu major , mediam virtutis viam

V 2 ſe-

sectantes, ille filium, hic fratrem juniorem ab ea aberrantem direxerint; si ingenio & industriâ præstantes, ille filium, hic fratrem juniorem istis carentem benignè ac patienter instruxerint, numquid posteà iste filius ejusmodi Patrem, & iste frater junior ejusmodi fratrem seniorem se habuisse lætabitur? Contrà, si nec eos dirigant nec instruant: tunc illorum virtus & industria, ab horum vitio & ignorantia, quamcumque fingas diversitatem, mihi certè nè uno quidem digito videtur distare.

F. 5. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 6. sic Confucii discipulus *Tsem Tsu*: Filius qui non valet filiali observantia Parentum animum exhilarare, non ausit externorum societatem inire; & frater qui non valet fraterno obsequio fratrum amorem sibi conciliare, non ausit remotorum benevolentiam quærere........................... Intra 100. annos, quibus hominis vita concluditur, cum & pueritia & morbi & senectus occurrant; vir sapiens memor irrevocabilis temporis, maturè suas filii & fratris junioris partes explere conatur. Parentibus enim mortuis, quamvis velit, quomodo tunc possit debitum iis obsequium præstare? sic & sexagenarius, aut septuagenarius quamvis velit, quomodo tunc possit fratres seniores debito honore colere? numquid illud est quod proverbio dicitur: datur tempus, in quo nec debita erga Parentes obsequia, nec debitus erga fratres seniores honor deferri potest.

G. 6. Lib. *Siao Hio* cap. 6. §. 2. sic: Regnante *Hien nim* Imperatore Familiæ *Cin*, morbi pestilentes grassabantur. Cuidam viro, nomine *Tu Quen*, duo fratres seniores jam obierant, & tertius frater senior periculosè decumbebat. Parentibus & aliis omnibus aufugientibus ob aëris pestilentiam, ipse solus *Tu Quen* permansit ad inserviendum fratri seniori ægrotanti; & postquam per multum tempus diu noctúque ei inserviit, tandem convaluit.

G. Ibidem sic: Duo fratres *Chun* & *Cim* amore inter se conjunctissimi, cùm jam sexagenario majores fuissent creati supremorum tribunalium præsides, etiam vel tunc frater junior *Cim* manè & vespere de fratris senioris salute inquirebat, adducens secum omnes suos liberos ac nepotes; nec nisi jussus, sedere audebat. Si frater senior vespere suum reditum tardabat, cœnare sine illo non audebat, expe-

pectans donec rediret. Propriâ ipse manu bacillos comestorios & cochlear in mensa illi offerebat, cibos prægustabat, non comedebat nisi jussus. Quin imò dum priùs in urbe *Sucheu* Gubernatorem agebat, singulis quatuor anni tempestatibus, aliquod novorum fructuum aut escarum munus ad fratrem in Curia degentem semper mittebat; nec priùs ipse ex istis novis fructibus aut escis, quàm ad fratrem misisset, aliquid degustabat aut comedebat. Denique quamvis viri & mulieres consanguinei & affines numero centum & ampliùs, unam omnibus communem culinam haberent, nullum tamen verbum dissonum aut contentiosum domi audiebatur.

SECTIO IV.

De Herili Societate.

Societas herilis est quidam ordo inter Herum & famulum.

Primò, Regulæ Heri juxta Sinas sic:

Prima: Herus diligenter servet honestatis Ritus, ac Regni leges. Suum cuique officium appositè distribuat; suum cuique opus studiosè committat, urgeatque ut ritè perficiatur (A).

Secunda: Accuratè ineat sumptuum rationem; acceptum cum expenso conferat; juxta majores aut minores domûs facultates vestitum ac victum famulis dispenset. Funebrium ac festivorum Rituum sumptus juxta honestatis leges limitet. Arceat omnem prodigalitatem ac luxum; semper tantillum residui ad occurrendum inopinæ penuriæ reservet (B).

Tertia: Fidelibus servis stipendia augeat. Servos fraudulentos, mendaces, furantes, detractores, discordiarum sators, turbulentos ejiciat. Expleto seruitii tempore, volentibus abire acquiescat. Famulas, quæ à teneris annis diligenter inservierunt, in matrimonium collocet (C).

Secundò, Regulæ famuli sic:

Prima: Famuli & famulæ summo mane surgant. Manus, os, faciem lavent; vestes decenter induant; lectos sternant; cubicula & aulam verrant; sedes disponant; omnia componant. Unusquisque diligenter suo vacet officio (D).

Secunda : Vocanti promptè respondeant. Modestiam, attentionem, reverentiam servent (E).

Tertia: Cùm Herus aliquid donat, famulus non debet illud recusare (F).

Quarto: Famuli nihil debent ex suo arbitrio facere; sed in omnibus Heri voluntatem inquirere (G).

Quarta: Accuratâ sui officii adimpletione, & suâ diligenti operâ delectent Heri cor, oculos, aures. Occurrenti Hero promptè assurgant (H).

Textus Librorum.

A. 1. Liber *Siao Hio* cap. 5. §. 2. sic Doctor *Su ma ven kum* : Paterfamilias in regendis suis liberis, fratribus, famulis aut domesticis diligenter honestatis Ritus ac Regni leges servet; suum cuique officium ac-
B. curatè distribuat; suum cuique opus faciendum committat, urgeátque ut exactè compleatur. Maximam sumptuum rationem habeat; acceptum cum expenso studiosè conferat. Juxta majores aut minores domûs facultates, vestitum & victum unicuique convenientem dividat. Consuetæ aut Parentalium aut convivalium Rituum expensæ suas habeant determinatas leges ac serventur, atque juxta has temperentur. Variis advenientium negotiorum sumptibus diligenter invigilet ac prudenter prospiciat. Prohibeat & arceat omnem prodigalitatem ac luxum. Tantillum residui ad inopinæ penuriæ succurrendum semper oportet reservare.

B. 2. Lib. *Kia li* seu Rituum domesticorum tom. 8. §. *Kia Cham* idem habetur, quod hìc suprà num. 1. Idem nempe textus.

C. 3. Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 19. artic. *Kiu kia tsa y* sic Doctor *Su ma ven kum* : Herus suis famulis fidelibus, sinceris, officii alicujus capacibus majora assignet stipendia; & post hos sequantur ii, qui sunt industrii & habiles. Qui autem sunt addicti fraudibus, mendaciis, dolis; qui justitiam transgrediuntur; qui suis pravis cupiditatibus indulgent, qui furantur; qui clam Heri potestatem aut nomen usurpant; qui superiores offendunt, eos domo expellat. Postquam famulæ impleverunt sui servitii tempus, si velint abire, illis con-

concedat facultatem ; quæ verò diuturno tempore fuerunt diligentes, raráſque culpas commiſerunt, illas adjuvet, & in matrimonium collocet. Fraudulentas, bilingues, ſimulatrices, detractrices, ſuſurratrices domo expellat. Quæ frequenter furantur aut clam aliquid ſurripiunt, expellat. Quæ ſunt vagæ, immodeſtæ, irreverentes, expellat. Quæ ſunt inobedientes, inconſtantes, vanæ, expellat.

D. 4. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 1. ſic : Famuli & famulæ ad primum galli cantum ſurgant ; manus & os lavent ; veſtes decenter induant ; lectorum cervical & culcitram colligant ; cubicula, aulámque interiorem aquâ aſpergant ac verrant ; ſedes ritè diſponant. Unuſque diligenter ſuo vacet officio.

E. Ibidem infrà ſic : Natu minores inſerviendo majoribus, & famuli Heris ſervent etiam leges, quas filii coram Patre & Matre, ac nurus coram ſocero & ſocru ſervare debent ; id eſt, Hero vocanti promptè & reverenter reſpondeant ; coram illo exactam modeſtiam, attentionem, reverentiam ſervent. Nihil inurbanum, nihil indecens agant.

F. 5. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 4. ſic : Quidquid aut Magiſter diſcipulo, aut ſenior juniori, aut Herus famulo donat, non auſit illud recuſare & rejicere.

G. 6. Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 19. artic. *Kiu kia tſa y* ſic Doctor *Su ma ven kim* : Omnes famuli & famulæ in quavis re ſive parva, ſive magna non poſſunt quidquam ex ſuo arbitrio facere ; ſed debent Heri voluntatem inquirere, & juſſa capeſſere.

H. Ibidem ſic : Omnis filius Patri & Matri inſerviendo, debet illorum cor ſeu animum exhilarare, illorum voluntati acquieſcere, illorum oculos & aures oblectare, tranquillam illorum habitationem reddere, illorum victum ſincero ſtudio curare. Famuli erga Heros, & plebs erga Magiſtratus eodem modo in illorum ſervitio ſe debent gerere.

Ibidem ſic : Famuli & juniores veſpere & manè interrogent de ſalute & valetudine Herorum & ſeniorum. Si ſedeant, dum Herus aut ſenior tranſit, ſtatim aſſurgant. Si equitent & illis in via occurrant, ex equo deſcendant, donec tranſierint.

CAPUT

CAPUT II.

De Familiæ Possessionibus.

SECTIO I.

De Possessionibus immobilibus.

POssessiones sunt id, quo unaquæque Familia potest commodè vivere (A). Possessiones, aliæ sunt immobiles, ut prædia & domus; aliæ mobiles, ut fructus, animalia, pecunia, vestimenta. Hic de immobilibus; in sequenti Sectione de mobilibus agemus.

Primò, Leges prædiorum juxta Sinas sic:

Illæ olim ita præscriptæ fuerunt: Sex cubiti faciunt unum passum; centum passus in longum tantùm, faciunt unum *Meu* seu parvum jugerum; centum passus in longum & latum faciunt unum *Fu*, seu magnum jugerum. Trecenti passus in longum tantùm, faciunt unum *Uo*, seu stadium Sinicum; (stadium Sinicum communi & ordinario nomine vocatur *Li*); trecenti passus in longum & latum faciunt unum *Cim*, seu stadium quadratum, vel unam portionem terræ aut figuram, cujus singula latera continent centum passus (B).

Jam verò, uti præscribitur, debent unicuique Patrifamilias designari centum parva jugera, seu decem magna jugera ad arandum. Si sit diligens Agricola, colliget fructus sufficientes ad alendas novem aut octo personas; si sit paulò remissior, ad alendas septem aut sex; si adhuc sit remissior, saltem colliget fructus sufficientes ad alendas quinque (C).

Deinde agrorum limites, viæ, divisiones sint exactæ (D). Olim limitum ordo hic habebatur: inter centum parva jugera, id est, inter decem magna jugera, portionem scilicet unius Patrisfamilias, fiebat canalis largus & profundus duobus cubitis, cui adjacebat parvus trames. Inter singulas decem hujusmodi terræ portiones, fiebat canalis largus & profundus quatuor cubitis, cui adjacebat paulò major callis. Inter singulas centum prædictas portiones, fiebat canalis largus octo cubitis, cui adjacebat paulò adhuc latior semita. Deinde inter singulas mille por-

portiones fiebat canalis largus & profundus ſedecim cubitis, cui adjacebat adhuc latior via. Denique inter ſingula decem millia ejuſmodi portionum aderat fluvius, cui omnes iſti canales conjungebantur, & ad fluvium via regiá adjacebat (E).

(Nota : Iſti antiqui cubiti erant longè minores recentibus).

Sed quod maximè conducit ad rem agrariam, opportunum arandi, ſerendi, expurgandi, metendi tempus non debet negligi aut prætermitti ; atque ita famis periculum evitabitur (F).

Secundò, Regulæ domuum, juxta eoſdem Sinas ſic :

Domus ædificanda debet dividi in exteriorem & interiorem, ſeu in anteriorem & poſteriorem partem ; & inter utramque ſit porta bene clauſa ; poſterior mulieribus, anterior viris ſerviat (G).

Præter centum parva terræ jugera, quæ unicuique Patrifamilias adſcribenda ſunt ad arandum, illi deſignentur alia quinque, ſeu 500. paſſus quadrati pro domûs loco, ſitu, ædificatione ; & intra hos 500. paſſus, circum domûs parietes, plantentur mori ad alendos bombyces pro veſtibus conficiendis (H). Deinde pro diverſa cujuſque dignitate, domûs aula ſit altior, aut humilior. Imperatoris aula interior ſit novem cubitis altior, quàm prima in ingreſſu, ſeu atrium ; Reguli, ſeptem ; primarii Præfecti, quinque ; Doctoris, tribus (I).

Denique amplitudo domûs, ornatus, ſpatium, juxta cujuſque hominis conditionem ac gradum, præſcribitur (K).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Lib. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam* ſic : Regulus *Ven Kum* interrogavit Memcium de recta gubernandi ratione. Sic illi Memcius : in Regno id, quod maximè ſpectatur, eſt populus ; quod maximè populus ſpectat, eſt victus ; victus ex re agraria ; unde res agraria, quàm populus tam continuo & indefeſſo labore urget ac promovet, non eſt remiſsè curanda aut parvi pendenda. Itaque ſi velis optimam regendi populi tenere normam, debes potiſſimùm ſatagere, ut ille habeat ſemper, unde commodè vivat, unde veſcatur, unde veſtiatur, & ubi tranquillè habitet, &c.

B. 2. Lib. *Li Ki* seu Rituum tom. 3. cap. 5. *Vam Chi*, sic Interpres *Chin hao*: Centum passus in longum tantùm, faciunt, &c. Ut suprà in contextu.

C. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 22. in Libr. 2. Memcii cap. 4. *Van cham hia* sic Memcius: Populares isti viri, qui munus aliquod apud Præfectos gerebant, ideóque arare non poterant, accipiebant in stipendium centum parvorum jugerum, vicarium agriculturæ ab ipsis exercendæ fructum, nempe sicut ceteri agricolæ, quibus dabantur ad arandum centum parva jugera. Sed quia fructus & messis, quæ ex agricultura colligitur, non una & eadem est; siquis enim centum jugerum colonus, diligenter stercoret illa sua 100. parva jugera, strenuúmque primæ notæ agricolam agat, potest optimè ex eorum fructibus alimenta novem; si sit paulò remissior, octo saltem personis subministrare. Agricola secundæ notæ paulò diligenter, septem; paulò remissior, sex hominibus potest alimenta procurare ex suis centum jugeribus. Denique infimæ notæ agricola, potest ad minimum quinque personis ex aratione suorum centum jugerum congruam sustentationem suppeditare. Idcircò non unum, & idem æqualéque erat stipendium popularium istorum virorum, qui levi aliquo officio apud Præfectos fungebantur; sed juxta majus aut minus munus, quod unusquisque gerebat, illi assignabatur diligentioris aut negligentioris agricolæ centum jugerum fructus.

D. 4. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Lib. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam* sic Memcius: Pii benignique regiminis grande opus primò inchoandum est à delineatione limitum, quibus singuli agri & singula jugera distinguantur. Si enim nec canales, nec viæ transversæ à septentrione ad meridiem, & ab oriente ad occidentem; nec aggeres terminales arborum plantatione fuerint definiti ac discriminati; protinus nec quadrata agrorum jugera erunt æqualia, fraudulentioribus nempe atque valentioribus agricolis partem ex conterminis aliorum agris sibi surripientibus; nec frugum tributa erunt æqua, avaris nempe Præfectis longè plus æquo exigentibus. Proptereà immites illi Principes, principúmque Ministri alienum sudorem exsugentes, hanc limitum delineationem negligunt, atque ode-

oderunt. Rectè igitur constituta limitum delineatione, tunc agri habent suam fixam divisionem; nec principibus, nec Præfectis ullus relinquitur furandi locus.

E. 5. Lib. *Su xu mum ju* tom. 11. in Libr. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam* sic: Hic olim limitum ordo habebatur, &c. Ut suprà in contextu.

F. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 23. in Lib. 1. Memcii cap. 1. *Leam hoei vam xam* sic: Boni regiminis radix, & quædam quasi rudimenta sunt hæc: statis rei agrariæ, v. gr. arandi, serendi, evellendi, metendi temporibus non est ponendus obex aut mora; atque ita tanta frugum ubertas ubique redundabit, ut non possint omnes consumi victu. Deinde non est permittendum, ut retia tenuibus foraminibus contexta in lacus, stagna, piscinas jaciantur; tunc tanta piscium copia affluet, ut non possint omnes esu consumi. Insuper opportuno tantùm sub hiemem tempore, ut faciliùs arbores amputatæ repullulare possint, in sylvas immittenda est securis; tunc tanta lignorum abundantia semper suppetet, ut non possint omnia usu exhauriri. Cùm igitur & fruges & pisces & ligna ita abundabunt, ut non possint omnia usu consumi, tunc populi sine querela & indignatione suos vivos alent, & suis mortuis parentabunt. Ubi autem populi sine querela & indignatione suos vivos alunt, & suis mortuis parentant, ibi habetur boni regiminis radix, & primum ritè componendi imperii principium, nempe populorum communis erga suum principem amor. Quo posito optimæ leges sine difficultate possunt sanciri, & optima tradi civilis disciplinæ documenta.

G. 7. Lib. *Li Ki* seu Rituum cap. *Nuy Ce*, seu regulæ domesticæ sic: Ritus suum traxere principium à cura singulari, quæ ad contrahendum matrimonium adhibita est. Hinc dum domus exstruitur, dividitur in duo septa, &c. Ut suprà in contextu.

H. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 19. in Lib. 1. Memcii cap. 1. *Leam hoei vam xam* sic Memcius, instruens Regulum *Hoei Vam* de arte regendi: Præter 1000. passus terræ quadratos, seu centum parva terræ jugera, quæ de more uni agricolæ seu Patrifamilias attribui debent ad arandum, designentur alii 500. passus quadrati, seu quinque parva jugera pro domûs loco & ædificatione. Intra hos 500. pas-

sus quadratos, circa domûs parietes serantur aut plantentur mori ad alendos bombyces; tunc quinquagenarii, qui calidioribus vestibus indigent, habebunt unde serico vestiantur. Deinde in alendis gallinis, nefrendibus, canibus, suibus, tempus incubandi ovis, & fœtûs concipiendi non prætermittatur; tunc septuagenarii, qui fortiori alimento indigent, habebunt unde vescantur carne ad saturitatem. Insuper cùm unus agricola centum parva terræ jugera colere debeat, si opportunum arandi, serendi, evellendi, metendi tempus ei non surripiatur aut impediatur, tunc quælibet Familia abundè habebit, unde famem semper vitet. His positis, facillima postmodum erit morum institutio.

I. 9. Lib. *Li Ki* seu Rituum tom. 5. cap. 10. *Li Ki* sic: Sunt quædam res, quæ per suam altitudinis diversitatem indicant altiorem aut humiliorem nobilitatis ac dignitatis gradum; v. gr. interior Imperatoris aula debet esse novem cubitis altior, quàm pavimentum ad gradus positum; Reguli, septem; toparchæ, quinque; Doctoris, seu Litterati primæ classis, tribus.

K. 10. Libr. *Ta mim hoei tien* tom. 62. sic: In principio hujus imperii (nempe *Ta Mim*) sic exiit decretum: vestes, pilei, cingula, domus, equorum sellæ pro Magistratibus & plebe juxta cujusque nobilem aut ignobilem conditionem debent habere suæ diversitatis leges. Superiores quidem possunt uti iis, quæ inferioribus permittuntur; sed non possunt inferiores uti iis, quæ superioribus conceduntur. Idem permittitur Præfectis, qui officio defuncti sunt, ac iis qui officio funguntur. Deinde liberi ac nepotes, quorum Pater vel Avus in Magistratu obiit, modò tamen non fuerit ob delictum depositus, possunt Patris vel Avi ædes habitare, vestitúque, curru & equis uti. Mandarini autem actu officium exercentes, singuli juxta suum gradum, &c. In vestibus, vasis, domibus non liceat depingere, elaborare, sculpere antiquorum Imperatorum, Imperatricium, virorúm sapientium, aut aliorum res gestas vel facta; nec solis, lunæ, draconis, aquilæ, leonis, monocerotis, elephantis & ejusmodi figuras.

Ibidem pro domibus Imperator *Hum Vu* sic statuit anno sui imperii 26.: Non licet Mandarinis, in domuum ædificatione volupta-

ptatis monticulos ſeu rupeculas cum retortis cuſpidibus erigere, nec duplicem tectorum oram protendere, &c. Reguli *Kum* & *Heu* poſſunt pro anteriori domûs parte conſtruere ſeptem aut quinque ædificia cum novem cubiculis, & idem pro media aula; pro veſtibulo tria ædificia cum quinque cubiculis; portas auro, vernice, minio, ceruſſa & animalium figurâ depingere, &c. Supra domûs faſtigium apponere lateritias ſeu teſtaceas animalium figuras; trabes exornare, &c.

Pari modo ibidem præſcribitur forma, amplitudo & ornatus domuum pro Mandarinis primi, ſecundi, tertii, quarti, quinti, ſexti, ſeptimi, octavi, noni ordinis. Deinde ſic: Plebs poteſt tantùm habere tria ædificia cum quinque cubiculis; nec ornatus trabium, & multiplex pictura illi permittitur. Rurſus hoc fuit præſcriptum: Emeriti Magiſtratus in curia degentes, qui pro domûs loco amplum ſitum habent, poſſunt retrò domum relinquere vacuum terræ ſpatium decem orgias, & ab ejus lateribus hinc & hinc, quinque. Qui autem jam antiquas ſedes habitant, non habentes ſitum amplum, poſſunt tantùm more priſtino eas habitare, nec ipſis licet populi fundum arripere ad relinquendum aliquod vacuum terræ ſpatium, &c.

SECTIO II.

De Poſſeſſionibus Mobilibus.

POſſeſſiones mobiles maximè verſantur circa animalia, fruges, veſtimenta, inſtrumenta, vaſa, pecuniam. Pauca de ſingulis juxta Sinas ſic:

Primò, De domeſticis Animalibus. Domi alantur gallinæ, porci, & alia animalia, v. gr. quinque gallinæ, duæ ſues. Tempus incubandi ovis, & fœtus concipiendi non prætermittatur (A). Animalia non mactentur niſi ob cauſam particularem, v. gr. ad alendos ſenes ſeptuagenarios, utpote qui carnibus indigent; ad tractandos hoſpites, ad exhibendum cultum ſpiritibus, ad parentandum progenitoribus defunctus. Et ſic neceſſaria ad vitam ſubſidia ſemper domi affatim ſuppetent (B).

Secundò, De frugibus. Fructus præcoces non excerpantur; fruges immaturæ non metantur, pisces nondum adulti non capiantur (C). Habeatur semper aliquid residui ad vitandam tempore sterilitatis famem. Arbores sub hiemem, ut faciliùs repullulare possint, amputentur (D). Orizæ, quatenus melioris aut deterioris, pretium majus aut minus statuendum (E).

Tertiò, De vestimentis. Bombyces alantur ad vestes conficiendas pro senioribus, qui calidiori vestitu indigent (F). Pueri serico non vestiantur, nec vestem interiorem exteriorémque gossipio fartam gerant, utpote nimis calidam (G). Deinde vestium forma tum pro vestitu ordinario, tum maximè pro funebri luctu determinatur.

Item vestitûs diversitas juxta cujusque personæ conditionem præscribitur. Vide textus (H).

Insuper varia insignia pro Principum & Magistratuum vestibus sic præscribuntur: in Imperatoris veste dracones; in Reguli veste, figura alba & nigra instar bipennis; in primarii Præfecti veste, figura alba & cærulea instar geminæ litteræ sibi invicem oppositæ depingantur. Doctoris verò vestis exterior, sit cærulea; interior, crocea seu subrubra. Deinde in Imperatoris pileo vel coronâ sint duodecim serta vittarum; in Reguli pileo, novem; in Præfecti primæ classis pileo, septem; in Præfecti secundæ classis pileo, quinque; in Doctoris pileo, tria (I).

Sic etiam nunc diversæ aves in aulicis ordinariis Præfectorum politicæ disciplinæ, & diversæ feræ in aulicis ordinariis militarium Ducum vestibus depictæ & elaboratæ, diversique uniones aut gemmæ in apice pilei cernuntur. V. gr. Reguli *Kum, Heu, Pe*, & Generi Imperatoris gerunt in ordinaria veste aulica ab una parte elaboratam quamdam monocerotis speciem, dictam *Ki Lin*, & ab altera parte extraordinarii animalis, dicti *Pe Ce*, figuram. Primæ & secundæ classis Præfecti civiles, in aulicis vestibus gerunt ab una parte ciconiæ speciem, & ab altera avem phasianam; tertiæ & quartæ classis, ab una parte pavonem, ab altera anserem sylvestrem; quintæ classis, duas albas aves, dictas *Hien*; sextæ & septimæ classis, ab una parte avem fluviatilem, dictam *Lu Su*; & ab altera speciem sylvaticæ gallinæ; octavæ & nonæ classis, ab una parte coturnicem, id est, in anteriori parte vestis, & ab altera, id

id eſt, in poſteriori parte alium paſſerculum; vel binam coturnicem, & binum paſſerculum.

Præfecti autem militares primæ & ſecundæ claſſis in veſtibus aulicis ordinariis gerunt leonem; tertiæ & quartæ claſſis, tigrem & leopardum; quintæ claſſis, geminum urſum; ſextæ & ſeptimæ claſſis, animal inſtar parvæ tigridis; octavæ, geminum Rhinocerotem; nonæ, geminum equum marinum; vel octavæ & nonæ claſſis, Rhinocerotem ab una parte, & equum marinum ab altera (K).

Quartò, de Inſtrumentis & vaſis. Quæ ad hominis uſum ſunt neceſſaria, eſt culinæ ſupellex, rei agrariæ inſtrumenta, venditionum & emptionum vaſa, & alia ejuſmodi (L).

Antiqui Sapientes poſtquam ritè animadverterunt ac diſtinxerunt rerum figuras: tunc vaſa, pondera, inſtrumenta, menſuras ad procurandam hominum utilitatem inſtituerunt. Deinde ut continuatum illorum laborem omnis ventura poſteritas exciperet, circinum, libellam, normam, perpendiculum, quibus res circulares, planæ, quadratæ, erectæ ſine errandi periculo fierent, confecerunt (M).

Huc etiam referuntur dapes, dapum lances, convivii fercula, quæ juxta cujuſque conditionem præſcribuntur (N).

Item quoad curules & ſellas geſtatorias; quoad umbellas; quoad equorum ſellas & lora; quoad lecti cortinas, ſeu ſiparia; quoad vaſa domeſtica, ſedes, vini pocula & ſcyphos: præſcripta horum omnium vel forma, vel materia, vel ornatus ſpecialibus etiam Statutis habentur; v. gr. juxta diverſam uniuſcujuſque perſonæ conditionem, gradum, dignitatem prohibendo vel permittendo materiam auream, argenteam, ſericam; ornatum talis figuræ, talis coloris, &c. (O).

Prætereà antiqui adhibuerunt, ſeu aſſumpſerunt fiſtulam Muſicam, dictam *Hoam Chum*, de qua infrà, longam 90. partibus, *primò* ad examinandas & determinandas menſuras ſic: Hujus fiſtulæ decem partes faciunt unum digitum; decem digiti, unum cubitum; decem cubiti, unam orgiam ſeu perticam; decem perticæ, unum *In*, ſeu maximam menſuram. *Secundò*, ad examinandos & determinandos numeros ſeu vaſa per numeros ſic: Prædicta fiſtula poteſt capere 1200. granula milii; hæc 1200. granula faciunt unum *To*, ſeu minimum vaſcillum; decem *To* faciunt unum *Ho*, ſeu pugillum; decem *Ho* faciunt

ciunt unum *Xim*, seu scutellam; decem *Xim* faciunt unum *Teu*, seu congium vel sextarium; decem *Teu* faciunt unum *Xe* vel *Ho*, seu unum grandem modium. *Tertiò*, ad examinanda & determinanda pondera sic: Illa 1200. milii granula, quæ sunt capacitas præfatæ fistulæ, faciunt unum *To*, ut dictum est; unum *To* facit 12. *Chu*, seu 12. denarios; viginti quatuor *Chu*, seu denarii faciunt unum *Leam* seu unciam; sedecim unciæ faciunt unum *Kin*, seu libram; triginta *Kin*, seu libræ faciunt unum *Kiun*; quatuor *Kiun* faciunt unum *Xe* vel *Tan*, id est, majorem unius hominis sarcinam (P).

Quintò, De pecunia. Domûs expensæ nec avarè, nec prodigè sunt faciendæ (Q). Ab initio imperii sinici in usu fuerunt, uti & nunc adhuc sunt, quidam quadrantes cuprei (olim stannei etiam, & ferrei fuerunt, &c.) rotundi, cum foramine quadrato in medio ad inserendum concatenationis filum (R). Animadverte autem Sinas non uti monetâ argenteâ, sed fuso argento, quod secant in frustula, prout quotidianus usus exigit; sicuti etiam illud liquando formant in diversa frusta majora vel minora absque ulla nota, aut insigni Principis. Unde hoc argentum varium est; aliud nempe omninò purum, quale datur pro tributo regio; aliud plus vel minùs mixtum alio metallo, quod bellissimè distinguunt Sinæ; & cujus rei habetur maxima ratio in contractibus venditionis, emptionis, locationis, &c.

Deinde apud Sinas nullus est auri usus pro commercii pretio, seu negotiationis; sed ipsum aurum est merx.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 25. in Libr. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic Memcius: Sed quâ ratione Princeps *Ven Vam* in alendis sui Principatûs senibus excellebat? Princeps *Ven Vam* dum olim in sua regia *Ki*, parvum adhuc Principatum possidebat, unicuique agricolæ, seu Patrifamilias quinque parva terræ jugera pro domûs loco & habitatione distribuebat, & circum domûs parietes jubebat plantari moros, ex quarum foliis mulieres alebant bombyces. Hinc senes abunde habebant ex quo sericas sibi vestes conficerent, & se à frigore tuerentur. Deinde jubebat, ut unaquæque Familia quinque gal-

gallinas, & duas sues aleret; nec tempus incubandi ovis, & nefrendes pariendi negligeret. Hinc senes abunde habebant carnes ad vescendum. Præterea unicuique Patrifamilias aranda centum parva terræ jugera partiebatur, maximéque curabat, ut hæc à robustioribus diligenter colerentur. Hinc Familia constans 8. personis, poterat à famis metu eximi.

Vide etiam præcedentem Sectionem in textibus num 8. litteram H.

B. 2. Lib. *Su xu che kiay* tom. 25. in Libr. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic Memcius: Ut populus ex rerum abundantia non labatur in intemperantiam, Princeps debet certas leges pro earum usu sancire: unde tempus præscribat rebus utendi; v. gr. fructus præcoces excerpi, fruges immaturas meti, pisces nondum adultos capi, & his similia prohibeat. Insuper in eorum usu honestatem præcipiat v. gr. sine causa particulari, qualis est ad excipiendos hospites, ad alendos senes, ad faciendas Spiritibus Ceremonias cy, ad parentandum Parentibus Defunctis, mactari animalia facilè non sinat. Sic tot tantæque semper suppetent divitiæ, ut omnes usu consumi nequeant.

C. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 13. in Libr. 1. Memcii cap. 1. *Leam hoei vam xam* sic Memcius: Quocircà Princeps sapiens ea, quæ ad agrorum divisionem, commodámque populi habitationem & sustentationem spectant, ita prudenter debet disponere, ut unusquisque quot annis pro debita Parentum suorum observantia abunde habeat, unde Patris & Matris votis faciat satis; & pro debita domesticorum suorum cura abundè habeat, unde uxorem & liberos commodè sustentet. Præterea curet, ut faustis fertilitatis annis unusquisque habeat aliquid redundans, unde quovis tempore possit ad saturitatem comedere, & infaustis sterilitatis annis vitam sustentare ex accumulato priorum annorum fertilium residuo.

D. 4. Vide Sectionem præcedentem in textibus num. 6. litteram F.

E. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Lib. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam* sic: Ceterum, inquit *Chin Siam*, ista Sectarii *Hiu Him* doctrina habet nonnulla, quæ videntur sat bona; ut sunt rerum pretia. Hujus enim discipuli mercando nullam omnino habent altercandi occasionem de vario rei aut pretiosioris aut vilioris pretio; quia in

Y foro

79

ſoro unum & idem ſive melioris ſive deterioris rei pretium taxatur; atque ita nulla regnat fraudulentia, &c. Tela ſive cannabina, ſive ſerica, ſi utraque fuerit æqualis in longitudine, ſine diſcrimine par & idem utrique eſt pretium impoſitum, &c. Pari modo ſi quævis frumenti ſpecies fuerit in quantitate æqualis, unum & idem eſt pretium impoſitum, &c. Atque ita vitantur rixæ, & pax regnat. Quid felicius? tum Memcius ſic illi reſpondit: Iſti ſectarii volunt in omnibus rebus æqualitatem ponere, & tamen rerum inæqualitas eſt ipſarum proprietas. Idcircò tanta eſt earum pretii inæqualitas, ut una diſtet ab altera quintuplo, decuplo, decies decuplo valore. Si igitur tot diverſas rerum proprietates ad unam & eamdem redigere volueris, totum ſanè mundum ſuſquedeque evertas neceſſe eſt. V. gr. fac ut pretium calcei majoris & minoris ſit unum & idem; ecquis volet majores calceos facere? pari modo ſi rei melioris & pejoris, rei perfectioris & imperfectioris ſit unum & idem pretium; ecquis mercator volet res meliores vendendas proponere aut perquirere? ecquis artifex ſataget perfectiori modo res concinnare? profectò iſti Sectarii, qui ſpecioſis verbis volunt rixandi & fallendi occaſiones tollere, re ipsâ latam aperiunt viam ad omnes rixas & fraudes ſtabiliendas. Quomodo igitur tunc poterit Regnum bene gubernari?

F. 5. Vide hìc ſuprà num. 1. litteram A.

G. 6. Lib. *Siao Hio* cap. 1. ſic: Puer decennis Scholam externam frequentet, &c. Veſtem nec interiorem nec exteriorem goſſipio fartam, utpote nimis calidam, gerat, &c. 20. annos natus veſtes pellitas, & ſericas poteſt induere.

H. 8. Lib. *Li Ki* ſeu Rituum cap. *Xin Y* ſic: Olim veſtium forma ita fuit præſcripta, ut normæ, circino, menſuræ, ſtateræ reſpondere deberent; nec ita breves, ut apparent membra; nec ita longæ, ut raderetur terra. Fibula à latere connectat veſtis partes, &c. Sic manicæ aptentur, ut brachium poſſit facilè verti, &c.

H. 9. Liber *Kia Li* tomo 1. deſcribit ſeu præſcribit ac figuris delineat veſtis *Xin Y* ſeu honeſtæ materiam ac formam; item formam cinguli longioris, pilei ſeu bireti, ac calceorum. Et tomo 4. ſimiliter deſcribit ac delineat veſtem, pileum, cingulum, calceos pro triennali & annuo luctu Parentum defunctorum. H. 10.

H. 10. Lib. *Ta mim hoei tien* tomo 60. præſcribit ac delineat, figuris etiam appoſitis, magnificentiſſimum Imperatoris veſtitum, quem, ait, induere debet dum litat Cælo ac Terræ; dum parentat Majoribus in Parentali aula; dum in die ſuo Natali, in primo die anni novi, in Solſtitio hiberno feſtivas excipit congratulationes ſuorum Procerum ac Præfectorum; dum ſumit poſſeſſionem ſui imperii, &c. Iſte veſtitus vocatur *Quen Mien*, id eſt, veſtis, & pileus imperialis.

Item in eod. tom. 60. præſcribit ac delineat alium Imperatoris veſtitum, quem, ut ibi ait, induit dum primo & decimo quinto die cujuſque menſis admittit ad affatum ſuos Proceres ac Præfectos; dum edit decretum; dum offert ſuffitum; dum exteros Legatos, aut Principes excipit.

Item ibidem præſcribit ac delineat vulgarem ejuſdem Imperatoris veſtitum; deinde militarem, dum ipſemet it ad bellum. Denique convivalem ac domeſticum ejus veſtitum.

H. Idem Lib. in eod. tomo 60. præſcribit ac delineat magnificentiſſimum Imperatricis veſtitum, quem, ut ibi ait, induit dum declaratur Imperatrix; dum adit Parentalem Majorum aulam; dum Proceres excipit. Item ibidem vulgarem ejuſdem veſtitum.

Item ibidem magnificentiſſimum ſecundariæ Reginæ veſtitum, quem induit eodem modo, ut Imperatrix; & vulgarem.

H. Idem liber in eodem tomo 60. præſcribit magnificentiſſimum veſtitum, *Quen Mien* dictum, Principis heredis, quem, inquit, induit dum aſſiſtit ſacrificio Cæli ac terræ, & parentationibus quæ in Parentali defunctorum Avorum aula fiunt; dum primò die anni novi, & in Solſtitio hiberno excipit feſtivas omnium Procerum ac Præfectorum congratulationes; dum ſolemnem concedit affatum; item dum facit Ceremoniam *Cy* Spiritui regionis ac frugum; dum declaratur Heres imperii; dum init matrimonium.

Item ibidem præſcribit alium ejuſdem Principis veſtitum pro aulæ Ceremoniis in 1. & 15. die cujuſque menſis, in ſuffitu offerendo, in adventu Legatorum exterorum, &c.

Item veſtitum ejus vulgarem; veſtitúmque ſolemnem ac vulgarem ejus uxoris. Item eodem modo veſtitum conſanguineorum Imperatoris, & uxorum. Item filiorum & filiarum Imperatoris.

ris. Item Regulorum, & uxorum; denique aliorum Procerum, & uxorum eorum.

H. 11. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 61. de Mandarinorum seu Præfectorum tum civilium, tum militarium vestitu sic ait: In quavis magnæ Ceremoniæ *Su* (sive *Cy*; in numero autem magnarum Ceremoniarum *Cy* imperialium, est Majorum defunctorum Ceremonia *Cy*, ut dicitur in principio tomi 81. ejusdem libri), in primo die anni novi, in Solstitio hiberno, in die Natali Imperatoris (apprecando nempe novum annum, faustos & longos dies, &c.), in promulgatione regii decreti, in commonefactione legis, quilibet Præfectus sive civilis, sive militaris induat aulicam vestem.

Deinde ibidem ejus materiam, formam, colorem præscribit & delineat, ac maximè diversitatem in pileo juxta cujusque gradum.

Item ibidem præscribit præfatorum Præfectorum vestitum pro Ceremoniis *Cy*, & eumdem quidem ac aulicum, ut ait; excepto uno aut altero mutato quoad colorem, & sublato uno aut altero ornatu pro Parentali illorum domo.

Item ibidem præscribit eorum vestitum in ordinario sui muneris exercitio gerendum.

Item eorumdem vestitum aulicum ordinarium, nempe illius materiam, formam, colorem, ornatus diversitatem juxta cujusque gradum, prohibendo certos colores ac figuras in vestitu.

Item ibidem præscribit vestitum Doctoris dum suscipit gradum Doctoratûs. Item eorum, qui aliquod munus apud Præfectos gerunt. Item Baccalaureorum, ac Candidatorum rei litterariæ vestitum.

Denique ibidem præscribit plebis vestitum, ac prohibet ornatum pretiosiorem, v. gr. aureum, gemmeum, &c. Permittendo tamen honestum ornatum, v. gr. sericum inferioris notæ, argenteum pro ornatu capitis, &c. Imò ad ipsarum ocrearum qualitates & materiam descendit.

I. 12. Lib. *Li Ki* tom. 5. cap. 10. *Li Ki* seu Rituum instrumenta, sic: Quidam Ritus per exteriorem ornatum indicant nobilitatis & dignitatis diversitatem. V. gr. in Imperatoris veste, &c. Ut suprà in contextu.

Idem

Idem diſtinctiùs adhuc vide expoſitum in libro *Ta mim hoei tien* tom. 60.

K. 13. Lib. *Tu xe kou kin*, ſeu explicatio vocum antiquarum ac recentium tom. 1. artic. *Ven Quon, Vu Quon*, ſeu Mandarini civiles & militares, ſic: Reguli *Kum*, *Heu*, *Pe*, &c. Ut ſuprà in contextu.

Idem vide, aut penè idem in libro *Ta mim hoei tien* tom. 61.

L. 14. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Libr. 1. Memcii càp. 5. *Tem ven kum xam* ſic Memcius: Numquid iſti Sectarii *Hiu Him*, ollas teſtaceas, ſcutellas, ſtillans coquendæ orizæ aut milii cribrum ad culinæ uſum adhibent? numquid ligone & tridente utuntur ad rem agrariam? &c.

M. 15. Lib. *Su xu che kiay* tom. 21. in Lib. 2. Memcii cap. 1. *Li leu xam* ſic Memciùs: Antiqui ſapientes poſtquam, &c. Ut ſuprà in contextu.

N. 16. Lib. *Li Ki* ſeu Rituum tom. 6. cap. *Xao Y* ſic: Dum juſculo conditum piſcem apponis, elige caudam. Hieme, illi adjunge exta; æſtate, dorſum, &c.

N. 17. Lib. *Li Ki* tom. 5. cap. *Nuy Ce* ſic: Fruges ſunt, oriza, loba, milium, piſa diverſi generis; alia ſicca ſeu matura, alia cruda ſeu viridia. Primum ferculum, odorifera caro bovis, ovis, porci; ſeu bovina, ovina, porcina: bovina, aſſata; ovina & porcina, cocta. Secundum ferculum, alterum caro cum condimento diſſecta, alterum minutal, ſeu pulmentum. Tertium ferculum, ovina caro; altera minutal, altera cum condimento diſſecta, & porcina aſſata. Quartum ferculum, porcina caro temperata cum leguminibus, minutal factum ex piſcibus; deinde gallina ſylveſtris, lupus, coturnix, cygnus, vinum N.N. &c.

Vide ibi longè plura hujuſmodi minuta de rebus menſæ.

O. 18. Lib. *Ta mim hoei tien* tom. 62. ſic: Imperator *Hum Vu* primo anno ſui imperii hæc *pro curulibus* ſtatuit: Non liceat in iis ſculpi aut pingi dracones, vel Aquilas. Mandarini primæ, ſecundæ, tertiæ claſſis poſſunt eas auro & argento decorare, & lora ſerico elaborata habere; velum ſeu operculum ſit cæruleum, id eſt, ſubnigrum. Mandarini quartæ & quintæ claſſis, habeant curulis apicem in forma ſimplicis leonis; lora ſerica, velum cæruleum. Sextæ, ſeptimæ,

octavæ, nonæ classis, curulis apicem in forma nubis simplicis; lora vulgaria nec serico elaborata, velum cæruleum. Servetur par ratio pro *sellis gestatoriis.*

Plebis curulis sit nigro colore tincta; apex seu culmen sit planum, velum nigrum. Et idem pro illius *sellis gestatoriis* servetur, &c. Imperator *Kim Tay* anno quarto sui imperii statuit, ut soli primæ, secundæ, tertiæ classis Mandarini in curia possent vehi sellis gestatoriis; alii non, &c.

Deinde ibidem statuitur ut Mandarini, (scilicet qui non sunt supremi,) possint in suis sellis gestatoriis vehi à quatuor tantùm hominibus, non pluribus.

O. Ibidem Imperator *Hum Vu* anno primo sui imperii pro *umbellis* statuit, ut plebi non liceret uti umbellis sericis, sed solis papyraceis, nigro colore tinctis. Et anno tertio sui imperii statuit, ut soli primæ & secundæ classis Mandarini in curia possint uti umbellâ faciei velativâ; alii utantur tantùm simplicibus umbellis contra pluviam protegentibus: extra curiam possint & aliis uti.

Deinde ibidem præscribitur pro Mandarinis diversitas aliarum umbellarum cum oris pendulis sericis in duplici vel triplici ordine, & serici color; uti & sericum & color pro aliis eorum umbellis faciei velativis, & contra pluviam protegentibus juxta cujusque gradum, seu Magistratûs classem.

O. Ibidem sic: Imperator *Hum Vu* anno primo sui imperii hæc pro *equorum sellis & loris* statuit: plebi non liceat habere sellam inauratam; permittitur illi cupreus, vel ferreus tantùm ornatus.

Deinde ibidem pro singulis cujusque classis Præfectis præscribitur sellarum ornatus & color.

O. Ibidem sic: Imperator *Hum Vu* anno primo sui imperii hæc pro *lecti siparii* seu cortinis statuit: Nulli liceat siparia rubris aut flavis draconum vel Aquilarum figuris exornata habere. Mandarinis primæ, secundæ, tertiæ classis siparia permittuntur sericis & aureis figuris elaborata; quartæ & quintæ, sericis figuris elaborata; reliquis Mandarinis, simplicia serica; plebi serica inferioris notæ. Alia adhuc ibidem ejusmodi præscribuntur.

O. Ibidem sic: Imperator *Hum Vu* anno 26. sui imperii hæc pro *domesticis vasis* statuit: Reguli, & Mandarini primæ & secundæ classis possint

ſint habere vini pocula aurea, & vini ſcyphos aureos; reliqua vaſa argentea. Mandarini tertiæ, quartæ, quintæ claſſis poſſint habere vini pocula argentea, vini ſcyphos aureos. Sextæ, ſeptimæ, octavæ, nonæ claſſis, vini & pocula & ſcyphos argenteos. Reliqua vaſa porcellana vel lignea vernice ſeu ceruſsâ exornata; nullo modo liceat rubro colore cum aureis figuris illa exornare, nec in iis draconis vel aquilæ figuras ſculpere. Plebi permittuntur vini pocula ſtannea, vini ſcyphi argentei. Reliqua vaſa vel ſint porcellana, vel lignea vernice ſeu ceruſsâ exornata, &c.

Paulò pòſt ſic: Nec primæ, nec ſecundæ claſſis Mandarinis liceat habere vaſa gemmea, ſed tantùm aurea; Mercatoribus & opificibus non liceat habere vaſa aut ſupellectilem argenteam; reliqua habeant, ut plebs.

P. 19. Lib. *Xu Kim* tom. 1. cap. *Xun tien*, Interpres *Tſay Xin* ſic: Si fiſtula Muſica *Hoam Chum*, longa 90. partibus, ſive diviſa in 90. partes, adhibeatur primò ad examinandas & determinandas menſuras, &c. Ut ſuprà in contextu.

Q. 20. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 22. artic. *Li tſay* ſeu opum moderatio, ſic Doctor *Quey xan yam*: Dum divitiarum uſus nec per exceſſum, nec per defectum peccat, id dicitur temperantiæ æqualitas; ſi autem illarum & acquiſitio ex artibus, & illarum uſus ex temperantia diligenter curetur, tunc ſemper abundè ſuppetent ad omnes Regni ſumptus; atque id, quod priſci Imperatores vocabant opum moderationem, nihil etiam aliud eſt quàm temperans & æqualis juxta rectam rationem earum uſus.

R. 21. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 8. ſic: A tempore Imperatoris *Tay Hao*, ſeu *Fo Hi* huc uſque ſemper extitit moneta. Imperatores *Fo Hi*, & *Kao Tam* ſeu *Chuen Hio* illam vocârunt *Kin*, id eſt, metallum. Imperatores *Hium* ſeu *Hoam Ti*, & *Ti Ko* ſeu *Kao Sin* vocârunt *Ho*, id eſt, mercem; Imperator *Tao Tam* vocavit *Ciuen*, id eſt, fontem; Imperatores Familiæ *Xam* & Principes Familiæ *Cy* vocârunt *Pu*, id eſt, cannabem; item Principes Familiæ *Cy* & *Liu* vocârunt *Tao*, id eſt, enſem. Fiebat ſub Imperatore *Xin num* commercium per rerum commutationem in foro ſub meridiem. Sub Imperatoribus *Xun*, & Familiarum imperialium *Hia* ac *Xam* habebatur pro opibus metallum tri-

pli-

plicis generis, scilicet flavum, album, rubrum; moneta, cannabis, ensis, unio.

Ibidem infrà sic: Imperator *Te* metallum montis *Lie xan* liquefecit seu fudit in monetam ad opitulandum populi necessitatibus, &c. Princeps *Tay Kum* è Familia *Cheu*, in singulis novem Chinæ tractibus instituit Præfectos ad præsidendum monetæ. Aurum digito latum in quadrum vocabatur una libra, seu appendebat unam libram; moneta rotunda cum foramine quadrato in medio, sive levior, sive gravior, vocabatur *Chu*, id est, quadrans vel denarius. Moneta, inquit Doctor *Chim*, olim vocata est *fons* ob figuram, *metallum* ob materiam, *ensis* ob utilitatem, *merx* ob usum.

Ibidem infrà sic: Imperator *Kim Vam* posterioris Familiæ *Cheu*, dolens monetam esse nimis levem, jussit fundi grandiorem, cujus diameter esset unius digiti, & 2. unciarum, & quæ appenderet duodecim *Chu*, seu 12. quadrantes vel denarios.

Ibidem infrà sic: Regius Minister *Kia y* sic admonuit Imperatorem *Ven Ti*: Æqua & universalis lex imperii præcipit, ut moneta ex cupro aut stanno conficiatur; Si ergo aliqui audeant fraudulenter illi immiscere plumbum vel ferrum, facies illorum notâ inurantur.

Vide ibidem innumera hac de re. Item tomum 9. in quo variæ prohibitiones, ordinationes, pœnæ circa istam monetam cupream, stanneam, ferream, &c. circa ejus figuram & characteres inscriptos, circa pondus, numerum, valorem, &c. statuuntur.



PARS TERTIA.

Ethica Politica.

Ethica politica est scientia, quæ versatur circa Regni constitutionem & administrationem. Itaque

CAPUT

CAPUT I.

De Constitutione Regni.

QUæ Regnum constituunt, sunt ejus causæ, proprietates, species. Nunc breviter & ordine de singulis.

SECTIO I.

De Causis Regni.

CAusa Regni, uti aliarum rerum, est quadruplex: Efficiens, finalis, formalis, materialis.

Primò, Causa efficiens Regni. Hæc dividitur in supremam, quæ est Deus; & subordinatam, quæ est Regni Conditor. De utraque sic dicunt Sinæ: De *suprema*, hæc: Cælum seu Cæli Dominus occultâ virtute populos stabilit, illósque colligit ad simul cohabitandum & vivendum (A); & ipse est, qui dedit in China populos (B). Cæli Dominus Reges constituit ut suos vicarios, ad regendum & docendum populum (C); híque ab eo suam potestatem accipiunt (D).

De *subordinata*, hæc: Principes *Fo Hi, Xin Num, Hoam Ti, Yao, Xun* tamquam Cæli legati, regimen Sinensis imperii, verbo & exemplo instituerunt, seu Regnum Sinense condiderunt (E).

Secundò, Causa finalis Regni, juxta eosdem est commoda vivendi norma omnibus communis, publica morum honestas, & cordis integritas. Si enim populus non habuerit unde commodè vivat, mox & morum honestatem & cordis integritatem exuit; quâ exutâ, ruit in quævis scelera, atque ita Regnum perit (F).

Tertiò, Causa formalis Regni, juxta eosdem, est quidam honestatis ordo inter eos, qui Regnum constituunt. Iste ordo in his quinque consistit: in æquitate inter Regem & subditum; in amore inter Patrem & filium; in diversitate inter maritum & uxorem; in subordinatione inter seniorem & juniorem, vel superiorem & inferiorem; in fide inter amicum & amicum (G).

Quartò, Causa materialis Regni; sunt Regni Provinciæ benè divisæ. Olim ab Imperatore *Yu* tota China fuit divisa in novem tractus seu provincias (H). Nunc divisa est in quindecim; in his habentur distributæ me-

metropoles cum suis civitatibus, civitates cum suis subjacentibus minoribus urbibus, minores urbes cum suis oppidis, arcibus, pagis (I).

Deinde Rex vel Imperator, Proceres, Ministri Regii, reliqui Præfecti, populus, & in populo artifices, agricolæ, mercatores, litterarum Alumni, inter se unitate ejusdem magnæ communitatis conjuncti, sunt etiam ipsa Regni materia, seu causa materialis. Horum omnium ordinata distributio habetur in variis libris Sinicis (K).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Xi Kim* tom. 4. cap. *Hum Fan* sic: Cælum autem occultâ virtute populos stabilit, illósque ad simul cohabitandum colligit & adjungit.

B. 2. Lib. *Xu Kim* tom. 4. cap. *Tsu Tsay* sic: Postquam magnum seu Regale Cælum in China populos dedit, illi postea sub primis Imperatoribus limites adscripsit.

C. 3. Lib. *Xu Kim* seu Annalium Imperialium tom. 4. cap. *Tay xi* sic: Cælum ad juvandos populos, constituit illis Reges & Doctores; sed hi possunt tantùm supremo cæli Domino (sinicè *Xam Ti*) cooperari ac consociari ad consolandos & pacandos totius imperii populos.

D. 4. Lib. *Li Ki* tom. 9. cap. *Piao Ki* sic: Imperator, inquit Confucius, à Cælo imperium capessit; vir litteratus ab Imperatore.

E. 5. Lib. *Ta Hio* in Proœmio Interpres *Chu Hi* sic: Adultorum doctrinæ liber, priscis adultorum schola, est quædam docendi homines norma. Quamvis enim ex quo homines Cælum produxit, nullus umquam extiterit, cui naturalem quemdam pietatis, æquitatis, honestatis, intelligentiæ sensum non indiderit; quia tamen nativa ingenii, temperamenti, indolis conditio est diversa, variisque tum tenebris, tum cupiditatibus implicatur; ideò complures non satis animadvertunt ac penetrant id, quod à natura comparatum habent, ut omnes ejus partes adimpleant, ac illam perficiant. Quando autem hos inter exurgunt aliqui perspicaciâ, intelligentiâ, sapientiâ, prudentiâ insignes, qui totum naturæ suæ rationalis munus adimplere nôrunt, eos Cælum mittit ut sint multorum populorum Duces ac Magistri, vultque, ut eos regant, & doceant ad primitivam na-

naturæ suæ bonitatem, integritatémque redire. Sic olim Principes *Fo Hi*, *Xin Num*, *Hoam Ti*, *Yao*, *Xun*, Cæli legatione fungentes, Cælique legi obsequentes, verbo & exemplo summæ perfectionis normam tradiderunt; supremos civilis disciplinæ præsides ad imbuendos bonis moribus populos & ad tradendâ virtutis præcepta instituerunt, aliósque prætereà peculiares Magistratus ac Magistros, qui Regum, Procerum, Præfectorúmque liberos non tantùm communem vitæ honestatem, sed etiam omnia ad Musicam spectantia singulari curâ edocerent, constituerunt.

F. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 13. in Libr. 1. Memcii cap. *Leam hoei vam xam* sic Memcius: Rex priùs ante omnia debet providere, ut suus populus habeat, unde toto anno commodè vivat. Dum enim populus habet commodam vivendi normam, fixámque ac stabilem rem familiarem ex qua semper commodè vivat, tunc facilè & constanter cordis integritatem ac morum honestatem colit. Qui enim possunt constanter servare cordis integritatem ac morum honestatem, licèt careant fixâ ac stabili re familiari, quâ commodè vivant, soli illi sunt sublimes viri solidâ sapientiâ præditi, magnísque spiritibus & alta mente dotati, qui non aliter adversam ac prosperam fortunam respiciunt. Quod verò attinet ad communem illam & vulgarem populi multitudinem, statim atque non habet unde commodè semper vivat, & cordis rectitudinem & morum honestatem abjicit. Deinde postquam & cordis rectitudinem & morum honestatem semel abjecit, tunc laxas effrænatis suis cupiditatibus habenas effundit, nec ullum scelus se offert, quod perpetrare non audeat.

G. 7. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum Yum* artic. 20. sic: Universalis hominum rectè vivendi via, quinque complectitur, (nempe quintuplicem humanæ conditionis ordinem,) & modus, quo ista via conficitur, complectitur tria. Illa quinque, sunt ordo Regis & subditi, inter quos æquitas; ordo Patris & filii, inter quos amor; ordo mariti & uxoris, inter quos diversitas; ordo senioris & junioris, inter quos subordinatio; ordo amici & amici, inter quos fides intercedat necesse est.

H. 8. Lib. *Xu Kim* tom. 2. cap. *Yu Kum* sic: Imperator *Yu* divisit totum

Regnum seu Chinam in varios tractus; útque facilis ab uno ad alium daretur via, jussit in montibus amputari sylvas. Pro uniuscujusque tractûs limitibus assignavit altiores montes, ac majores fluvios. (Hi tractus seu provinciæ erant novem, quæ ibi in decursu recensentur, scilicet *Ki Cheu*, ubi Imperator *Yu* morabatur; *Yen Cheu, Cim Cheu, Yam Cheu, Kim Cheu, Siu Cheu, Yu Cheu, Leam Cheu.*) Deinde Interpres *Tsay xin* sic: Totum Regnum divisit in 9. tractus seu Provincias, & prout occurrebant altiores montes & majores fluvii, eos pro Provinciarum limitibus assignavit; v. gr. assignavit Provinciæ *Yen*, fluvium *Cy*; Provinciæ *Cim*, mare & montem *Tay*, seu *Tay xan*; Provinciæ *Yam*, fluvium *Hoay*, & mare; Provinciæ *Yum*, fluvios *He xui*, & *Si ho*, id est, fluvium nigrum, & fluvium occidentalem; Provinciæ *Kim*, montem *Hem*; Provinciæ *Siu*, mare, montem *Tay*, & fluvium *Hoay*; Provinciæ *Yu*, fluvium *Kim Ho*; Provinciæ *Leam*, montem *Hoa Yam*, & fluvium nigrum.

Et pauló infrà sic: *Ki Cheu* est Provincia, in qua erat sita Imperatoris Regia, &c. Non illi assignantur limites, uti aliis 8. Provinciis, quia ad illam undique conveniebatur.

I. 9. Lib. *Quam yu ki*, seu universalis geographica Chinæ descriptio. Hic liber continet 24. capita, & dividit totam Chinam in 15. Provincias. In singulis Provinciis recenset metropolim, & alias urbes primi ordinis; deinde urbes secundi & tertii ordinis prioribus subjectas; posteà uniuscujusque Provinciæ figuram, montes, fluvios, utilitates seu quid gignant; pontes, domos cursorum, Parentales aulas, mausolea, antiquitates, illustres viros seu insignes Præfectos, & alias hominum & rerum raritates. In fronte præfert Tabulas geographicas cujusque Provinciæ; uti ferè omnia ista habes linguà Europeà in Atlante sinico P. Martinii.

I. 10. Lib. *Yu xe kou kin*, de quo jam anteà, tom. 1. sic recenset omnes Chinæ & Provincias & urbes: Provincia *Pe che li*, id est, *Pe kim* continet urbes primi ordinis 8. secundi 19. tertii 115. Provincia *Kiam Nan*, id est *Nan Kim* continet urbes primi ordinis 14. secundi 17. tertii 96. Provincia *Xan Si* continet urbes primi ordinis 5. secundi 19. tertii 78. Provincia *Xan Tum*, urbes primi ordinis 6. secundi 15. tertii 89. Provincia *Ho nan*, urbes primi ordinis 8. secundi 12. ter-

tertii 96. Provincia *Xen ſi*, urbes primi ordinis 8. ſecundi 21. tertii 96. Provincia *Hu quam*, urbes primi ordinis 15. ſecundii 16. tertii 108. Provincia *Kiam ſi*, urbes primi ordinis 13. ſecundi 1. tertii 77. Provincia *Fo Kien*, urbes primi ordinis 8. ſecundi 1. tertii 57. Provincia *Che Kiam*, urbes primi ordinis 11. ſecundi 1. tertii 75. Provincia *Su chuen*, urbes primi ordinis 9. ſecundi 20. tertii 111. Provincia *Quam tum* urbes primi ordinis 10. ſecundi 8. tertii 75. Provincia *Quam ſi*, urbes primi ordinis 10. ſecundi 47. tertii 53. Provincia *Quey Cheu*, urbes primi ordinis 8. ſecundi 6. tertii 6. Provincia *Yun nan*, urbes primi ordinis 14. ſecundi 41. tertii 30.

Nota: Juxta quoſdam alios Authores in his recenſendis reperitur quandoque parva diverſitas; quia urbes nunc aliæ novæ, aliæ abolitæ, aut deſtructæ. Deinde nota, quòd in præcedenti catalogo non enumerentur arces, & urbes militares, quæ adhuc ſunt multæ.

I. 11. Lib. *Su xu mum yn* tom. 11. in libr. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam* ſic: Priſci aſſumpſerunt paſſum ad determinanda terræ jugera. Sex cubiti faciebant unum paſſum; centum paſſus unum jugerum *Meu*; centum jugera unum *Fu*, ſeu portionem unius Patrisfamilias. Tria *Fu* unum *Uó*; ſive unam ſeriem jugerum quadratorum; tria *Uo* unum *Cim*, ſive novem quadrata, ſingula centum jugeribus conſtantia, id eſt, unum ſtadium Sinicum *Li* in longitudinem & in latitudinem. (Unum *Cim* erat una terræ figura quadrata, cujus ſingula latera conſtabant 300. paſſibus, ſeu uno ſtadio; adeóque tota figura continebat paſſus quadratos 90000. id eſt, novem *Fu*.)

Ibidem paulò ſuperiùs in figura diviſionis agrorum, ſic: Quatuor *Cim* faciebant unum *Ye*, ſeu quaſi parvum pagum. Quatuor *Ye*, unum *Kieu*; quatuor *Kieu*, unum *Tien*; quatuor *Tien*, unum *Hien*, ſeu oppidum muratum, id eſt, ſpatium illius territorii; quatuor *Hien*, unum *Tu*, ſeu unum terræ tractum, vel magnum quadratum, cujus ſingula latera continebant 32. ſtadia Sinica.

Sed animadverte, quòd antiqui cubiti erant multò breviores recentibus; nam ibidem juxta Doctorem *Kin li ciam* recentia jugera 41. faciunt centum antiqua.

K. 12. Lib. *Cheu Li* seu Rituum imperii *Cheu*, cujus index sic : Tomus 1. 2. 3. *Cæli Mandarini seu Magistratus.* Supremus totius Imperii Minister (nunc Colaorum Tribunal) continet sub se Præfectos 63. Tomus 4. 5. 6. *Terræ Magistratus.* Supremus doctrinæ præses (nunc officiorum Tribunal) continet sub se Præfectos 78. Tomus 7. 8. 9. *Veris Magistratus.* Supremus Rituum Præses, (nunc tribunal eorumdem) continet sub se Præfectos 70. Tomus 10. 11. 12. *Æstatis Magistratus.* Supremus equorum Præses (nunc militiæ tribunal) continet sub se Præfectos 70. Tomus 13. 14. 15. *Autumni Magistratus.* Supremus prædonum Præses (nunc justitiæ tribunal) continet sub se Præfectos 66. Tomus 16. 17. 18. *Hiemis Magistratus.* Summus operum Præses (nunc tribunal eorumdem) continet sub se Præfectos 30.

Deinde Interpres *Cham* sic ait : Ista nomina desumpta à Cælo, Terra, Vere, Æstate, Autumno, Hieme, indita fuerunt Imperii *Cheu* Magistratibus ob similitudinem quam habebant cum illis. Sicut enim Cælum omnia gubernat ; ita supremus Imperii Minister præest omnibus Præfectis, ideóque dicitur Cæli Magistratus. Item sicut terra omnia alit, ita supremus doctrinæ Præses omnes populos fovet ; & ideo dicitur terræ Magistratus. Similiter supremus Rituum Præses externo honestatis decore repræsentat Veris virorem ; supremus equorum seu armorum Præses copiosâ gravitate, Æstatis ubertatem ; supremus justitiæ Præses pœnarum severitate Autumni maturitatem ; supremus operum Præses, ædificiorum aliarúmque rerum exstructione Hiemis collectionem,

K. 13. Lib. *Li Ki* tom. 3. cap. 5. *Vam Chi* sic : Hic est imperii ordo, seu divisio : Pro Imperatore requiruntur tres primi Proceres, novem primarii Ministri, 27. primarii Præfecti, & 81. Doctores Regii. Pro Regulo magni Principatûs, tres Primarii Ministri, qui ab Imperatore constituuntur ; quinque primarii Præfecti, 27. Doctores primi ordinis. Pro Regulo mediocris Principatûs, tres primarii Ministri, quorum duo ab Imperatore, unus ab ipso Regulo constituitur ; quinque primarii Præfecti, 27. Doctores primi ordinis. Pro Regulo parvi Principatûs, duo primarii Ministri, qui ab ipso Regulo constituuntur, quinque primarii Præfecti, 27. Doctores primi or-

ordinis. (Nempe olim sic, nunc aliter.) Imperator in singulas novem Provincias (ita olim divisa erat China) mittit tres Inspectores.

Vide alia multa ibidem de rebus similibus, quæ olim fiebant.

K. 14. Lib. *Su xu che kiai* tom. 5. in Libr. *Lun yu* artic. 2. sic: Qui animum, inquit Confucius, pravæ Sectariorum doctrinæ applicat, is multa producit mala ac damna. Tum Interpres: Sapientum doctrina ab omni ævo est tantùm unica communis & recta vivendi via. Ejus ordo, est Rex & subditus, Pater & filius, maritus & uxor, senior & junior, amicus & amicus. Ejus virtutes, sunt pietas, æquitas, honestas, prudentia, veritas. Ejus gens, sunt litterarum Alumni, Agricolæ, artifices, mercatores. Ejus opus, sunt Ritus, Musica, leges, regimen, &c.

SECTIO II.

De proprietatibus Regni.

PRoprietates Regni juxta Sinas sunt hæ sequentes:

Prima: Bonorum abundantia. Omnia quæ ad victum, vestitum, & habitationem sunt necessaria, debent abundè haberi. Horum autem radix, est diligens & accurata Agricultura, ita ut semper aliquid superabundet pro sterilitatis annis (A). Unde olim Imperatores cœperunt agros in varia quadrata dividere. 900. parva jugera partiebantur in novem quadrata; hæc novem quadrata simul vocabantur unum *Cim*, id est, una figura quadrangula referens hunc characterem Sinicum 井 *Cim*. Unumquodque quadratum continebat 100. jugera; quadratum in medio positum dicebatur regium, & commune; quia debebat arari ab octo simul colonis reliquorum octo quadratorum pro Regis tributo; & priùs quidem quàm sua propria quadrata, illud debebant arare, ut pateret Principes à plebeis distingui. Quadrata octo lateralia erant singula singulis Agricolis propria absque tributo. Posteà verò cùm timeretur, nè istud regium quadratum jugerum negligentiùs coleretur, jussi sunt illi octo coloni decimam partem fructuum ex novem quadratis collectorum, solvere pro tributo (B). Prætereà arborum plantandarum, ac suo tempore resecandarum, piscationisque regulæ diligenter servari debent (C).

Secun-

Secunda: Unio & concordia Incolarum. Ex hac Incolarum concordia, mutuus amor & urbanitas inter domesticos ac externos, mutua societas usque ad mortem, mutuum solatium in miseriis, in periculis, in morbis nascitur (D).

Tertia: Reciproca Incolarum dependentia. Primò, in negotiationibus: Incolæ enim à se invicem dependent, ut suppleant id, quod sibi deest per id, quo ipsi redundant; v. gr. Agricola quoad victum, milio redundat; sed illi deest tela cannabina ad vestitum; contrà, textrix quoad vestitum, telà cannabinà redundat; sed illi deest milium. Hinc uterque à se invicem dependet (E). Et ob hanc causam institutum est forum, ut homines mutuâ conventione res quas habebant, commutarent cum iis quibus carebant; datique foro præsides, ut res venales justo pretio taxarent, & dissidentium lites componerent ac dirimerent (F). *Secundò, in opificiis.* Alius enim faber ferrarius, alius figulus, alius sutor, alius sartor existat necesse est; unus enim non potest omnibus istis artibus, quibus humana vita indiget, vacare (G). *Tertiò, in conditionum diversitate.* Oportet enim, ut alii sint Magistratus, alii subditi seu plebeii, ut illi suam mentem, hi suum corpus fatigent. Qui reguntur ab hominibus, suppeditant victum hominibus; & qui regunt homines, honestatem docent homines (H).

Quarta: Potestas resistendi hostibus. Firma Regni defensio non consistit in montium faucibus ac fluminum repagulis, non in valido armorum apparatu, sed in benevolentia populi erga Regem; si hàc benevolentiâ Rex careat, nullos belli ac laborum adjutores habebit; nec tantùm duces, milites, populi, sed etiam ipsi consanguinei & affines ab illo deficient (I).

Præterea in locis aptis exstruendæ sunt arces, altisque mœnibus & profundis fossis bene muniendæ; tunc populus hoc beneficio ac benevolentiâ captus, summoperè erga Regem & Patriam afficietur; atque ubi pericula aut bella ingruent, amorem amore pensabit; quin etiam etsi mori oportebit, stationem non deseret, nec hostem admittet (K). Denique artem militarem sedulò docendus est populus (L).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Libr. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam*, sic: Regulus *Ven Kum* interrogavit &c. Vide Ethicam Oeconomicam cap. 2. Sect. 1. in textibus num. 1. litterâ A. Idem tom. 13. in Libr. 1. Memcii cap. 1. *Leam hoei vam xam* sic Memcius: Quocirca, &c. Vide etiam Ethic. Oeconomicam cap. 2. Sect. 2. in textibus num. 3. litterâ C.

B. 2. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Libr. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam* sic Memcius: Jam verò quamnam regulam in definienda unicuique re familiari ad commodè vivendum necessaria, antiqui Imperatores tenuerint, accipe: Imperatores Familiæ *Hia* assignabant unicuique Patrifamilias quinquaginta parva jugera, & pro tributo exigebant quinque jugerum valorem, id est, decimam fructuum partem. Imperatores Familiæ *In* cœperunt agros dividere in varia quadrangula; 630. parva jugera partiebantur in novem quadrata. Hæc novem quadrata vocabantur unum *Cim*, (id est, figura quadrangula referens hunc characterem Sinicum 井 *Cim*). Unumquodque quadratum continebat 70. jugera. Quadratum in medio positum dicebatur publicum seu commune, quia debebat communi operâ arari ab octo simul colonis reliquorum octo lateralium quadratorum, pro publicis Regis sumptibus. Ista octo quadrata lateralia erant singula singulis colonis propria absque tributo. Imperatores Familiæ *Cheu* assignârunt unicuique Patrifamilias 100. parva jugera; & in agris quidem metropoli adjacentibus imitati sunt imperii *Hia* normam; decem nempe Patresfamilias unà colebant 1000. parva jugera dicta unum *Keu*, id est, terminata uno circumducto canali; sed in agris remotioribus imitati sunt imperii *In* normam; octo nempe Patresfamilias unà colebant novem quadrata, sive 900. parva jugera, dicta unum *Cim*, ut suprà. Porrò tum illi decem, tum hi octo coloni pendebant ex decem fructuum partibus unam pro tributo. Unde omnes isti trium imperiorum Imperatores tantùm ex decem aut undecim partibus unam accipiebant pro tributo; nam ex isto quadrato communi seu regio centum jugerum, sub imperio *Cheu* extrahebantur viginti jugera pro domo & horto colonorum;

 sub

sub imperio *Yn*, quatuordecim ex dicto communi septuaginta jugerum; sub imperio *Hia*, ex quinquaginta jugeribus soluebatur valor quinque jugerum pro tributo, quod vocabatur *Kum*, seu fixum vectigal. Sub imperio *Yn*, tributum vocabatur *Tsou*, seu communem operam commodare. Sub imperio *Cheu* vocabatur *Che*, seu communi operâ rem facere, & æqualiter dividere; quia nempe isti octo coloni in initio debebant communi labore colere illa novem quadrata. Posteà illorum novem quadratorum jugera singulis æqualiter distributa sunt tum ad arandum, tum ad tributum solvendum.

Ibidem paulò infrà sic: Isti octo coloni debebant priùs communi operâ peragere regii quadrati in medio positi opus, seu agriculturam; quâ peractâ, tunc demum poterant vacare suis particularibus jugeribus, ut pateret Principes ab agricolis distingui.

C. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 13. in Libr. 1. Memcii cap. 1. *Leam hoei vam xam* sic: Boni regiminis radix, &c. Vide Ethicam Oeconomicam cap. 2. Sectione 1. in textibus num. 6. litterâ F.

D. 4. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Libr. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam* sic Mencius: Hac quadrangulari agrorum divisione bene constitutâ, dici non potest quanta hinc bona & utilitates pro publica tranquillitate obtinenda, ac pro moribus populorum componendis sint emersura. Agricolæ enim qui aliundè in has terras advenerint, nec in vita nec in morte volent ab iis separari. Illi octo coloni qui simul novem quadrangula arabunt, loco & mutuo amore conjuncti numquam poterunt à se invicem avelli; ac proinde huc illuc euntes & redeuntes se invicem comitabuntur; in tuenda à prædonibus communi habitatione diu noctúque se invicem adjuvabunt; in morbis sibi invicem opitulabuntur; atque ita omnes unius tractûs incolæ mutuâ concordiâ, pace, ope conjuncti, se invicem amabunt, & se invicem ad sectandam virtutem exstimulabunt.

D. 5. Lib. *Hiao Kim* seu filialis observantiæ, Cap. 8. sic Confucius: Olim sapientes Imperatores filialis observantiæ subsidio, totum suum imperium bellissimè gubernabant. Hinc nè vel unum exiguissimi Principatûs Legatum audebant sine honore excipere; multò autem minùs ipsosmet Regulos inhonorè excipere audebant. Hi Reguli ejus-

ejusmodi humanitate devincti lubentissimè ad adjuvandas Parentales Imperatorum Ceremonias confluebant. Dein Reguli Imperatorum imitatores effecti, ne vel unam viduam aut pauperculum homuncionem audebant rejicere; multò autem minùs audebant, viros honestos ac litteratos. Populus hac humanitate devinctus lubentissimè ad adjuvandas Parentales Regulorum Ceremonias confluebat. Præterea primarii Præfecti Regulorum imitatores effecti, nè vel unum domûs suæ famulum aut famulum audebat inurbaniter tractare; multò autem minùs uxores ac liberos. Ideò omnes domestici lubentissimè eos ad inserviendum suis Parentibus adjuvabant, &c. Hinc totum imperium concordiâ, ac tranquillitate florebat; nullæ calamitates, nulli tumultus exoriebantur.

E. 6. Lib. *Su xu che kiay* tom. 18. in Libr. 1. Memcii cap. 6. *Tem ven kum hia* sic Memcius: An tu, domine, fortè rejicies mutuum commercium, quo homines suppleant id quod sibi deest per id, quo abundant? si id rejicis, nec admittis; ergo agricolæ quoad victum redundabit milium, sed illi deerit tela cannabina ad vestitum; contrà, textrici quoad vestitum redundabit tela cannabina; sed illi deerit milium ad victum; quod certè fieri nequit. Si autem admittis mutuum commercium; ergo & architectus in exstruenda tuâ domo, & faber rhedarius in fabricando tuo curru, propter suum laborem accipient à te victum. Jam verò ecce viro qui juxta priscorum Sapientum institutum vitam suam componit, domi erga Parentes obediens, foris erga superiores reverens; istorum Sapientum doctrinam servat ac fortiter tuetur adversus eos, qui eam suis perversis dogmatibus ac gestis conantur labefactare; sperátque fore, ut Posteri illam ceu rectissimam vitæ regulam sequantur; an non fortè hic meretur à te victum accipere? plurisne facies viles architectos & fabros, quàm pietatis & æquitatis Magistros?

F. 7. Lib. *Su xu che kiay* tom. 16. in Libr. 1. Memcii cap. 4. *Kum sun cheu hia*, sic Memcius: Forum olim eo fine dumtaxat institutum fuit, ut homines mutuâ conventione res, quas habebant, commutarent cum iis, quibus carebant; & fori Præfecti nihil aliud curabant, quàm res venales taxare justo pretio, ac diffidentium lites componere; nullum autem ab emptoribus ac venditoribus tributum exigebant.

 Post-

Posteà exurrexit vile quoddam hominum genus, qui ut foro faciliùs præsiderent, petierunt sibi exstrui altius aliquod, instar colliculi seu aggeris, suggestum, quod conscendentes huc illuc oculos circumvolvebant ad expiscandum omne fori lucrum. Hinc fiebat ut omnibus odio ac despectui essent. Itaque illi ad præferendam componendi fori speciem, cœperunt à negotiatoribus tributa exigere; & inde lex vectigalium, quæ posteà mercibus imposita est, initium duxit.

G. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Libr. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam* sic Memcius: Profectò viri nobiles ac Principes non minùs, quàm ignobiles & agricolæ, habent sua negotia & opera, quæ unicuique sunt propria, nec possunt in uno omnia coalescere. Quin imò quilibet homo ea, quæ sunt ad suum usum necessaria, v. gr. vestes, cibus, supellex, instrumenta, vasa, &c. jam confecta debet accipere ab opificibus. Et verò si unusquisque omnia, quibus indiget, deberet ipse sibi conficere ad usum, oporteret ut nunc huc, nunc illuc ad innumera diversi generis opera sine intermissione cursitaret; atque ita efficeres, ut omnes homines continuò absque ulla

H. requie iter agerent. Ob hanc causam antiquo proverbio dicitur: duplex est tantùm in orbe hominum genus; alterum, quod suam mentem; alterum, quod suas manus fatigat. Quod suam mentem fatigat, regit homines; quod suas manus fatigat, regitur ab hominibus. Ii autem qui reguntur ab hominibus, suppeditant victum hominibus; ii qui regunt homines, accipiunt victum ab hominibus. Atque hæc est ab omni ævo universalis cunctorum mortalium vivendi ratio, & numquam interrupta consuetudo.

I. 9. Lib. *Su xu che kiay* tom. 16. in Libr. 1. Memcii cap. 4. *Kum sun cheu hia* sic Memcius: Idcircò dicitur: ritè distributa populorum habitatio non consistit in determinandis agrorum limitibus, nec firma Regni defensio consistit in montium faucibus, & fluviorum repagulis; nec vasta totius imperii acquisitio in valido militum armorúmque apparatu; sed hæc omnia in captanda animorum benevolentia sita sunt. Princeps qui veram captandorum animorum viam tenuerit, sectando pietatem & æquitatem, is multos; qui illam neglexerit, is paucos belli ac laborum adjutores habebit. Jam verò

rò qui belli ac laborum adjutores paucos habuerit, non tantùm ejus populus, milites, duces; ſed vel ipſi conſanguinei & affines ab eo paulatim recedent ac deficient. Contrà, qui multos habuerit; non tantùm ejus populus, milites, duces; ſed & ipſum totum imperium illius juſſis ac voluntati lubens obtemperabit.

K. 10. Lib. *Su xu che kiay* tom. 14. in Libr. 1. Memcii cap. 2. *Leam hoei vam hia*, Memcius Regulo *Siuen Vam* roganti modum defendendi ſui Regni, ſic reſpondit: quæ regnum aliquod præcipuè communiunt ac protegunt, ſunt alta urbium mœnia, profundis foſſis circumcincta. Jube ergo in locis aptis tuæ ditionis excavari hujuſmodi foſſas profundas, & alta urbium mœnia exſtrui. Deinde unà cum populo aſſiduè & fortiter ea tuere. Populus hoc beneficio & benevolentià captus, &c. Ut in contextu.

L. 11. Lib. *Lun yu* artic. 13. ſic Confucius: Princeps, qui artem bellicam populos ſuos non docet, eos perdit.

SECTIO III.

De ſpeciebus Regni.

PRimò, *Diverſæ Regni ſpecies.* Hæ deſumuntur ex diverſitate regiminis. Regiminis autem ſpecies eſt triplex: Alia democratica, in qua ſumma rerum poteſtas eſt penes populum, ut apud Heluetios; alia Ariſtocratica, in qua ſumma rerum poteſtas eſt penes Optimates ſeu Nobiles, ut apud Venetos. Alia monarchica, in qua ſumma rerum poteſtas eſt penes unicum Caput ſeu Regem, ut apud Sinas. Regimen igitur Sinicum eſt Monarchicum, & Hereditarium quidem, non electivum. Unde Reginæ filius, non alterius ſecundariæ uxoris, jure ordinario eſt Regni heres.

Secundò, Antiqua Sinicæ Monarchiæ forma. Monarchicus Sinici regiminis ordo ſic olim conſtitutus fuit, totáque dignitatum diſtributio hæc erat:

Prima & ſuprema in toto imperio dignitas erat Imperatoris. Secunda in imperio, ſed prima in unoquoque Principatu ſeu Regno erat Reguli dignitas, imperiali tamen ſubordinata. Regulorum ordo erat

 quin-

quintuplex; alii dicebantur *Kum* seu Duces; alii *Heu*, seu Principes; alii *Pe*, seu Comites; alii *Tsu*, seu Marchiones; alii *Nan*, seu Barones.

Secunda totius imperii dignitas, erat eorum qui in curia Imperiali erant supremorum Tribunalium Præsides, nempe aliqui ex Regulis. Tertia erat primariorum Præfectorum. Quarta, quinta, sexta erat Doctorum primæ, secundæ, tertiæ classis. Imperialis sedis ditio extendebatur mille stadiis; Reguli *Kum* & *Heu*, centum; Reguli *Pe*, septuaginta; Reguli *Tsu* & *Nan* quinquaginta.

Qui in aula imperiali supremorum Tribunalium Præsides agebant, eamdem ac Reguli *Kum* & *Heu*; qui primarii Præfecti erant, eamdem ac Reguli *Pe*; qui Doctores erant primæ classis, eamdem ac Reguli *Tsu* & *Nan* ditionem pro annuo suæ dignitatis censu assignatam habebant. Illi enim Præsides dum ab aula imperiali recedebant, fiebant Reguli *Kum* & *Heu*; primarii Præfecti, fiebant Reguli *Pe*, Doctores primæ classis, fiebant Reguli *Tsu* & *Nan*. Contrà, isti Reguli *Kum* & *Heu* dum aulam imperialem subibant, fiebant supremorum Tribunalium Præsides; Reguli *Pe*, fiebant primarii Præfecti; Reguli *Tsu* & *Nan*, fiebant Doctores primæ classis (A).

Olim in principio Imperator singulis quinquenniis, posteà singulis tantùm duodecim annis visitabat & inspiciebat omnium istorum Regulorum Principatus. Reguli autem singulis annis unum ex inferiori ordine Præfectum; singulis trienniis alium ex superiori ordine, ad præstandum clientelare obsequium mittebant in aulam imperialem. Singulis quinquenniis ipsimet veniebant, debitum honoris & vectigalis pensum soluturi, rationémque sui Principatûs reddituri (B). Ita olim.

Tertiò, Modernæ Sinicæ Monarchiæ forma. Monarchicus recentis regiminis ordo sic distribuitur: Primò, est Imperator, penes quem est suprema & absoluta potestas. Deinde Reguli in Tartaria, qui clientelam profitentur, & alii Reguli Pekini, solo titulo, non officio donati; v. gr. fratres, filii, patrui Imperatoris, aliique ejusmodi pauci. Posteà Colai, sive Imperatoris assessores vel consiliarii. Deinde sex suprema Tribunalia: Primum, pro distribuendis Magistratibus; secundum, pro re nummularia seu ærario; tertium, pro Ritibus ac civili disciplina; quartum, pro militia; quintum, pro justitia; sextum, pro re ædi-

ædilitia & publicis operibus. His varia alia Tribunalia subordinantur; maximè quindecim pro singulis quindecim Provinciarum negotiis particularibus.

Præterea sunt alii solius palatii & Familiæ Imperialis Magistratus, ac Imperialis urbis Gubernator cum suis Asseclis.

Per Regnum distributi sunt supremi Inspectores duarum Provinciarum, supremi militiæ Duces, Gubernator uniuscujusque Provinciæ seu Pro Rex, cum suis singularum urbium majorum ac minorum, oppidorum, arcium inferioribus Rectoribus & horum Rectorum Asseclis, aliisque totius Provinciæ Præfectis. Similiter militiæ inferiores Duces subjecti suis superioribus Ducibus, & litterarum Alumni suis Magistratibus (C).

Insuper omnes isti Magistratus tum politicæ, tum militaris disciplinæ, distributi sunt in novem classes seu gradus; v. gr. quoad politicam disciplinam, primarii seu supremi Colai sunt primæ classis, & eorum Assessores sunt primæ classi annexi; Præsides supremorum sex Tribunalium sunt secundæ classis; horum Assessores & Provinciarum Gubernatores sunt tertiæ. Primariarum urbium Rectores sunt quartæ; Tribunalis Mathematicæ Præsides sunt quintæ; horum Assessores sunt sextæ; parvarum urbium Rectores sunt septimæ, &c. (D).

Nota: Sub hoc imperio Tartaro-Sinico, in Curiæ Tribunalibus, dimidia pars primariorum Præfectorum est Tartara, dimidia Sinica; v. gr. tres Colai Tartari, & tres Sinæ; unus Tartarus, & unus Sina Præses supremi Tribunalis; duo Tartari horum Assessores, & duo Sinæ; & sic de aliis diversis Pekini Tribunalibus. In Provinciis autem extra Curiam non habetur illa Præfectorum geminatio, sed indiscriminatim vel Tartarus, vel Sina est Præfectus.

Denique in toto isto Imperio Sinensi mira relucet Præfectorum à minimo usque ad maximum, ipsúmque Imperatorem subordinatio, verúmque Monarchici regiminis exemplar.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 22. in Libr. 2. Memcii cap. 4. *Van cham hia* sic Memcius: Prima & suprema in toto, &c. Ut suprà in contextu.

B. 2.

B. 2. Lib. *Li Ki* seu Rituum tom. 3. cap. *Vam Chi* sic Interpres *Chin Hao*: Imperator singulis quinquenniis, &c. Ut suprà in contextu.

C. 3. Lib. *Tu xe kou kin* tom. 1. artic. *Ven Che*, id est, civiles Magistratus, & artic. *Vu Che*, id est, militares Magistratus. Ibi recenset supradictas in contextu, aliásque multas Sinicæ Monarchiæ præsentis dignitates, atque earum classes & gradus.

D. 4. Vide hîc num. præc. 3. litterâ C.

CAPUT II.

De Administratione Regni.

Regni administratio duplex est, alia togata, alia sagata; sive alia civilis, alia militaris. Nunc de utraque aliquid breviter etiam referamus juxta Sinas.

SECTIO I.

De Civili Regni Administratione.

Quæ faciunt ad civilem Regni administrationem, sunt præsertim Rex, Magistratus, Leges, Institutio, Libri, Musica. De singulis pauca.

Paragraphus Primus.

De Rege.

Quinque sunt quæ in Rege requiruntur:

Primò, Regiminis basis. Hæc est duplex: Prima, est domûs bene ordinatæ disciplina ac concordia, quæ ex probis Patrisfamilias moribus oritur. Si enim Rex verbo & exemplo non possit domum suam bene regere, nec poterit Regnum suum bene gubernare; quia quo honore inserviendum est Parenti, eodem inservitur Regi; quâ reverentiâ obtemperandum est fratribus senioribus, eâdem obtemperatur Magistratibus; & quâ commiseratione aut benignitate imperandum est liberis ac domesticis, eadem imperatur populis (A). Secunda, est ipse Regis animus. Rex enim ex suo ipse animo debet aliorum animos metiri. Quia

Quia quemadmodum norma artifici ad res quadratas efficiendas: ita rectus animus est Regi necessarius ad aliorum animos rectos efficiendos. Si recto animo alios metiatur, facilè omnes sibi devinciet (B).

Secundò, Regiminis Regulæ. Hæ novem enumerantur: Prima, mores ac vitam suam rectè componere, præscriptas abstinentias servando, munditiem colendo, modesto vestitu utendo, nihil indecorum committendo, ut fiat verum aliorum exemplar.

Secunda: Viros sapientes colere, homunciones adulatores arcendo, voluptates rejiciendo, opes parvi pendendo, unam virtutem magni faciendo, ut bonis Sapientum consiliis instructus non erret.

Tertia: Parentes ac consanguineos regios intimo amore complecti, amando quod illi amant, aversando quod illi aversantur, eorum nobilitatem reverendo, census augendo, ut unanimi consensu absque ulla invidia aut indignatione conspirent ad suam dignitatem tuendam.

Quarta: Primos Regni Ministros honorificè tractare, multos illis subalternos Præfectos subjiciendo pro rebus minoribus, ut eorum auctoritate & prudentiâ adjutus in negotiis majoribus, quid statuendum & agendum sit, meliùs discernat.

Quinta: Reliquos Præfectos, ut sua membra spectare, candidè cum iis agendo, largàque stipendia iis adscribendo, ut beneficiorum ac benevolentiæ memores sedulò omnes suas curas intendant in ritè exequendo suo officio.

Sexta: Universos populos, ut filios, curare & amare, levia ab iis vectigalia exigendo, illorúmque operâ dumtaxat utendo, quando ab agricultura vel opere vacant, ut hi gaudentes ipsum, ut Patrem, redament.

Septima: Cujusvis artis & industriæ opifices in suas terras accersere, diligentioribus & peritioribus majus, negligentioribus & imperitioribus minus stipendium distribuendo, ut opes & omnia ad vitam necessaria abundè semper suppetant.

Octava: Advenas, hospites, & externorum Principum Legatos venientes liberali benignitate excipere, redeuntes honore afficere, honorario vexillo ad vitandam remoram aut difficultates in via redeuntes cohonestando, necessaria venientibus suppeditando, eis munia conferen-

ferendo, eos laude prosequendo, ut hi undique in suum Regnum venire, in sua ditione degere, in sua cura servire gestiant.

Nona: Omnes Regni clientelares Principes intra officii sui limites continere, debitum clientelæ obsequium urgendo, abeuntes humanitate & munificentia cumulando, à venientibus pauca munera aut vectigalia admittendo, illorum gloriæ & emolumento prospiciendo, ut hi & suam majestatem revereantur, & suam potestatem timeant (C).

Deinde aliæ regiminis regulæ sunt hæ quatuor: Prima: Princeps sapiens suos consanguineos nec indecorè deserere, nec remissè diligere debet. Secunda: Primis Regni Ministris non debet præbere suâ diffidentiâ irascendi occasionem. Tertia: Nobiles antiquarum Familiarum Posteros, nisi maxima vel improbitatis, vel perfidiæ causa subsit, non debet relinquere inhonoros aut dignitatis expertes. Quarta: Omnimodam in uno homine non debet exigere, aut quærere perfectionem (D).

Tertiò, Regis virtutes. In Rege hæ maximè requiruntur: clara perspicacitas ad cognoscendum totum Regni & rerum statum, liberalis pietas ad conciliandos omnium animos, generosa justitia ad servandas Recti leges, modesta gravitas ad conciliandam sibi auctoritatem, subtilis prudentia ad secernendum vitium à virtute, falsitatem à veritate, simulationem à sinceritate (E).

Præterea requiritur benignitas, sinceritas, diligentia, æquitas. Benignitate omnium animos in se colligit, sinceritate omnium fiduciam ad se attrahit, diligentiâ omnia Regni negotia ad optimum finem perducit, æquitate omnium corda exhilarat (F)

Denique has duas præ ceteris requirit virtutes Memcius penè in toto suo libro, pietatem & æquitatem; pietatem ad miserandos suos subditos, præsertim viduos, viduas, senes, liberis destitutos, orphanos; æquitatem ad docendos suos subditos verbo & exemplo honestatem (G).

Præterea Rex sit diligens in distribuendo suo unicuique officio; non cogat ut injunctum opus fiat præcipitanter, leves culpas facilè condonet (H).

Quartò, Vitia Principis seu Regis. Sunt hæc quatuor: Primum: Qui populum non instruit, & cùm peccat, mox interficit, hic dicitur crudelis. Secundum:

cundum: qui non maturè de opere faciendo præmonet, & mox venit inspecturus, an sit factum, hic dicitur præceps. Tertium: Qui hæsitanter rem fieri jubet, & allapso illius faciendæ tempore, mox acriter urget ut fiat, hic dicitur perniciosus. Quartum: Qui viris bene meritis avarè confert præmium, hic dicitur depositarius (I).

Quintò, Ministrorum & Præfectorum electio. Quod plurimi Regum interest, est habere solertes & sapientes Ministros, qui possint secum Regnum administrare. Rex enim nec potest per se singulis suis Subditis benefacere, nec singulos instruere; sed per suos Ministros & Præfectos id potest; atque hoc dicitur universalis pietas (K).

Deinde quod populus amat, est videre sapientes & industrios viros ad dignitates provectos; insipientes & ineptos à dignitatibus repulsos; contrà, quod populus odit, est videre sapientes & industrios viros à dignitatibus repulsos; insipientes & ineptos ad eas promotos. Rex ergo se debet populi affectui adaptare (L).

Adulatores Præfecti omninò arcendi; hi enim & Regi & Regno sunt origo exitii (M).

Prætereà Rex debet habere primum Ministrum fidum ac rectum, qui noverit tum viros sapientes & industrios sine errore discernere, tum eos sine invidia proponere ad dignitates (N).

Denique Rex habeat unum ex Ministris admonitorem, cujus consilia audiat, & quocum deliberet (O). Olim Rex habebat septem admonitores; hinc fiebat, ut quamvis ipse malè viveret, suum tamen Regnum non amitteret (P).

Sextò, Tributi exigendi ratio. Tributum exigendum suas habet fixas leges; aliud est serici & cannabis tributum, quod æstate; aliud milii & orizæ, quod autumno; aliud publicarum operarum, quod hieme exigi solet. Sapiens & pius Princeps, horum trium tributorum unum dumtaxat singulis vicibus exigit, & alterum in suum tempus differt. Si enim duo simul exigeret, multi egestate & fame perirent; si tria simul, tunc populus dissiparetur, incolæ patrium solum verterent, liberi à Parentibus, mariti ab uxoribus divelli cogerentur, totúmque Regnum vigore destitutum in lapsum rueret (Q).

Moderata tributa Rex à populo exigat, malitque esse minùs dives, quam minùs pius. Statuta olim regula exigendi ab Agricolis tributi,

 erat

erat decimam fructuum partem accipere; atque ita si anni aut steriles, aut fertiles erant, æqualem Rex & populus jacturam vel lucrum subibant (R).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* artic. 9. sic: Quod suprà ait Confucius: *Ad Regnum ritè gubernandum, priùs oportet domum suam pace, concordiâ, pulchro disciplinæ ordine temperare*, his verbis significat quòd solidissima Regni bene gubernandi basis, sit recta domûs benè ordinatæ disciplina, quæ ex probis Patrisfamilias moribus, rectâque ejus vivendi ratione oritur. Siquis enim Paterfamilias morum & vitæ suæ exemplo nequeat domum suam instruere, fieri certè non poterit, ut Regnum valeat instruere. Quocirca Princeps sapiens in id unum debet maximè incumbere, ut tota sua domus optimè sit instructa. Hinc fiet, ut quamvis ipse domo non exeat, absolutissimam tamen toti Regno instructionem felicissimo successu sit traditurus. Quia domus & Regni instructio, eamdem utraque complectitur rationem; quo enim honore inserviendum est Parenti, eodem inserviendum est Regi; quâ reverentiâ obtemperandum fratribus senioribus, eâdem obtemperandum Magistratibus; & quâ benignitate imperandum liberis ac domesticis, eâdem imperandum populis.

B. 2. Idem Lib. ibidem in artic. 10. sic: Quod suprà ait Confucius: *Ubi quis Princeps suum Principatum bene gubernat, potest suo exemplo totum ipsum imperium commovere, componere, tranquillare*, his verbis significat regulam, quà debet uti Princeps sapiens ad bonum regimen, esse suum ipsius animum; ex suo enim animo potest aliorum omnium animos metiri. Unde si ipse pro debito erga superiores obsequio, accuratum Patri & Matri suæ cultum præstiterit, statim omnes sui Principatûs populos ad eumdem cultum exciet. Si ipse pro debita erga seniores reverentia, exactum fratribus suis senioribus honorem detulerit, statim omnes sui Principatûs populos ad eumdem exciet. Si ipse pro debita erga orphanos & pupillos domesticos commiseratione, singularem suis domesticis benignitatem exhibuerit,

rit, statim omnes sui Principatûs populos ad eamdem exciet. Itaque quemadmodum sua est artifici norma, quâ res metitur & quadratas reddit; ita est suus Principi animus, quo aliorum animos metiatur, & rectos efficiat. Metiendi autam aliorum animos modus, est hic: Quod tibi displicet in superiore, noli tu superior imperare inferiori; quod tibi displicet in inferiore, noli tu inferior præstare superiori, &c.

C. 3. Lib. *Su xu che kiaj* tom. 3. in Libr. *Chum yum* artic. 20. sic: Hæ novem generales gubernandi leges sunt omni Imperatori necessariæ: Prima dicitur, suos mores & vitam rectè componere. Secunda, viros sapientes singulari honore afficere. Tertia, Parentes ac consanguineos intimo amore complecti. Quarta, primos imperii Ministros honorificentissimè habere. Quinta, reliquos omnes Præfectos, & dignitatum candidatos, ut seipsum spectare. Sexta, universos populos, ut filios, curare. Septima, cujusvis artis & industriæ opifices in suas terras accersere. Octava, advenas, hospites, & externorum principum Legatos liberali benignitate excipere. Nona, Omnes Imperii Regulos & clientelares Principes intra officii sui limites continere. Si enim Imperator mores & vitam suam rectè composuerit, tunc clarissimum vivendi exemplar, quod omnes imitentur, evadet. Si viros sapientes singulari honore affecerit, tunc eorum consiliis & documentis instructus, nulla in re sive ad vitam suam componendam, sive ad alios regendos spectante errabit. Si Parentes ac consanguineos intimo amore complexus fuerit, tunc Patrui, avunculi, fratres omnes, aliique propinqui unanimi consensu & conatu in tuendâ illius dignitate atque opibus sine invidia ulla aut indignatione conspirabunt. Si primos Imperii Ministros honorificentissimè tractaverit, tunc ubi magni ponderis negotia arduæve difficultates occurrent, eorum potestate, auctoritate, prudentiâ adjutus, quid deliberandum, quid statuendum, quid agendum fuerit, dilucidè discernet. Si reliquos omnes Præfectos ac dignitatum candidatos, ut se ipsum spectaverit, tunc hi in exequendo ritè suo officio omnes vires intendent, ut se gratos erga tantam Imperatoris comitatem ac benevolentiam præbeant. Si universos populos, ut filios, curaverit, tunc hi ingenti lætitia

persusi illum, ut Patrem, redamabunt. Si cujusvis artis & industriæ opifices in suas terras accersiverit, tunc hi omnia, quæ ad vitam sunt necessaria, affatim suppeditabunt. Si advenas, hospites, externorum Principum Legatos liberali benignitate exceperit, tunc hi ex quatuor orbis partibus auditâ virtutis famâ certatim confluent, ut in ejus ditione sedem figant, vel in ejus aula sua præstent obsequia. Denique si omnes Imperii Regulos & clientelares Principes intra officii sui limites continuerit, tunc hi & ejus majestatem reverebuntur, & ejus potentiam timebunt.

Jam verò si velit mores suos & vitam rectè componere: diligenter præscriptas abstinentias servet, munditiem colat, modesto ac gravi vestitu induatur, nihil indecorum, nihil turpe committat. Si velit viros sapientes ad sibi inserviendum exstimulare: detractores homunculos atque adulatores procul à se summoveat, illecebrosas pulchritudines rejiciat, divitias parvi pendat, unam virtutem magni faciat. Si velit Parentes & consanguineos ad mutuum & reciprocum amorem excitare: illorum nobilitatem revereatur, census augeat, simul amet quod illi amant, & simul oderit quod illi oderunt. Si velit primos imperii Ministros ad sedulitatem impellere: multos illis subjiciat Præfectos, quibus possint minoris ponderis res commitere. Si velit reliquos omnes Præfectos & dignitatum candidatos ad suum munus ritè peragendum commovere: sincerè & candidè illos tractet, largísque stipendiis donet. Si velit universos populos ad sui amorem & venerationem allicere: illorum operam commodo tantùm tempore & ab agricultura libero, exigat, leviúque tantùm vectigalia ab illis requirat. Si velit cujusvis artis & industriæ opifices ad laboris fervorem animare: illorum opus singulis diebus inspiciendum, singulis mensibus examinandum curet, diligentioribus paulò plùs, negligentioribus paulò minùs orizæ & carnis in stipendium dari jubeat. Si velit advenas, hospites, externorum Principum Legatos liberali benignitate excipere: illos cùm redeunt, honorario donet vexillo, quo nihil remoræ aut molestiæ in imperii limitibus & fluviorum trajectu patiantur à custodibus; illis, cùm veniunt, omnia quæ sunt ad uniuscujusque statum necessaria, abundè & liberaliter suppeditet; qui vir-

virtute inter illos præstant, eos laude & existimatione prosequatur, & eis juxta cujusque industriam munus conferat; qui autem industriâ carent, eos comitate ac benignitate recreet, nec invitos agere quidquam compellat. Denique si velit omnes Imperii Regulos & clientelares Principes intra officii sui limites continere: qui sine heredibus mortui sunt, propinquiores illorum consanguineos exquirat, & in Defunctorum dignitatem substituat ad colendos suos Majores defunctos, & ad Parentales statis anni temporibus Ceremonias faciendas. Qui ob tumultus & bella Regnum cum vita amiserunt, illorum liberos aut nepotes in paternum Regnum reponat, tumultus sedet, bella extinguat, omnes difficultates ac pericula propulset, regendi artem eos doceat. Deinde jubeat, ut omnes illi clientelares Principes ac Reguli suis temporibus clientelæ obsequium diligenter præstent; nimirum ut singulis annis unum ex inferiori ordine Præfectum, singulis trienniis alium ex superiori ordine in Curiam imperialem mittant; singulis quinquenniis ipsimet veniant, debitum honoris & vectigalis pensum persoluturi. Denique abeuntes omni humanitatis & munificentiæ genere cumulatos dimittat; venientes cum paucis muneribus & vectigalibus admittat.

D. 4. Lib. Sentent. artic. 18. sic: Princeps *Chen Kum* instructurus suum filium *Pe kin*, jure hereditario creatum Regni *Lu* Regulum, sic eum alloquitur: Hæc quatuor potissima Regni fundamenta, menti altè infige: Primum: Princeps, &c. Ut suprà in contextu.

E. 5. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum Yum* artic. 31. sic Doctor *Tsu Su*: Solus ille vir, qui summa & virtute & scientiâ perfectus est, potest sua perspicaci, clara, solerti, docta sapientia Imperium regere; sua liberali, magnifica, benigna, mansueta pietate omnium animos sibi conciliare; sua forti, intrepida, firma, constanti justitiâ inconcussas Æqui ac Recti leges servare; sua gravi, modesta, temperata, vera honestate auctoritatem & reverentiam sibi conciliare; sua subtili, circumspecta, accurata, matura prudentiâ vitium à virtute, falsitatem à veritate, turpitudinem ab honestate secernere.

F. 6. Lib. Sentent. artic. 20. Historicus generatim resumens omnium Im-

Imperatorum *Iao*, *Xun*, *Yu*, *Tam*, *Vu* regimina, sic ait: Itaque ad ritè gubernandum hæ quatuor virtutes in Principe requiruntur: benignitas, &c. Ut suprà in contextu.

G. 7. Lib. *Su xu che kiay* tom. 13. in Libr. 1. Memcii cap. 1. *Leam hoei vam xam* sic alloquitur Memcius Principem *Leam hoei vam*: Itaque si rectè Regnum, Rex, administrare volueris, loquere & cole unam pietatem & æquitatem; ad quid opus loqui utilitatem & lucrum?

Ibidem paulò infrà sic: Quænam ergo virtutes, inquit *Leam hoei vam*, requiruntur ad rectè gubernandum? æquitas & pietas, reponit Memcius. Si enim æquitate & pietate Princeps pacem ac securitatem populo procuret, si illum foveat ut filium, si illi de omnibus ad victum, vestitum, habitationem necessariis prospiciat; tunc omnes ad eum, ut filii ad Patrem, accurrent, nec ullus eos retinere aut avocare poterit.

G. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 14. in Libr. 1. Memcii cap. 2. *Leam hoei vam hia* sic: Princeps *Ven vam* ita olim suum Principatum administrabat: ex agricolis decimam tantùm fructuum partem pro tributo exigebat; defunctorum Præfectorum filiis ac nepotibus congrua stipendia assignabat. In ingressu & egressu Regni, in publicis deponendarum aut extrahendarum mercium tabernis ac foro inspiciebatur tantùm peregrinus advenarum vestitus ac idioma, nè quid damni ab occultis latronibus ac prædonibus pateretur publica tranquillitas: non verò ipsæ merces certo tributo taxabantur. Nemini interdicebatur in publicis piscinis ac lacubus piscatio. In plectendis reis non extendebatur pœna ad reorum uxores, aut liberos. Imò longè adhuc ulteriùs sese extendebat regia ejus pietas. Senes uxore orbati, dicuntur vidui; senes marito orbatæ, dicuntur viduæ; senes liberis destituti, dicuntur soli; pueri Parentibus destituti, dicuntur orphani. Hæc quatuor hominum genera præ ceteris censentur misera & egena; non enim habent apud quem suas miserias ac querelas deponant, nec cujus patrocinio innitantur, aut ad quem confugiant. Ideò quamvis Princeps *Ven Vam* se omnibus pium ac benignum præberet; hæc tamen quatuor hominum genera singulari pietate ac commiseratione complectebatur & adjuvabat.

H. 9. Lib. *Lun Iu* artic. 13. sic: Discipulus *Tsay Ngo* interrogavit Confucium

um de regimine: cui Confucius: Primum, inquit, distribue diligenter suum cuique officium; tunc opus poterit ritè perfici. Leves facilè culpas condona. Sapientes & industrios viros promove.

I. 10. Lib. *Lun yu* artic. sic discipulus *Tsu Cham* interrogat Magistrum suum Confucium: Dic, precor, quænam sunt quatuor Principis vitia? hæc sunt, reponit Confucius: primum: Qui populum non instruit, &c. Ut suprà in contextu.

K. 11. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Libr. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam* sic Memcius: Imperatoris ac Regis maximè interest habere sapientes ac solertes Ministros; & in hoc potissimùm elucet illorum in populos pietas. Facultates egenis distribuere, dicitur beneficentia; sed quonam modo potest Rex eos singulis distribuere? honestatem ignorantes docere, dicitur charitas; sed quonam modo Rex potest singulos docere? hac ergo sola ratione potest Princeps & omnes egenos sublevare, & omnes ignorantes docere, si fidos, sapientes, solertes Ministros habuerit; atque hoc dicitur universalis pietas.

L. 12. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* artic. 10. sic: Omni diligentiâ debet Princeps sapientes viros ad dignitates evehere. Si virum sapientem ac probum videat, nec ad dignitatem evehat; vel si evehat quidem, sed tardè, censetur illum contemnere; contrà, si insipientem & improbum videat, nec à dignitate summoveat aut arceat; vel si arceat quidem aut summoveat, sed non procul, censetur officio suo deesse. Siquidem quod populus amat, est videre sapientes ad dignitates evectos, insipientes à dignitatibus proscriptos. Contrà, quod populus odit, est videre sapientes à dignitatibus proscriptos, insipientes ad dignitates evectos.

Jam verò si Princeps amet quod populus odit, & oderit quod populus amat, naturali certè humani cordis dictamini adversatur; atque ita exacerbatis populi voluntatibus suprema mala haud dubiè in caput suum accerset.

M. 13. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* artic. 10. sic: Quod autem quidam Principes magis suam utilitatem, quàm publicam æquitatem quærant, totíque in exigendis tributis, & corradendis undique opibus occupentur, id provenit ex istis fraudulentis homun-

culis, qui illos vana honoris & publici emolumenti specie deludunt. Ab his igitur magnoperè Principi cavendum est. Si enim illos homunculos ad regimen adhibuerit, confestim una tributa, unas divitias, ut solertiæ & consiliorum suorum metam, spectabunt; atque ita omnium animos exacerbabunt. Hinc innumera tum à cælo, tum ab hominibus mala evenient; & quamvis vel tunc nonnullos adhuc reperias viros sapientes & probos; cùm tamen ipsi tantis malis nec mederi possint, nec medendi modum inveniant, quid proderunt?

N. 14. Lib. *Su xu che kiay* tom. 1. in Libr. *Ta Hio* artic. 10. sic: Ut autem possit Princeps viros sapientiâ ac virtute præditos ad dignitates evehere, debet habere primum Ministrum fidum ac rectum, qui valeat illos dignoscere, seligere, promovere, uti asserit liber Annalium Imperialium *Xu Kim*, ubi Regulus *Mo kum regni cin*, seu *Xen Si* accepta ingenti clade à *Siam Kum* Regulo Regni *Cin* seu *Xan Si*, illati pœnitens belli, sic in comitiis suos Proceres alloquitur: Nunc autem hoc maximè meditor, utrùm possim vel unum inconcussæ virtutis virum, etsi nullis aliis dotibus, quàm magno, pacato, recto animo præditum reperire, qui dum videbit aliquem præclaris dotibus instructum, eum non aliter diligat, ac si ipsemet eas haberet. Dum videbit alium spectabili forma, ingenio, scientiâ excellentem, eo non aliter gaudeat in corde, quàm in ore eum deprædicat; ejusmodi vir posset certè viros ad dignitates aptos, industrios, sapientes seligere ac proponere, meis Posteris Regnum ac populis pacem conservare, optimique Ministri officium agere, ita ut ex illo non mediocris sequeretur utilitas. Si autem habuerim Ministrum suæ industriæ ostentatorem, simulatorem, corde depravatum, qui dum videbit aliquem præclaris dotibus instructum, statim invidiâ & æmulatione correptus illum persequetur; dum videbit alium spectabili formâ, ingenio, scientiâ excellentem, statim illi ita adversabitur, ut non possit à me cognosci, nec apud me accessum invenire; ejusmodi vir certè nullo modo poterit viros ad dignitates aptos seligere ac proponere, nec meis Posteris Regnum, populis pacem conservare; quin imò, ut dicitur, cave tibi ab ejusmodi homine.

O. 15.

Q. 15. Lib. *Su xu che kiay* tom. 16. in Libr. 1. Memcii cap. 4. *Kum sun cheu hia* sic Memcius: Ab omni ævo semper videre fuit, ubi aliquis Princeps grande aliquid moliri meditatus est, cum continuò ad Sapientum consilia confugisse, singularémque illis honorem detulisse; quin imò inter eos semper unum fuisse, quem ad se accersere non audebat; sed siquid exoptabat addiscere circa regiminis modum, vel siquid deliberandum aut consultandum erat circa publicam utilitatem, ipse conscenso curru ad eum pergebat, & eum consulebat. Hic urbanitatis ritus Principem inter & sapientiæ Magistrum semper viguit.

P. 16. Lib. *Siao Hio* cap. 2. artic. 6. sic: Olim Imperator habebat septem admonitores; hinc quamvis ipse malè viveret, suum tamen imperium non amittebat. Regulus habebat quinque; hinc quamvis ipse malè viveret, suum tamen Regnum non perdebat. Primarius Præfectus habebat tres; hinc quamvis ipse malè viveret, suam tamen domum perditum non ibat. Sapientiæ Alumnus unum ex amicis habebat admonitorem; atque ita boni nominis famâ non excidebat. Pater filium habebat admonitorem; atque ita in manifesta scelera non præceps ibat. Idcircò dum Pater in crimina ruit, debet filius Patrem; dum Rex: debet Minister Regem commonere.

Q. 17. Lib. *Su xu che kiay* tom. 26. in Libr. 2. Memcii cap. 8. *Cin sin hia* sic Memcius: Tributi exigendi ordo suas fixas habet leges. Aliud est serici & cannabis tributum, quod Æstate; aliud milii & orizæ, quod Autumno; aliud publicarum operarum, quod Hieme exigi solet. Sapiens Princeps ac pius horum tributorum unum dumtaxat singulis vicibus exigit, & aliud in suum tempus differt. Si horum duo, uno eodémque tempore simul exigeret, multi egestate ac fame perirent; si tria: populus omnis dissiparetur; incolæ patrium solum verterent; liberi ac Parentes à se invicem divelli cogerentur, totúmque Regnum vigore destitutum, in exitium rueret.

R. 18. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Libr. 1. Memcii cap. 5. *Tem ven kum xam* sic Memcius: Quocircà prisci sapientes Principes venerabundam modestiam, & prudentem parcimoniam sedulò servabant. Il-

là modestiâ omnes sive Magistratus, sive populos perhumaniter tractabant; hac parcimoniâ tributum à populo moderatè exigebant; malebántque esse minùs divites, quàm minùs pii, juxta id quod olim aiebat Præfectus *Tam Hu*: Princeps qui vult fieri dives, non potest esse pius; & qui vult pius esse, non potest fieri dives.

Ibidem paulò infrà sic: Quamvis omnes isti Imperatores antiqui pro tributo unam tantùm decimam vel undecimam partem exigerent, modus tamen illud exigendi dictus *Tsou*, sub Imperatoribus Familiæ *Tn* usitatus, longè præstabat & æquitate & benignitate alteri modo dicto *Kum*, qui sub Imperatoribus Familiæ *Hia* servabatur, &c. (vide suprà) modus enim *Kum* quovis anno semper eumdem definiti valoris numerum exigebat; hinc felicibus fertilitatis annis, quando exuberantissimè herbescens seges, à lapis, ut dicunt, pertranseuntibus dejicitur, & copiosissima messis colligitur, quamvis tunc aliquid plus potuisset exigi sine ulla sævitiæ nota, ille tamen modicus præscripti valoris numerus solummodò exigebatur, nec id beneficii loco habebatur. Contrà, infelicibus sterilitatis annis, quando agri sedulò licèt exculti, magnísque sumptibus stercorati, non reddebant plenam & sufficientem messem; tunc etiam completus præscripti valoris numerus omni cum rigore, & cum populi damno ac querela exigebatur, &c. In modo autem tributi exigendi dicto *Tsou*, dum anni erant steriles aut fertiles, Rex & populus æqualem jacturam aut lucrum adibant.

Paragraphus Secundus.

De Magistratibus.

Sex sunt quæ in Magistratibus desiderantur:

Primum, est finis, quem debet sibi Magistratus proponere; hícque debet esse bonum Regni regimen, non suæ paupertatis levamen (A). Pudendum est enim Regis ali stipendiis, & Regni regimen negligere (B). Debet igitur promovere bonum Regni regimen instar fertilis agri, qui facit plantas celeriter crescere (C).

Secundum, est honor, quem Regi præstare tenetur; unde hæc præscribuntur: Præfectus Regem aditurus præmittat præscriptam solitarum

rum rerum abstinentiam, cum uxore non dormiat, corpus lavet, pugillares capiat ad scribendum tum ea, quæ ipse vult Regi dicere, tum ea quæ ipsi Rex dicet; aulicâ veste induatur; totus corporis habitus sit ritè compositus; Regis jussum in sequentem diem non differat. Si nuncium ad Regem mittat, indutus veste aulicâ euntem dimittat, redeuntem descendens ex aula excipiat. Si Rex equum vel currum ei donet, mox illo vectus; si vestem, mox illâ indutus Regem adeat gratias acturus. In palatio & coram Rege accuratam modestiam & venerationem servet (D).

Tertium, virtutes, quas colere debet Magistratus. Sit semper instar meditabundi, gravis ac reverens. Fixè ac pacatè loquatur; noverit esse familiaris & gravis, ut possit & amari & coli. Dum quem amat, non ignoret ejus nævos; dum quem odit, non ignoret ejus perfectiones. Voluptates intra honestatis terminos coarctet; accumulando divitias, noverit eas dispergere; quærendo commoditatem, noverit eam æquitati coaptare; videns opes, nolit eas injustè habere; videns pericula, nolit ea injustè effugere; altercando non quærat victoriam, sed veritatem; partiendo non quærat excessum, sed æquitatem; dubitando, non rem determnet; opinando, non rem affirmet; in vultus specie prodat animi candorem ac sinceritatem (E).

Deinde has quatuor virtutes constanter servet: Venerandam modestiam in suis moribus, exactam diligentiam in Regis negotiis, sollicitam liberalitatem in populi sustentatione, rectissimam æquitatem in subditorum regimine (F).

Deinde hæ etiam quinque in eo requiruntur: gravitas, facilitas, veritas, solertia, beneficentia. Et hæ tres: integritas, cautela, cura (G).

Quartum, vitia, quæ cavere debet Magistratus. Caveat arrogantiam, & aliorum despectum, effrænes libidines, suæ sententiæ obstinationem, in verbis abjectionem ac turpitudinem (H). Caveat à subito excandescentis bilis impetu, à falsificandis autographis, ab iniquis opum quærendarum viis; novi Præfecti non sinant se à suis Ministris irretiri (I).

Quintum, documenta, quæ debet suis populis inculcare Magistratus: hæc sunt præcipua: Pater æquitatem, & Mater benignitatem erga li-

beros., frater senior benevolentiam erga fratrem juniorem, frater junior reverentiam erga fratrem seniorem, liberi obedientiam erga Parentes, maritus & uxor mutuum amorem erga se invicem, vir & femina vitæ diversitatem diligenter observent. Pueri studiis applicentur. In matrimoniis & exequiis celebrandis vicini se invicem adjuvent; rei agrariæ gnaviter vacent; à furtis, ludis, litibus abhorreant; videant nè bonos malitiosè decipiant, aut pauperes opprimant (K).

Sextum, *Regulæ*, quas debet servare primarius Regis Minister. Regem non decipiat, errantem confidenter admoneat, ad res heroicas exstimulet; judicare enim Regem suum rebus heroicis imparem, est verè eum contemnere. Si non possit Regi inservire, ut æquitas postulat, se suo officio abdicet. Postquam uni Regi inservivit, ad alium non transeat (L). Caveat à stimulando Rege ad opes per fas & nefas quærendas, ad bella aliis injustè inferenda (M); vitæ exemplo Regi & aliis præluceat (N).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 22. in Libr. 2. Memcii cap. 4. *Van cham hia* sic Memcius: Adeundi Magistratûs finis, quem vir debet sibi proponere, non est suæ paupertatis levamen, sed bonum Regni regimen. Aliquando tamen potest quispiam inopiâ compulsus, illum adire ad sublevandam suam paupertatem; sicut matrimonii ineundi finis licet sit propagatio sobolis, non acquirendi alimenti utilitas; aliquando tamen potest, qui labore nescit, ad acquirenda alimenta matrimonium inire. Verùm qui ad sublevandam suam paupertatem capessit Magistratum, convenit, ut sublimiores dignitatum gradus à se removeat, subsistendo in humilioribus; & ditiora eorum stipendia rejiciat, pauperioribus contentus; sic enim meliùs poterit suo officio perfungi, & tranquilliorem vitam ducere.

B. 2. Lib. *Lun yu* artic. 10. discipulus *Hien* interrogavit Magistrum suum Confucium quidnam censeret in hoc mundo esse pudendum? sic illi Confucius: sive bene, sive malè Regnum gubernetur, nullâ hujus rei habitâ curâ, unis dumtaxat suæ dignitatis stipendiis comedendis vacare, id certè pudendum est.

C. 3.

C. 3. Lib. *Su xu che kiaj* tom. 3. in Libr. *Chum Yum* artic. 20. sic: Quod præstare decet virum in dignitate constitutum, est omni cum diligentia & celeritate procurare bonum regimen instar fertilis terræ, quæ plantas omni cum celeritate ad debitum incrementum perducit. Hujusmodi autem viri regimen tam facilè suum effectum, quàm juncus & arundo suum incrementum sortitur.

D. 4. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 2. sic: Præfectus, inquit liber Rituum, Regis palatium aditurus, postquam præmisit consuetam variarum rerum abstinentiam, in exterioris aulæ cubiculo pernoctavit, (id est, ab uxore separatus,) corpus & faciem lavit, pugillares à scriba accepit ad scribendum tum ea quæ ipse vult Regi dicere, tùm ea quæ ipsi Rex dicet, aulicam vestem induit, vultum in speculo inspexit num habitus bene quadret, pendulam ab utroque latere supellectilem examinavit, num bene consonet; tunc demum pedem domo efferat.

D. Ibidem sic: Quicumque, inquit liber Rituum cap. *Kio Li*, Regis jussum deferendum accipit, non illud differat in sequentem diem, sed statim deferat. Ubi venerit ad domum destinatam, confestim Herus extra portam profundâ reverentiâ illud excipiat, sèque indignum testetur, ut hoc in suam domum afferatur. Redituro latori rursus extra portam, profundam exhibeat reverentiam. Si verò Præfectus mittat aliquem ad Regis palatium, veste aulicâ indutus abeuntem dimittat; redeunti occurrat ad gradus aulæ domesticæ, ibíque Regis jussum excipiat.

D. Ibidem sic: Si Rex, inquit liber Rituum cap. *Yo Tsao*, vel equum vel currum donet Præfecto, mox illo vectus; si vestem, mox illâ indutus adeat Regis palatium ad gratias agendas. Si Imperator ejusmodi munus Reguli Legato dederit, Legatus redux non ausit, priusquam Regulo illud aut ostenderit aut obtulerit, vehi isto curru vel equo, seu ista veste indui.

D. Ibidem sic: Si Regulus, inquit liber *Lun yu*, Confucium accersebat ad recipiendum Regulum hospitem, mox totus vultus gravitate ac reverentia immutabatur, pésque modestiâ tardus quasi reptabat, &c. Cùm palatii portam subibat, ita venerabundè sese incurvabat, quasi ipsum capere non posset, &c. Dum transibat ante Regu-

guli thronum, mox totus vultus venerationem demonstrabat, lentóque gradu pedes modestè attollebat, & os quasi mutum videbatur.

E. 5. Lib. *Siao Hio* cap. 3. §. 1. sic: Si vir Princeps, inquit liber Rituum cap. *Kio Li*, sit semper gravis ac reverens instar meditabundi, fixéque ac pacatè loquatur, quàm bene populos & reget & pacabit! arrogantiam & aliorum despectum non sinat in se exurgere, effræni libidini non obsequatur, suæ sententiæ arroganter non adhæreat, voluptatem intra honestatis terminos coërceat, noverit esse familiaris & gravis, ut possit & amari & coli; quem amat, &c. Ut suprà in contextu.

Ibidem paulò infrà sic: Tria sunt, inquit Confucii discipulus *Cem Tsu*, quæ sapiens Præfectus plurimi debet facere: Primò, in gestu & corporis motu fugiat omnem aliorum despectum, & arrogantiam. Secundò, in componenda vultus specie, prodat animi candorem ac sinceritatem. Tertiò, in proferendis verbis vitet omnem abjectionem ac turpitudinem.

F. 6. Lib. *Lun yu* artic. 5. Confucius agens de primario Regni *Chim* Præfecto *Tsu Chan* sic aiebat: Virtutes quatuor, quæ in sapiente Præfecto requiruntur, vir ille eximius omninò possidebat; nimirum venerandam, &c. Ut suprà in contextu.

G. 7. Lib. *Lun yu* artic. 17. sic: Discipulus *Tsu Cham* interrogavit Confucius quis dici ac censeri posset pius? qui potest, inquit Confucius, quinque præstare ac servare in ordine ad imperium, hic potest dici ac censeri pius. Quænam, rogo, sunt illa quinque, reponit *Tsu Cham?* hæc sunt, ait Confucius: Gravitas, facilitas, veritas, solertia, beneficentia. Siquis enim sit gravis, despectum non incurret; si facilis, omnium animos sibi devinciet; si verax ac sincerus, illi omnes fident; si solers, negotia perficientur; si beneficus, omnibus poterit imperare.

G. 8. Lib. *Siao Hio* cap. 5. §. 2. Virtutes, inquit Doctor *Liu*, quæ in Præfecto requiruntur, sunt hæ tres: integritas, cautela, cura. Qui harum trium munia callet, is se componendi artem novit.

H. 9. Vide hìc suprà num. 5. litteram E.

I. 10. Lib. *Siao Hio* cap. 5. §. 2. sic Doctor *Hiu*: Juniores novi Præfecti ple-

plerumque in principio à suis fraudulentis Ministris se sinunt incauti decipi ; nec considerant quàm sit exiguum illud, quod eorum ope consequantur. Hinc fit, ut intra illorum Magistratûs triennium nullus sit, qui bis ad eos pro negotio ausit vel velit recurrere. Denique dum Præfectus est lucri & opum avidus, quod ipse obtinet, est valde modicum; & quod Ministri surripiunt, est valde magnum; ac deinde in graves pœnas incurrunt. Annon sanè deplorandi ?

I. Ibidem sic : Præfectus debet inprimis cavere à subita & excandescenti iracundia. Siquid factu difficile occurrat, priusquàm illud definiat, maturè illud perpendat; sic nihil à recta ratione dissonum aget. Si autem irà ebulliens præproperè ad opus evolet, sibi uni, non aliis nocebit.

I. Ibidem sic : Præfectus in rebus agendis unam veritatem spectet. Qui enim v. gr. in aliquo autographo fraudulenter alios characteres substituunt ; diem, mensem vel annum immutant, præteriti judicis sententiam aut sigillum falsificant, vix ex illis millesimum reperies qui non detegatur, sibique gravissimas sceleris pœnas non arcessat.

K. 11. Lib. *Siao Hio* cap. 5. §. 1. sic : Præfectus *Chin*, Gubernator urbis *Sien Kiu* his monitis suum populum instruebat : Vos, quorum mihi cura commissa est, hæc diligenter custodite : Pater æquitatem & Mater benignitatem erga liberos, frater senior benevolentiam erga fratrem juniorem & junior frater reverentiam erga fratrem seniorem, liberi obedientiam erga Patrem & Matrem, maritus & uxor amorem erga se invicè, vir & fœmina vivendi diversitatem servent. Pueri studiis vacent; in publicis oppidi aut vici conviviis urbanitas regnet; in paupertate & ærumna consanguinei sibi invicem opem præstent ; in matrimoniis & funeribus vicini se invicem adjuvent; rei agrariæ sedulam operam dent coloni; omnes à furtis cavete; aleâ & pravis ludis abstinete; lites fugite; nolite vestrâ improbitate freti, probos decipere ; vestris divitiis nixi, pauperes deglutire ; in via senioribus ac superioribus transitum, in agro conterminis colonis terminos lubenter cedite ; juniores non ferant, ut viri jam canescentes onera humeris per vias portent. Si hæc servetis, brevi

præclaros mores, honestatem, æquitatem ubique vigere videbitis.

L. 12. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 2. sic: Primarius Regis Minister, ait Confucius, dum regiam aulam adit, explere omnes sui muneris partes; dum ab ea recedit, Regis culpas resarcire, virtutes imitari; vitia reprimere meditatur. Hinc Rex & Minister mutuum inter se amorem ac benevolentiam fovent.

Ibidem idem sic: Præclarus Regni Minister ille dicendus est, qui juxta æquitatis leges Regi inservit. Si autem juxta æquitatis leges nequeat illi inservire, se suo abdicat officio.

Ibidem sic: Discipulus *Tsu lu* interrogavit Confucium quomodo primum Regni Ministrum oporteat Regi inservire? Regem, inquit, non decipiat; sed errantem confidenter admoneat.

Ibidem Confucius sic: Quomodo sanè viles illi homunculi, qui non publicum, sed suum tantùm quærunt emolumentum, possint Regi inservire? ubi dignitatem, quam ambiunt, nondum adepti sunt, toti anxii timent, ut eam non adipiscantur; postquam adepti sunt, toti anxii timent, nè amittant; quia autem adeò timent nè amittant, ideò nullum est scelus, quod non perpetrent, ut eam conservent.

L. 13. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 2. sic Memcius: Regius Minister, qui suis consiliis & monitis Regem ad ardua & præclara facinora exstimulat, interiori; qui suis reprehensionibus eum ad virtutem excitat & à vitiis deterret, exteriori reverentiâ illum colere censetur. Contrà, qui ait: Rex noster arduis illis Heroum facinoribus gerendis ac tenendo eorum regimini impar est, is Minister verè suo Regi nocere, verè suum Regem odisse censendus est.

Ibidem idem sic: Præfectus si non possit, ut par est & æquitas exigit, fungi suo officio, Magistratum abdicet.

Ibidem sic: Nec fidus Minister, inquiebat *Van Cho*, duobus Regibus inservit; nec casta mulier duobus maritis nubit.

M. 14. Lib. *Su xu che kiay* tom. 24. in Libr. 2. Memcii cap. 6. *Kao tsu hia* sic Memcius: Sapiens Minister debet in Regis obsequio omnes nervos ac vires contendere, ut eum, dum aberrat, in rectam virtutis viam reducat; & efficere, ut omnia quæ Rex meditatur aut molitur, pietati & æquitati congruant. Sed nunc longè alia sunt homi-

minum judicia. Siquis Regius Minister jactabundè dicat: multi, Rex, illic agri steriles & inculti sunt; ego possum efficere, ut diligenti labore exculti, ingentes quotannis fructus tibi, Princeps, reddant, publicúmque ærarium opibus facilè replebo. Hujusmodi ostentator, confestim tanquam fidus & optimus Minister, omnium ore celebratur, qui tamen olim tamquam patriæ prædo & populi pestis, horrori & odio habitus fuisset. Ubi enim Rex nec pietatem, nec æquitatem spectat: siquis Minister per fas & nefas illum ditare conetur, hic dicitur velle alterum *Kie* omnibus exosum ditare. Deinde ecce alius tumido ore: ego, inquit, possum, Rex, tibi omnium vicinorum Principum amicitiam conciliare, bellíque fœdus ac societatem inire; & si pugnare oportuerit, ausim tibi certam victoriam polliceri. Hujusmodi ostentator, nunc tamquam fidus & optimus Minister habetur, qui tamen olim patriæ prædo ac populi pestis habitus fuisset. Ubi enim Rex nec pietatem, nec æquitatem spectat, si quis Minister per fas & nefas eum potentiorem formidabiliorémque reddere conatur, hic dicitur velle alterum *Kie* feritate immitem roborare.

N. 15. Lib. *Su xu che kiay* tom. 25. in Libr. 2. Memcii cap. 7. *Cin sin xam* sic Memcius: Quadruplex maximè est hominum genus qui Regibus inserviunt. Primò, sunt ii, qui postquam mille artibus & curis Regis obsequium adepti sunt, id unum spectant, ut placeant; & blando vultu, fictâ oris specie, assentatione Regem, quamvis aberrantem, delectent. Secundò, sunt ii, qui uni Regni tranquillitati prospiciunt, & hi in quærendo Regni bono tam sunt solliciti, quàm illi in Rege oblectando; & ideò vocantur Ministri, regionis & frugum protectores. Tertiò, sunt ii, qui vocantur Cæli homines. Hi si prævideant sua dignitate se posse imperio prodesse, suámque de rectè regendi ac vivendi arte doctrinam tam Regi, quàm populis profuturam certò sciant, tunc Magistratum capessunt, & operi manum admovent; sin minus: sæculum fugiunt, & privatam vitam ignoti agunt. Quartò denique, sunt ii, qui Heroës dicuntur. Hi vitam ac mores suos ad amussim componunt, suóque exemplo ac famâ tum Regem, tum populum ad sui imitationem pertrahunt, omnibúsque virtutem instillant.

Paragraphus Tertius.
De Legibus.

PRimò, *Legum Necessitas.* Quemadmodum circinus & norma ad fabrilem artem, & fistulæ directrices ad Musicam; ita leges ad Regni regimen sunt necessariæ (A). Leges & Musicam solus Rex potest sancire. Ut possit autem eas sancire, debet insigni & scientiâ & virtute pollere; & ipse in iis servandis, debet exemplo suo populis prælucere (B).

Secundò, Leges antiquæ generales. Regulus Principatûs *Ki*, has novem regiminis leges olim proposuit Imperatori *Vu Vam*, veluti jam pridem à Cælo traditas Principi *Yu*; sed de modo saltem, quo dicuntur traditæ, videtur aliquid fabulosum ab Interpretibus referri. Novem istæ leges sunt sequentes:

Prima: Debet Rex ritè ordinare usum quinque primariorum Principiorum universalium (scilicet aquæ, ignis, ligni, metalli, terræ,) juxta ipsorum proprietates. Aquæ autem proprietas est humefactio & descensus; ignis proprietas est calefactio & ascensus; ligni proprietas est curvitas & rectitudo; metalli proprietas est liquefactio & durities seu mutatio; terræ proprietas est frugum fœcunditas. Ex his quinque oriuntur quinque saporum genera; sapor salsus, amarus, acidus, asper, dulcis.

Secunda: Debet Rex procurare has quinque virtutes; corporis majestatem, verborum rectitudinem, intuitûs claritatem, intellectûs, capacitatem, cogitationum seu consiliorum subtilitatem.

Tertia: Hæc octo ad populorum vitam spectantia, ritè disponenda sunt: videlicet agricultura, mercatus, Spirituum cultus, publicorum operum Magistratus, Institutionis seu scholarum Præfecturæ, justitiæ tribunal, hospitum Ritus, militiæ disciplina.

Quarta: Hæc quinque ad tempus spectantia, accuratè distribuenda: annus, mensis, dies, motus constellationum, lunæ atque solis, Kalendarium.

Quinta: Rex debet esse suis Subditis, verbo & exemplo perfectum vivendi exemplar, bonos compensando, malos arguendo vel puniendo, omnes docendo. Perfecti Regis documenta, sunt rectæ rationis præcepta,

pta, adeóque supremi Domini seu *Xam Ti* documenta. Supremus enim Dominus *Xam Ti* non loquitur, sed Rex pro illo loquitur.

Sexta: In regimine hæ três virtutes servandæ: rectitudo, fortitudo, mansuetudo. Deinde quoad victum, auctoritatem, honorem & majestatem, reluceat major excellentia in Rege quàm in Magistratibus.

Septima: In rebus dubiis jacienda sors, ut sciatur Cæli voluntas ad fugiendum malum, vel faciendum bonum; (hinc fortè dici possent istæ antiquæ sortes non divinatoriæ, sed consultoriæ, quæ olim in quibusdam casibus licitè usurpatæ fuerunt.) Deinde Interpretes referunt quòd istæ sortes jaciuntur vel cum calamis pullulantissimæ herbæ *Xi*, per combinationem notarum symbolicarum libri *Ie Kim*, de quo mox infrà; vel cum testudine assata per inspectionem humoris, splendoris, obscuritatis, venarum rectarum & transversarum; sed an iste idem sortis jaciendæ modus olim fuerit usitatus, non satis liquet. Videntur Sinæ olim priùs determinâsse ac statuisse quid juxta rectam rationem aut sibi agendum, aut omittendum foret; & tunc tantùm sortes jecisse ad tranquillandos populorum animos. Sed hæc omnia sat incerta, & apud ipsosmet libros Sinicos controversa.

Octava: Sæpe cogitandum est, quòd ex vita vel bona vel mala pendeant & oriri soleant Cæli effectus: pluvia, serenitas, calor, frigus, ventus, diversimodè vel per defectum vel per excessum suis temporibus advenientia. Quamvis autem, ait Interpres infrà citatus, istam dependentiam unius cum altero, sive istam dependentiam Cæli effectuum ab hominis actionibus habitam applicet liber ad singula nominatim; tamen id generatim intelligendum est.

Nona: Excitandi Magistratus & populus ad amplectendam virtutem, propositis his quinque bonis: longâ vitâ, opibus, interna & externa pace, honestatis pulchritudine, finalis virtutis perfectione; & ad fugiendum vitium, propositis his sex malis: morte præmaturâ, morbis, mœrore, paupertate, improbitatis consuetudine, probitatis difficultate (C).

Tertiò, Leges modernæ particulares sic: Particulares leges, quæ pro hoc præsentis Imperii Tartaro-Sinici regimine sunt stabilitæ, continentur in magno Codice, diviso in sex tomos & triginta Capita, dicto *Ta cim liu, seu leges*

Imperii magnæ limpitudinis. Primò, ponuntur quædam leges communes pro variis delictis, delictorúmque circumstantiis. Deinde assignantur leges pro singulis sex supremis Tribunalibus Curiæ, scilicet Officiorum, Ærarii, Rituum, Militiæ, Justitiæ, Ædilis seu publicorum Operum, totum Imperium administrantibus, præter appendicem aliquot Statutorum recentium.

Primi Tribunalis leges sunt pro distributione Magistratuum, & recta muneris administratione.

Secundi Tribunalis, pro personarum, agrorum, domuum tributo, pro matrimoniis, pro publicis horreis & ærariis, pro mercibus & fori contractibus.

Tertii Tribunalis, pro spirituum, & hominum Defunctorum cultu, pro vetandis Sectariorum & divinatorum pravis artibus, pro communibus urbanitatibus, pro exequiis, pro publicis conviviis.

Quarti Tribunalis, pro Regii palatii custodibus, pro militibus, pro castris, pro exercitûs profectione, pro fluviorum trajectu, pro equilibus, pro Cursoribus.

Quinti Tribunalis, pro furtis, læsionibus, homicidiis, rixis, imprecationibus, litibus, munerum acceptionibus, falsificationibus, fornicationibus & aliis sceleribus, pro reorum comprehensione & carcere.

Sexti Tribunalis, pro ædificiis, opificiis, fluviorum exundationibus, &c.

Omnes hæ leges in 459. Articulis comprehenduntur (D).

Quartò, pœnarum genera. Nunc pro puniendis delictis ordinariæ sunt hæ quinque pœnæ: Prima, dissectarum cannarum, vel flagellorum ictus 10. 20. 30. 40. 50. Secunda, eorumdem ictus 60. 70. 80. 90. 100. Tertia, exilium unius anni, sesquianni, duorum annorum, duorum annorum cum dimidio, trium annorum intra delinquentis aut Rei Provinciam. Quarta, exilium 2000. 2500. 3000. stadiis Sinicis distans à patria delinquentis, vel in Tartariam relegatio. Quinta, mors, vel strangulatio vel decollatio. Aliquæ harum pœnarum possunt pecuniâ redimi, v. gr. cannarum verbera (D).

Olim verò alia quinque erant pœnarum genera, scilicet narium abscissio, pedis amputatio, nigra fronti insculpta nota, castratio, mors (E). *Quin-*

Quintò, Judicum Vitia. Sunt hæc quinque præcipuè: Metu Potentûm, justitiam omittere; vindictæ ardore justitiam exercere; mulierum verba audire; pecuniâ aut muneribus corrumpi; intercessiones admittere (F).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 19. in Lib. 2. Memcii cap. 1. *Li leû xam*: Cùm videret Mencius unumquemque Principem pro suo libitu particularem regendi modum instituere, neglectis antiquorum Imperatorum legibus ac Statutis; stimulatus zelo publicæ disciplinæ sic loqui exorsus est: quemadmodum artifex etsi oculorum acie celebrem virum *Li Leu*, & manuum industriâ celebrem virum *Kum Xu* adæquârit; tamen absque circino vel normâ non potest opus suum in figuram circularem vel quadratam accuratè efformare. Simili modo quemadmodum Musicæ Præses etsi aurium judicio adæquârit celebrem Musicum *Su Quam*; tamen absque Magisterialibus variarum duodecim fistularum longiorum & breviorum sex regulis, non potest quinque Notarum musicarum modos ritè distinguere, aptóque concentu temperare; ità Rex licet moribus & vitâ fuerit alter *Iao* & *Xun*, si tamen debitas pietatis, quâ populorum vitam fovere & mores instruere oportet, leges ab antiquis traditas ac sancitas nec adhibuerit nec servaverit in regimine, numquam poterit animos in viam virtutis & pacis adducere, totúmque Regnum pacare ac ritè componere.

B. 2. Lib. *Su xu che kiay* tom. 3. in Libr. *Chum Tum* art. 28. sic: Nisi quis Regis aut Imperatoris dignitatem habuerit, non potest publicorum Rituum leges sancire, statas domuum, curruum, vestium, vasorum formas præscribere, dubios litterarum characteres dijudicare. Ideò nunc in toto Chinæ Imperio curruum vestigia sunt eadem, litterarum characteres iidem, Rituum leges eædem; & hæc, prout fuerunt ab antiquis Imperatoribus sancita, perseverant, nec ullus huc usque ausus est immutare. Sed licèt quis habeat Regis dignitatem, si tamen non habeat Sapientis virtutem; aut contrà, licèt quis habeat Sapientis virtutem, si non habeat Regis dignitatem, non potest Rituum leges, ac Musicæ modos instituere.

Ibid.

Ibid. artic. 29. sic: Itaque siquis Rex seu Imperator hæc tria maximi ponderis negotia, Rituum leges, opificiorum formas, litterarum characteres studiosè curet, tunc omnis populus paucas committet culpas. Porrò ad hæc tria ritè sancienda, opus est, ut quis requisitam & dignitatem & virtutem, ac tempus habeat, &c. Ut autem horum trium felicem exitum à populis impetret, debet ipse in eorum observatione, illis exemplo prælucere, &c. Hinc fit, ut sapientis Principis gesta, verba, Statuta sint omnium sæculorum exemplar ac norma; remoti populi illum desiderent, vicini non fastidiant.

C. 3. Lib. *Xu Kim* tom. 4. cap. *Hum Fan*, id est, *magnæ regulæ seu magnæ leges*. Ipsummet Capitulum *Hum Fan*, hìc appono, & sic habet:

Cum Princeps seu Imperator *Vu Vam* post 13. annos, debellato Prædecessore *Cheu*, obtinuisset Imperium, his verbis interrogavit Regulum Regni sive Principatûs *Ki*: Eheu! Cælum quidem occulta virtute populos stabilit, eósque ad simul cohabitandum colligit & adjuvat; sed ego quonam modo dirigendus ac componendus sit universalis humanæ conditionis ordo, ignoro. Tu, quæso, me edoce. Tum Regulus Regni *Ki* sic ait: Ego audivi Principem *Quen* olim jussum ab Imperatore *Yao* reprimere debacchantes diluvii aquas, eis vallum & aggeres objecisse, atque ita primum ordinem quinque Elementorum seu universalium Principiorum, quem cæli Dominus disposuerat, perturbâsse. Hinc cæli Dominus vehementi irâ exarsit, nec illi novem magnarum regularum seu legum species tradidit, sicque ille universalis humanæ conditionis ordo decidit. Postquam morte mulctatus fuit Princeps *Quen*, filius *Yu* illi successit, aquásque debacchantes naturali cursu per canales in mare deduxit, atque inundationes sedavit. Et tunc Cælum illi magnarum regularum novem species elargitum est, hísque universalis seu naturalis humanæ conditionis ordo refloruit.

Prima harum novem specierum fuit: Quinque elementa, sive quinque primaria rerum Principia bene ordinare, nempe eorum usum. Secunda: Quinque res, quæ spectant ad mores, diligenter curare. Tertia: Octo res, quæ ad hominis vitam conducunt, ritè disponere. Quarta: Quinque res, quæ ad tempus spectant, accuratè distribuere. Quinta: Absolutum Regis perfecti exemplar

præ-

præbere. Sexta: Trium virtutum usum temperare. Septima: Res dubias clare examinare. Octava: Effectuum secuturorum turbam attentè cogitare & perpendere. Nona: Hortari ad quinque bona, & deterrere à sex malis. Nunc de singulis.

Prima species, sunt primaria & universalia quinque rerum Principia, quarum usum juxta cujusque naturam ac proprietates debet Rex ritè ordinare. Primum, est aqua; secundum, ignis. Tertium, lignum. Quartum, metallum. Quintum, terra, seu humus. Aquæ proprietas est humefactio & descensus; ignis, calefactio & ascensus; ligni, curvitas & rectitudo; metalli, liquefactio & durities seu immutatio; terræ, frugum quæ seruntur & metuntur, fœcunditas. Ex aquæ humefactione & descensu oritur salsedo; ex ignis calefactione & ascensu, amaror; ex ligni curvitate & rectitudine, acor; ex metalli liquefactione & duritie, seu ex metalli immutatione, asperitas, sive sapor asper; ex terræ fœcunditate, dulcedo.

Secunda species, sunt quinque res, quæ ad componendos mores spectant: prima, corporis forma; secunda, loquela; tertia, aspectus; quarta, auditus; quinta, cogitatio. Corporis formæ virtus, est majestas; loquelæ, rectitudo; aspectûs, claritas; auditûs, intelligentia; cogitationis, subtilitas. Majestas parit reverentiam, rectitudo directionem, claritas prudentiam, intelligentia recta consilia, subtilitas rerum perfectam notitiam, seu sapientiam.

Tertia species, sunt octo res ad hominis vitam spectantes, quas Rex debet studiosè curare ac ritè disponere. Prima, est victus; secunda, merces; tertia, cultus Spirituum, & parentationes; quarta, publicorum operum, & rei agrariæ Magistratus; quinta, doctrinæ ac morum Magistratus; sexta, Justitiæ Magistratus; septima, hospitum Ritus; octava, militia.

Quarta species, sunt quinque res ad tempus spectantes, quas Rex debet exactè distribuendas curare. Prima, est annus; secunda, mensis; tertia, dies; quarta, stellarum longitudines, latitudines, solisque ac lunæ duodecim conjunctiones, seu duodecim domus cœlestes; quinta, Kalendarium, & Tabulæ astronomicæ.

Quinta species, est absolutum Regis perfecti exemplar. Dum Rex absolutum & vitæ & morum regiminis exemplar edit, tunc quin-

tuplex bonorum genus in se colligit, populis trans[illegible]. Unde omnes istius temporis populi imitantes summam Regis perfectionem & exemplum, eum vicissim etiam adjuvant. Quòd nec in populo prava regnent consortia, nec in Magistratibus pravæ factiones, id maximè profluit ex perfecto Regis exemplo. In populo alii sunt mentis perspicaciâ, alii actionis vivacitate, alii disciplinæ rigore præditi; hos Rex debet sæpè cogitare, ut ad perfectionem exstimulet. Alii sunt, qui licèt istam majorem perfectionem non attingant, non audent tamen culpas ac crimina committere, hos Rex debet suscipere, fovere, instruere. Posteà si hilares proficiant, imò & verbis & factis ostendant se virtutem diligere, Rex illis Magistratus conferat; absolutum certè Regis exemplum optimè imitabuntur, sectabuntur, adjuvabunt. Pauperes & orphanos non premat; potentes & illustres non timeat. Si aliqui inter Præfectos sint habiles, perspicaces, activi, illos ad profectum excitet; atque hoc modo Regnum florebit. Quia autem Præfecti dum opibus honestè affluunt, melius virtuti vacant; ideò caveat, nè non habeant stipendia ad honestam suæ domûs sustentationem sufficientia; alioqui daret illis peccandi occasionem. Quoad illos, qui virtutem non amant, si illis Magistratum aut stipendia conferat, utetur malis ad malum. Deinde Magistratibus ac populis hanc versuum odam addiscendam & cantitandam commendet: *Qui non tortuosè, nec claudicanter incedit, is colit Regis nostri mentem; qui non sequitur pravam voluptatem, is colit Regis nostri viam; qui non sequitur pravam iram, is colit Regis nostri iter. Dum abest tortuositas & factio, Regis nostri via fit amplissima; dum abest factio & tortuositas, Regis nostri via fit æqualissima; dum abest oppositio & declinatio, Regis nostri via fit rectissima.* Atque hoc dicitur unire extremam perfectionem, & redire ad extremam perfectionem. Ista summæ seu extremæ perfectionis doctrina à Rege tradita, est communis rectæ rationis ordo, & magna totius orbis instructio; hoc non Regis, sed cæli Domini est documentum. Dum igitur omnis populus hanc ultimæ perfectionis doctrinam cantitare solebit, sensim instruetur, & ab instructione transibit ad opus; & per hoc, Regis splendori approximabit, dicétque: Rex noster in Regni regimine verè noster Pater & Mater est.

Sen-

Sexta species, sunt tres virtutes in regimine servandæ: Prima, dicitur vera honestas; secunda, victrix fortitudo; tertia, victrix mansuetudo. Ubi habetur pacis concordia, ibi vera honestas; ubi immutabilis constantia, ibi victrix fortitudo; ubi accommoda moderatio, ibi victrix mansuetudo; nimirum fortitudo pusillanimitatem, mansuetudo audaciam debet vincere. Auctoritas ergo, potestas, majestas, præmiorum largitio, pœnarum inflictio, victus splendidior, est quid proprium solius Regis; ista Magistratui seu Vasallo non licent. Præfectus, qui ista sibi usurpat, domui suæ damnum & Regno perniciem importat. Si enim Præfecti nec recti, nec æqui fuerint, mox populi libidine etiam excæcati, suæ conditionis & officii limites transgredientur.

Septima species, est rerum dubiarum examen. (Id est, ait interpretatio Imperatoris *Kam Hi*, examinare Cæli legis bona vel mala ad determinandam hominis actionem.) Rex eligat ac statuat certos Præfectos ad jaciendas sortes, & data occasione eas jaci jubeat. Hæ sortes dicuntur: prima, pluvia seu humiditas; secunda, claritas seu serenitas; tertia, obscuritas; quarta, dispersio; quinta, transversio; sexta, firmitas, (seu pars inferior symboli ænigmatici, dicti *Qua*, id est, tres lineolæ inferiores symboli); septima, mutabilitas, (seu pars superior ejusdem symboli, id est, tres ejus superiores lineolæ.) Universim sunt septem; quinque fiunt per conjecturas, (nempe quinque primæ); duæ (nempe ultimæ) per figuras seu symbola. Harum ope, actionum defectus evitantur. Dum sors jacienda est, jube illam à tribus, quos constituisti, Præfectis jaci; si non concordant tres simul, sequere quod duo dicunt. Occurrente magni ponderis negotio, quod dubium parit, primò te ipsum consule, deinde tuos Præfectos, posteà populum, postremò sortes. Si tu, si sortes testudinis, si sortes herbarum *Xi*, si Præfecti, si populus suffragentur actioni, id dicitur magna concordantia; ac proinde agendo, tibi & tuis Posteris proderis. Deinde si tu & sortes suffragentur, sed Præfecti & populus refragentur, etiam tunc bonum est, seu potes agere. Si Præfecti & sortes suffragentur, sed tu & populus refragemini, etiam tunc bonum. Si populus & sortes suffragentur, sed tu & tui Præfecti refragemini, etiam tunc bonum.

Si tu & sortes testudinis suffragentur; sed sortes herc[illegible] Praefecti, & populus refragetur, bonum agere res ad domum [illegible] (utpote res minoris momenti); non verò res ad Regnum spectantes. Si sortes & testitudinis & herbarum *Xi* simul refragentur, tunc bonum est quiescere, seu non agere; malum, agere.

Nota: Quoad has sortes, an sic olim in usu fuerint, potest sanè dubitari, maximè cùm ibidem dicat Interpres *Isay Xin*, à tempore Confucii huc usque libros de illis tractantes non fuisse posteritati transmissos; adeóque ista regula regiminis, inter incertas videtur annumeranda.

Octava species, est effectorum multitudo, scilicet pluvia, serenitas, calor, frigus, ventus. Hæc quinque dicuntur tempus. Si unumquodque eorum juxta suum ordinem ac suam anni tempestatem perfectè advenerit, tunc maxima herbarum, frugum, aliarúmque rerum ubertas abundat: si autem illorum unum vel per excessum vel per defectum aberraverit, tunc calamitas exurgit. Hæc effecta tum bona tum mala diversis hominum moribus, ista sibi attrahentium respondere solent. Bona effecta virtuti respondentia sic: Venerandæ vultûs modestiæ, respondet opportuna pluvia; verborum moderationi, opportuna serenitas; prudentiæ, opportunus calor; rectis consiliis, opportunum frigus; sapientiæ, opportunus ventus. Contrà verò, mala effecta vitiis respondentia sic: corporis immodestiæ respondet frequens seu nimia pluvia; verborum dissolutioni, crebra seu nimia serenitas; imprudentiæ, creber calor; præcipitationi, crebrum frigus; insipientiæ, creber ventus. (Interpretatio Imperatoris *Kam Hi* ad hunc textum sic ait: Ista hominis actionum, & Cæli effectuum correspondentia, non debet sic intelligi, ut unum uni singillatim correspondeat; sed generatim intelligenda est). Itaque Rex, unius anni; primarii Curiæ Præfecti, unius mensis; reliqui Magistratus, unius diei, effecta examinent. Dum annus, mensis, dies suam constanter temperiem servant, tunc frugum maturitas habetur, Regni regimen floret, idonei viri in dignitatibus fulgent, domus tranquilla pace gaudent; dum autem non servant: tunc frugum maturitas non habetur, Regni regimen squallet, idonei viri non promoventur, domus pace & concordiâ

carent.

carent. Quod attinet ad populos: quemadmodum ſtellæ fixæ à Cælo pendent, ita illi pendent à Rege & Magiſtratibus. Stellæ aliæ ventos, aliæ pluvias amant; ita viri plebei, alii victum, alii veſtitum deſiderant. Ex motûs ſolis & lunæ revolutionibus habetur hiems & æſtas; & luna juxta diverſas conſtellationes ad quas appellit, ventos aut pluvias excitat. Ita nempe Rex & Magiſtratus.

Nona ſpecies, ſunt quinque bona; ſcilicet ætas longæva, opes, valetudo, ſeu interna & externa pax, amor virtutis, finalis honeſtæ vitæ perfectio: & ſex mala; ſcilicet mors præmatura, morbi, mœror, paupertas, effrænata malitia, ſeu audaciæ præſumptio, puſillanimitas.

D. 4. Liber *Ta cim liu*, id eſt, leges Imperialis Familiæ *Ta cim*, ſeu magnæ limpitudinis, nunc regnantis. Vide ſuprà in contextu.

E. 5. Liber *Hiao Kim*, id eſt, filialis Obſervantiæ cap. 11. ſic Confucius: Quamvis recenſeantur ter mille delictorum ſpecies, quæ quinq; pœnarum generibus, ſingulæ ſingulis ſubjacent, nullum tamen delictum majus eſt filiali inobedientiâ. Deinde ibidem Interpres ſic: Quinque pœnarum genera ſunt hæc: Abſciſſio narium, &c. Ut in contextu.

F. 6. Lib. &c. Ut ſuprà in contextu.

Paragraphus Quartus.

De Inſtitutione.

HUnc Paragraphum in duo puncta dividemus. In primò agemus de Inſtitutione in genere. In ſecundò de Inſtitutione in ſpecie, id eſt, de Scholis, juxta Sinas.

PUNCTUM I.

De Inſtitutione in genere.

PRima: *Neceſſitas Inſtitutionis*. Poſtquam populi victu, veſtitu, habitatione commodâ bene communiti ſunt, niſi bonos mores edoceantur, in omnia vitia facilè præcipites ruunt, nec poſteà à brutis multùm diſcrepabunt. Ideò olim Imperator *Tao* juſſit fratrem ſuum

gie, tradendæ bonorum morum disciplinæ præsidere, illique præcepit, ut in primis ritè explicaret quinduplicem humanæ conditionis magnum & universalem ordinem, scilicet amorem qui inter Patrem & filium, æquitatem quæ inter Regem & Subditum, diversitatem quæ inter maritum & uxorem, subordinationem quæ inter seniorem & juniorem, veritatem quæ inter amicum & amicum debet intercedere (A).

Secunda, Objectum Institutionis. Natura rationalis, est Cæli lex, nempe in actu primo; naturæ rationalis dictamen, est via, seu recta agendi via; hujus viæ directio seu instructio, est recta vitæ disciplina, seu rectè vivendi præcepta; ac proinde rectè vivendi præcepta sunt objectum Institutionis. Unde recta docendi ac discendi via, est sequi Cæli legem, ut vitæ ducem; & priscorum Sapientum documentis ac præceptis adhærere, ut normæ (B).

Tertia, Partes Institutionis. Institutionis partes sunt ordo, virtutes, personæ, actiones. Institutionis ordo est ille, qui inter Regem & Subditum, Patrem & filium, maritum & uxorem, seniorem & juniorem, amicum & amicum intercedit. Ejus virtutes sunt pietas, æquitas, honestas, prudentia, veritas. Ejus personæ, sunt Litterati, Agricolæ, Artifices, Mercatores. Ejus actiones, sunt Ritus, Musica, Leges, Regimen. Hisce homo potest & seipsum componere, & alios regere; unde pax in Regno, rectitudo in animo emanat (C).

Quarta, Praxis Institutionis. Primo & decimo quinto cujusque mensis die, omnes urbium Præfecti tum civiles tum militares cum ipsomet Pro-Rege, si illic adsit, conveniunt in loco publico, ubi coram ipsis ac populo unus aut alter articulus ex sedecim, qui ab hoc Imperatore *Kam Hi* vel ejus Patre præscripti sunt, primùm à pueris designatis decantatur, & deinde à duobus populi Senioribus, explicatur. Præfati sedecim articuli sunt hi:

Primus: Studere filiali & fraternæ observantiæ ad magnificiendum humanæ conditionis ordinem.

Secundus: Colere Parentelam ad patefaciendam mutuam concordiam.

Tertius: Servare pacem cum vicinis & concivibus ad eliminandas contentiones & accusationes.

Quar-

Quartus: Plurimi facere rem agrariam & bombycinam ad suppeditandum victum & vestitum.

Quintus: Amare frugalitatem ad parcendum opibus & sumptibus.

Sextus: Multiplicare scholas ad componendos virorum litteratorum mores.

Septimus: Proscribere pravas Sectas ad colendam veram doctrinam.

Octavus: Explicare Regni leges ad commonefaciendos rudes & procaces.

Nonus: Callere Ritus & urbanitates ad observandum morum decorem.

Decimus: Vacare suo proprio muneri ad firmandam populi voluntatem.

Undecimus: Instruere liberos & fratres ad impedienda illorum delicta.

Duodecimus: Compescere fraudes, lites, falsas accusationes ad conservandam ingenitam cordis rectitudinem.

Decimus tertius: Cavere ab abscondendis fugitivis ad vitandam criminis participationem.

Decimus quartus: Solvere Regis vectigalia ad vitandas exactorum molestias.

Decimus quintus: Cogere vicinitatem ad propulsandos prædones.

Decimus sextus: Abstinere à rixis & inimicitiis ad magnificiendam hominis vitam (D).

Quod attinet ad duas Chinæ Sectas idololatricas *Fe* & *Lao*: Sinæ litterati dicunt eas fundamento & veritate carere; perniciosè totam veritatem confundere ac pervertere (E). Dicunt quòd excæcent hominum corda, bono regimini noceant, nec possint suos Sequaces servare ac beare, ut patet in Imperatoribus *Hoej Tsum* & *Vu Ti*, qui illis addictissimi, miserè perierunt (F).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Siao Hio* cap. 1. sic: Postquam, inquit Memcius, populi & copioso victu, & calido vestitu, & commodà habitatione bene communiti

niti sunt, nisi bonos mores edoceantur, facilè in quaslibet pravarum cupiditatum illecebras ruunt, nec postea à brutis multùm discrepant. Ideò sapientissimus Imperator *Yao*, hujus damni malo commotus, constituit fratrem suum *Sie* tradendæ morum disciplinæ Præsidem, præcepitque illi, ut in primis traderet quintuplicem humanæ conditionis magnum ordinem, scilicet amorem, &c. Ut suprà in contextu.

B. 2. Lib. *Siao Hio* cap. 1. in principio sic: Cæli lex, inquit Doctor *Tsu Su*, est ipsa natura (nempe rationalis, ut in libro *Ta Hio* dicitur, agendo de homine); hujus naturæ ductus, est via, seu recta agendi via; hujus viæ directio sive instructio, est recta vitæ disciplina, vel rectè vivendi præcepta. Ego igitur (id est, Doctor *Chu Hi*, libri auctor) hanc lucidam Cæli legem, ceu doctrinæ ducem, sequendo; & priscorum Sapientum documentis ac præceptis, ceu normæ, inhærendo, sequens primum capitulum, quo & Magistri rectam docendi, & discipuli rectam discendi viam cognoscerent, conscribendum judicavi.

C. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 4. in Libr. *Lun yu* artic. 2. sic: Sapientum doctrinæ & Institutionis ordo est ille, qui &c. Ut suprà in contextu.

D. 4. Lib. *To Xu*, seu Instructoris liber sic in principio: Imperator *Hum Vu* anno tertio sui Imperii, lunatione seu mense lunari nono, jussit supremum Tribunal ærarii edere Decretum, quo præscribitur, ut in omni pago vel oppido constituatur unus populi Instructor; aliquis nempe senior eligatur, qui assumptâ companulâ in viis, plateis ac compitis hæc prædicet: obedite Patri & Matri; revereamini seniores & superiores, servate concordiam in oppidis & pagis; instruite vestros liberos ac nepotes; unusque habeat artem, quâ pacatè vivat; nolite perpetrare quidpiam criminosum aut indecens, &c. Et paulò infrà sic: Reverenter igitur Imperatoris Decretum servate. Uniuscujusque mensis lunaris die 2. & 16., seu post plenilunium primo, oppidi vel urbis Instructores convocent omnes primarios viros, Præfectos, litterarum Magistros, & coram omnibus clarè explicent Sapientum doctrinam, & honestam vivendi rationem.

D. 5. Libellus *Xim yu xe lo tiao*, id est, sedecim articuli excellentium documentorum, nempe Imperatoris. Primus, studere filiali & fraternæ observantiæ, &c. Ut suprà in contextu.

E. 6.

E. 6. Lib. *Chuin Tam* in Procemio sic Interpres *Chu Hi*: Mortuo Memcio, nullus ampliùs fuit qui antiquorum Sapientum doctrinam propagaret; ideóque nostra Litteratorum schola nihil ampliùs deinceps, nisi verborum ornatum & styli elegantiam posteritati transmisit. Tunc cœperunt perversa variarum Sectarum dogmata singulis diebus nova pullulare, singulis mensibus aucta sylvescere, donec tandem exurrexerunt *Lao* & *Fæ* discipuli, qui quò viciniùs videntur ad rectam rationem accedere, eò perniciosiùs omnem veritatem confundunt atque pervertunt.

E. 7. Lib. *Ta Hio* in Procemio sic idem Interpres *Chu Hi*: Denique post mortem Memcii, nullus ampliùs, qui istam priscorum Sapientum doctrinam propagaret, extitit, &c. Idcircò degeneres deinceps litterarum Alumni, pravis sæculi moribus servientes, vanos libros scribere, coacervata documenta edere, unam sermonis elegantiam spectare assueverunt, &c. Deinde his succreverunt duæ Sectæ *Lao* & *Fæ*, nova cum suo Nihilo & Vacuo, cum sua Quiete & Extinctione dogmata spargentes. Hæ quidem adeò in altum se attollunt, ut magnam Adultorum doctrinam superare videantur; sed vel sic veritate & fundamento carent.

F. 8. Lib. *Su xu che kiay* tom. 4. in Libr. *Lun yu* artic. 2. sic: Tunc temporis quamvis prava Sectariorum *Yam* & *Me* doctrina non multùm vigeret; tamen ingenti ardore & odio illam Memcius persecutus est. Posteà exorta doctrina Sectæ *Lao* omninò similis doctrinæ *Yam Chu*, & doctrina Sectæ *Fæ* omninò similis doctrinæ *Me Tie* multò magis hominum corda excæcavit, morúmque disciplinam corrupit. Et certè addictissimi illarum Sequaces, uti Imperator *Hoey Tsum* ex Familia *Sum*, & Imperator *Vu Ti* ex Familiâ *Leam*, miserrimè vitam cum suo Imperio amiserunt, facti futurorum sæculorum jocus, ludibrium, opprobrium. Numquid igitur severissimè semper sunt arcendæ ac vetandæ istæ exitiales Sectæ?

PUNCTUM II.

De Scholis.

PRimò, *Origo & nomen scholarum Sinicarum.*

Olim viginti quinque domus in aliqua plateâ aut vico vocabantur *Lu*; in capite plateæ erat porta; ad latus portæ erat parva schola, dicta *Xo*, in qua electus è vico vir doctrinâ & virtute præstans Magistrum agebat. Quingentæ domus vocabantur *Tam*, ubi alia schola, dicta *Ciam*, habebatur; ad hanc ascendebant, qui in vici schola *Xo* satis profecerant. Deinde 2500. domus vocabantur *Cheu*, ubi alia schola superior, dicta *Siu*, habebatur; & ad hanc ascendebant ii, qui in schola *Ciam* satis profecerant. Denique in urbe regiâ habebatur suprema schola, in qua filii Imperatoris, Regulorum, Præfectorum, & ii, qui in chola *Siu* magnum sui ingenii specimen ediderant, litteris vacabant; & hæc vocabatur *Hio*. Vici schola *Xo*, erat Parvulorum; reliquæ tres, Adultorum (A).

Secundò, finis scholarum. Harum finis, est notitia ac praxis quintuplicis ordinis supradicti in puncto 1. num. 1. Si enim hic quintuplex ordo ab iis qui præsunt, & mente teneatur, & voce tradatur, & moribus seu vitâ præferatur; mox ii qui subsunt, exemplo commoti, illum etiam diligenter servabunt, omnísque populus mutuo amoris vinculo conjunctus honestam & tranquillam vitam aget (B).

Tertiò, Magistri munus.

Primò, Magister hæc tria doceat: Primum, has sex virtutes: prudentiam, pietatem, sapientiam, æquitatem, fidelitatem, concordiam. Secundum, hæc sex opera: Obedientiam erga Parentes, amorem erga fratres, concordiam erga consanguineos, benevolentiam erga affines, sinceritatem erga amicos, misericordiam erga pauperes. Tertium, has sex artes: Rituum, Musicæ, jaculandi, aurigandi, scribendi, numerandi (C).

Secundò, pro docendi normâ, insistat priscorum Imperatorum versibus, prosæ, Ritibus, Musicæ. Verè & autumno Ritus cum Musica; hieme & æstate versus cum prosâ, seu liber versuum cum libro Annalium Imperialium tradatur (D). Olim scilicet ita fiebat; nunc verò traduntur quatuor libri, dicti doctrina Adultorum, immutabile Medium, liber Sententiarum, Memcius; insuper doctrina Parvulorum, libellus Observantiæ filialis, & quinque libri classici antiqui, de quibus in Paragrapho sequenti; iíque omnes lege præscripti sunt.

Ter-

Tertiò, Magister pueros ante omnia doceat quietem, attentionem, reverentiam, diligentiam. Non tantùm jubeat illos memoriam excolere, sed etiam & maximè virtutes, quæ intellectum & voluntatem pascunt, tradat, earúmque exempla narret. Jubeat priscorum Sapientum libros legere, & à crepundiis abstinere. Priùs faciliora & jucundiora, posteà difficiliora & altiora eos doceat (E). Sit mitis, facilis, diligens, vigilans (F).

Quartò, Discipuli munus.

Primò, Magistri doctrina, sit discipuli norma. Promptè & reverenter se Magistro submittat; & quod hic docet, benè assequi conetur. Si quod opus bonum videat, illud imitetur; non superbiat, non fidat suis viribus, loca honesta, & bonos socios frequentet. Ut interior gravitas & reverentia in corde enascatur, exteriorem in vultu servet. Manè surgendo, vespere cubando vestes ritè componat. Magistri lectiones vespere repetat (G).

Secundò, libros memoriter discat, sensum percipiat, doctrinam sibi applicet, nullum diem otiosè transigat, non multa legat, sed memoriâ bene teneat; sæpiùs lecta & scita repetat, & aliquid quotidie ex priscorum Sapientum libris ac Annalibus legat. Dubia à Magistro interroget; libros commodatos deteri, aut corrumpi non sinat (H).

Tertiò, dum Magistrum in via comitatur, retroacto parùm gressu incedat, non huc & illuc oculos vertat; siquid Magister interroget, ad respondendum expectet, donec verba absolverit; coram Magistro nihil promiscuè loquatur; denique modestiæ & reverentiæ sit assiduus custos (I).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Siao Hio* cap. 1. sic magnus ejus Commentarius: Olìm, inquit liber Rituum cap. *Hio Ki*, hic erat docendi modus: viginti quinque domus, &c. Ut suprà in contextu.

A. 2. Lib. *Su xu che kiay* tom. 17. in Libr. 1. Mencii cap. 5. *Tem ven kum xam* sic: Post hæc, ad instruendos tuos populos erigenda sunt hæc quatuor scholarum genera: *Ciam, Siu, Hio, Kiao*; quid hæc nomina significent, dicam. Nomen *Ciam* significat *Alere*; quia sicut olim in-

 stituta

ſtituta fuit domus publica ad diſtribuenda Senibus, Magiſtratu defunctis, aliiſque ſenibus de re publica bene meritis alimenta; ita

B. ſchola eſt inſtituta ad tradenda animorum alimenta. Nomen *Kiao* ſignificat *docere*. In ſchola quid ſit virtus ac rectæ vitæ regula, edocetur. Nomen *Siu* ſignificat *jaculari*; quia ſicut in arte jaculandi, exterior corporis compoſitio, & interior animi ſcopus dirigitur; urbanitatis leges inter jaculatores exercentur; vires, dexteritas, præſtantia uniuſcujuſque probatur: ita in ſchola tum corporis, tum animi compoſitio dirigitur, bonique mores & induſtria perficiuntur. Hæc tria ſunt ejuſdem ſcholæ in variis locis extra urbem regiam erigi ſolitæ varia nomina, variis temporibus eidem rei impoſita. Sub Imperio enim *Hia* ſchola popularis nuncupabatur *Kiao*; ſub Imperio *In* nuncupabatur *Siu*; ſub Imperio *Cheu* nuncupabatur *Ciam*. Sublimior verò illa ſchola ad probandos, & perficiendos viros ſapientiores, dignitatibus idoneos, in regia tantùm urbe erigi ſolita, communi & eadem voce ſub tribus prædictis Imperiis ſemper

B. vocata eſt *Hio*, id eſt diſcendi palæſtra. Porrò harum omnium ſcholarum finis ſemper unus & idem fuit, nempe ut clarè omnes edocerentur quintuplicem humanæ conditionis ordinem. Si quintuplex hic ordo ab iis qui præſunt, benè & mente teneatur, & præceptis tradatur, & moribus illuſtretur; mox ab iis qui ſubſunt, iſtorum exemplo commoti, etiam diligenter coletur; & omnis populus, mutui amoris vinculo conjunctus, rectam, honeſtam, tranquillam vitam aget.

C. 3. Lib. *Siao Hio* cap. 1. ſic: Liber *Cheu Li*, ſeu Rituum Imperii *Cheu*, præſcribit, ut ſupremus diſciplinæ civilis & morum Præſes in ſingulis Regni tractibus (unus tractus complectebatur 12500. domos) curet populos tria maximè edocendos; ſapientioreſque à primario cujuſque tractûs Præfecto in publicis ſolemnitatibus conſtituantur Ceremoniarum Magiſtri, & Imperatori ad dignitates proponantur. Tria, quæ edoceri debent, ſunt hæc: Primum, hæ ſex virtutes: prudentia, pietas, ſapientia, æquitas, fidelitas, concordia. Secundum, hæc ſex opera: obſervantia erga Parentes, amicitia erga fratres, concordia erga conſanguineos, benevolentia erga amicos, miſericordia erga pauperes. Tertium, hæ ſex artes; Rituum, Muſicæ,

jacu-

jaculandi, aurigandi, ſcribendi, numerandi. Deinde præſcribat octo pœnas ad plectendos cujuſvis tractûs reos: Primam, ad plectendos inobedientes Parentibus; ſecundam, ad plectendos diſcordes cum conſanguineis; tertiam, ad plectendos malè animatos erga affines; quartam, ad plectendos irreverentes erga fratres ſeniores; quintam, ad plectendos fraudulentos erga amicos; ſextam, ad plectendos immiſericordes erga pauperes; ſeptimam, ad plectendos doctrinæ novatores; octavam, ad plectendos populi perturbatores.

D. 4. Lib. *Li Ki* ſeu Rituum, tom. 3. cap. *Vam chi* ſic: Summus Muſicæ, civilis diſciplinæ, ac morum Præſes in tradenda per quatuor anni tempeſtates doctrinâ, plurimi faciat quadruplicem docendi normam; & firmiter inhæreat priſcorum Imperatorum verſibus, proſæ, Ritibus, & Muſicæ, quibus diſcipulorum mores perfici curet. Vere & Autumno, Ritus & Muſica; Hieme & Æſtate, verſus & proſa ſeu orationes tradantur.

E. 5. Lib. *Siao Hio* cap. 5. §. 1. ſic Doctor *Cham* ex pago *Hem Kiue* oriundus: Quod primum pueri docendi ſunt, eſt quies, attentio, reverentia, diligentia. Quia verò hæc doctrina nunc non traditur, ideò tam pueri quàm puellæ à teneris annis, ſuperbi, pigri, depravati exiſtunt; quóque adultiores fiunt, eò magis iſta peſſima radix invaleſcit. Cùm enim numquam edocti fuerint quid ſit filii, & fratris junioris munus; ſpreto poſteà omni hominum diſcrimine, ne vel ipſis ſuis Parentibus ſubjici volunt. Cúmque hæc ægræ mentis radix ſemper perſeveret, idcircò in omni loco ac re continuò augeſcit, ita ut ne in ipſa quidem morte immutetur. Hinc fit, ut in humilibus aqua rigandæ ac verrendæ domûs officiis, in reſponſis modeſtè dandis non poſſint ſe ſubmittere, & in conſortiis neſciant amicis cedere. Si Magiſtratus aut Superiores videant: nolunt eis ſubjacere; ſi ipſimet poſteà primarios Regni Præfectos, aut Regis conſiliarios agant: nolunt ad petendum à ſapientibus viris conſilium ſe ſe demittere.

E. Ibidem ſic Doctor *Yam Ven*: Pueri non tantùm jubendi ſunt memoriam excolere; ſed maximè docendi ea, quæ naturalem illarum intelligendi & agendi facultatem perficiant. Idcircò dum jubentur

quotidie præclaras seu priscorum, seu recentiorum res gestas addiscere, oportet ante omnia illos filialem & fraternam observantiam, fidelitatem, sinceritatem, honestatem, æquitatem, temperantiam, verecundiam, & alias ejusmodi virtutes docere, harumque nonnulla exempla referre, &c. V. gr. quomodo puer *Tsu Lu* edens ipse agrestes herbas, Parentibus orizam reportaret, & similia. Sic paulatim instructi, sponte virtutem amplexabuntur, & in ea se exercebunt.

E. Ibidem sic Doctor *Chim* cognomento *Mim Tao*: Dum Magister videt suos discipulos esse leves & vagos, jubeat eos priscorum Sapientum solos libros legere, & tantisper orationum compositiones seponat. Præterea ludi, crepundia, oblectamenta solent etiam illis amorem virtutis auferre, &c.

Ibidem alius Doctor *Chim* sic: Dum Magister docet eos qui nondum scientiæ saporem gustârunt, procul dubio illi studia fastidiunt; priùs igitur curet, ut librum Carminum ex se jucundiorem addiscant, & in tripudiis sese exerceant, &c.

Ibidem Doctor *Chin* sic: Oportet, ut pueri noverint distinguere summum & infimum hominum genus; illud sapientium Heroum, hoc insipientium homunculorum; illos ut imitentur, hos ut fugiant, &c. Nisi enim quis mentem ad alta attollat, semper in humilibus repet. Si audito Memcii vel Sapientis *Yen* nomine, statim exterritus secum dicat: quì ego puellulus ausim ad istorum Heroum imitationem aspirare? hujusmodi discipulus non est idoneus ad excipiendam Sapientum sublimem doctrinam.

F. 6. Lib. *Siao Hio* cap. 1. sic: Imperator *Xun* dum creavit Principem *Sie* supremum civilis disciplinæ & morum Præsidem, ita eum allocutus est: Omnes isti populi non satis se invicem amant; quinque diversi hominum gradus, (id est Patris & filii, Regis & Subditi, mariti & uxoris, senioris & junioris, amici & amici) non sunt satis inter se concordes. Tu ergo publicæ disciplinæ præesto, diligenterque quintuplex instructionis genus, seu quintuplicem humanæ conditionis ordinem ubique tradendum cura. Sis tamen facilis & mitis. Deinde satrapam *Quey*, supremum Musicæ Præsidem constituens, sic etiam ei ait: tu Musicæ præesto; regios & alios nobiles pueros illam exactè doce; sis rectus & blandus, facilis & gravis, firmus sine rigore, imperiosus sine despectu.

G. 7.

G. 7. Lib. *Siao Hio* cap. 1. sic: Magistri doctrina, inquit liber *Ti tsu che*, sit discipuli norma. Discipulus prompto & reverenti animo se illi submittat; quodcumque excipit, perfectè assequi conetur. Si quod opus rectum videat, illud imitetur; si quod verbum rectum audiat, illud sequatur. Debitam erga Parentes & fratres observantiam alacriter præstet; non superbè se gerat, non innitatur suis viribus. Ut sua facta sint recta, mens nil pravum cogitet; loca honesta & socios probos frequentet. Ut gravitas & reverentia interior in corde nascatur, exteriorem in vultu servet. Manè surgendo, & vespere cubando vestes ac cingulum ritè componat. Manè lectiones à Magistro excipiat, vespere repetat. Si hæc diligenter & constanter custodierit, veram discendi methodum tenebit.

H. 8. Lib. *Siao Hio* cap. 5. §. 3. sic Doctor *Chim* ex pago *T Chuen*: Qui libro Memcii & Sententiarum operam navat, debet utrumque memoriter addiscere, sensum perpendere, dicta sibi applicare, nec ea tamquam theatralia verba recitare. Quamvis aliquis totâ vitâ horum duorum librorum scientiam in praxim redegerit, numquam tamen eam exhaurire poterit.

H. Ibidem Doctor *Cham* sic: Quod attinet ad doctrinam libri *Chum Yum* seu immutabilis Medii, oportet ita singulas illius sententias perpendere, ut conferendo unum cum alio, totum earum contextum comprehendas. Sex libros classicos oportet iteratò ac sæpiùs pervoluere ac revoluere; inexhausta siquidem illorum doctrina est.

H. Ibidem Doctor *Liu* sic: Adolescentes debent id, cui vacant, priùs generatim intelligere quid sit, &c. Litterarum Alumnus nè unum quidem diem otiosè transigat; singulis diebus unum aut alterum librorum classicorum capitulum legat; non legat multa, sed lecta bene memoriâ teneat; tranquillè sedendo in cubiculo, ducenties vel trecenties illa repetat; singula verba & sententias clarè distinguat, & intelligat, &c. Singulis diebus unum etiam aut saltèm dimidium caput ex Annalibus legat. Sic illos sensim callebit. Insuper ad dubia interroganda, & doctrinam priscorum Sapientum exquirendam Magistro utatur.

H. Ibidem Doctor *Yen* sic: Libri ab aliis commodati diligenter conservandi sunt, &c. Si quis librum commodatum super mensam incomposi-

positè relinquat, aut sinat diffusis foliis dispergi, à pueris maculari, ab ancillis fœdari, vento aut pluviâ corrumpi, à tinea aut vermibus corrodi; hic certè contra honestatem peccat. Ego quidem dum Sapientum libros evolvo, maxima cum reverentia eos contrecto, &c.

H. Ibid. Doctor *Chim*, cognomento *Mim Tao*, sic: Vir sapiens in tradenda doctrinâ ordinem servat; eos, qui Parvulorum doctrinæ etiamnum vacant, faciliora; posteà dum in Adultorum studia incumbunt, difficiliora edocet.

I. 9. Lib. *Siao Hio* cap. 2. §. 4. sic: Dum sedes, nè huc & illuc te vertas; tranquillum vultum gere. Antequam Magister aut senior te interroget, nihil temerè loquaris. Totam corporis speciem ritè compone. Reverenter audi aliorum dicta, nec ea tibi vindica, aut tua opinione vel judicio confirma.

Vide plura suprà Parte 1. Cap. 3. Sect. 3. §. 3. de Honestate in textibus num. 15. litterâ P.

Paragraphus Quintus.

De Libris Classicis & antiquis.

Libri sunt Institutionis materia, imò & ipsa muta instructio aut institutio. Ideò de illis sequentia duo Puncta etiam breviter propono.

PUNCTUM I.

De Libris classicis & antiquis universim.

Primò: Quia olim octennes pueri Parvulorum scholam adibant, ideò Doctor *Chu Hi* sub Imperio Familiæ *Sum* composuit, seu potiùs ex variis priscorum & recentiorum Authorum tum sententiis, tum exemplis compilavit librum, dictum *Siao Hio*, id est, Parvulorum doctrinam, atque hic est, qui nunc pueris primis tradendus præscribitur (A).

Secundò: Ab Imperio Familiæ *Tam* & *Sum* usque ad hæc tempora,

ra, in numerum librorum *Kim*, id est, priscorum Sapientum, seu immutabilis doctrinæ, relati sunt tredecim sequentes:

Primus: *Lun Yu*, id est, liber Sententiarum, magna ex parte à Confucio prolatarum, & ab ejus discipulis collectarum (A).

Secundus: Est *Mem Tsu*; id est, liber à Doctore *Mem*, seu Memcio compositus (A).

Tertius: *Hiao Kim*, id est, libellus filialis observantiæ à Confucio confectus (A).

Quartus: *Lh Ya*, id est, species Dictionarii à Principe *Cheu Kum*, Confucio, & aliis priscis conscripta (A).

Quintus & sextus *Kum Yam*, & *Tso Xi*, vel *Ko Leam*, id est horum trium antiquorum Authorum Commentaria in librum Confucii, dictum *Chun Cieu* (A).

Septimus: *Cheu Li*, id est, Imperii *Cheu* Ritus, inchoatus à Principe *Cheu Kum*, & absolutus à Litteratis Imperii Familiæ *Han* (A).

Octavus: *Y Li*, id est, Urbanitates & Ritus, etiam à Principe *Cheu Kum* conscriptus (A).

Nonus: *Ye Kim*, id est, liber mutationum ac productionum, de quo infrà (A).

Decimus: *Xu Kim*, id est, liber Annalium Imperialium, à Regiis istorum temporum Ministris, & Historiographis conscriptus (A).

Undecimus: *Xi Kim*, id est, liber Carminum, à variis versificatoribus antiquis compositus, & à Confucio concinnatus, uti etiam liber *Xu Kim* (A).

Duodecimus: *Li Ki*, id est, Rituum antiquorum compilatio, conscripta à Doctore *Tay* sub Imperio *Han* (A).

Tertius decimus *Chun Cieu*, id est, Ver & Autumnus, seu vetus liber Annalium Regni *Lu*, nunc Provinciæ *Xan Tum*, sic dictus ob ordinem seriémque annorum ac mensium, in quibus res relatæ contigerunt, nimirum instar Tabulæ chronologicæ. Hunc librum Confucius concinnavit, sive in meliorem ordinem redegit, & ad tradenda Principibus boni regiminis documenta, res per 242. annos gestas in modum brevis chronologiæ refert (B).

Atque hi sunt tredecim libri, dicti *Kim*; nunc autem Scholastici non omnibus istis student, sed tantùm quinque his postremis: *Ye Kim*,

Xu Kim, *Xi Kim*, *Li Ki*, *Chun Cieu*; quin imò hi quinque non à singulis addiscuntur, sed unusquisque ex quinque unum dumtaxat, cui studeat, eligit; & in examine ad Licentiatûs (non bacchalaureatûs) datur aliquid ex isto libro personaliter electo componendum; in quo etiam examine datur aliquid ex Legum codice exponendum.

Tertiò: Jam verò, qua de re agant hi quinque libri, summatim accipe:

De libro *Chun Cieu*, jam dixi; de libro *Te Kim*, dicam in sequenti Puncto; de tribus reliquis sic:

Liber *Xu Kim*, continet principalia Imperatorum *Yao* & *Xun* Statuta, ac præcipuas res sub tribus sequentibus Imperiis Familiarum *Hia*, *Xam*, *Cheu*, quæ sceptrum tenuerunt per 1400. & ampliùs annos, gestas recenset (A).

Liber *Li Ki* continet infinitos pene urbanitatum, exequiarum, funebris vestis, Parentalium Ceremoniarum, litaminum, Musicæ, conviviorum, legationum, matrimoniorum, scholarum, Imperialis palatii Ritus, decem tomis comprehensos (A).

Liber *Xi Kim* dividitur in quatuor partes: Prima pars continet triviales præcipuorum Chinæ Principatuum antiquorum collectas cantilenas; hæ autem olim ideò jussæ sunt colligi, ut ex illis conjiceretur cujusque Principatûs regimen ac mores. Secunda continet versus, quos Musici in adventu ac conviviis Legatorum ac Regulorum decantabant. Tertia continet versus à Musicis decantari solitos in magnis aulæ Imperialis solemnitatibus. Quarta continet versus decantari solitos, dum Imperator faciebat Parentationes Majoribus defunctis in Parentali eorum aula (A).

Hi quinque libri vocantur *Ou Kim*, id est, quinque priscorum Sapientum libri. Illis olim addebatur liber *Cheu Li*, ita ut tunc sex numerarentur; sed hic nunc exolevit (C).

Quartò, præter hos quinque libros, omnes Scholastici sive ad Baccalaureatûs, sive ad Licentiatûs lauream adspirantes, student aliis quatuor libris, quorum primus dicitur *Ta Hio*, id est, Adultorum & magnorum virorum doctrina, à Confucio compositus, & ab ejus discipulo *Cem Tsu* explanatus; agitque de perfecta sui ac proximi renovatione ad acquirendam totius Imperii tranquillitatem necessaria.

Secun-

Secundus dicitur *Chum Tum*, id est, immutabile Medium, à Doctore *Tſu Su* nepote Confucii compoſitus. Hi duo libri, ſeu libelli olim erant duo libri Rituum *Li Ki* capitula; poſteà ex illo extracti, ſeorſim impreſſi ſunt.

Tertius, dicitur *Lun yu*, de quo ſuprà.

Quartus, dicitur *Mem Tſu*, de quo etiam ſuprà; hic agit præcipuè de pietate, Regi ad bonum regimen neceſſaria, de innata naturæ rationalis bonitate, de pravis Sectis (A). Hi quatuor libri vocantur antonomaſticè quatuor libri, ſinicè *Su xu*.

Hos quatuor poſteriores, & illos quinque priores libros Imperator *Kam Hi* in Procemio ſuorum Commentariorum, quoad populorum regimen comparat hinc ſoli ac lunæ in Cælo radiantibus, indè montibus ac fluviis in terra ſpectabilibus (D).

Textus Librorum.

A. 1. Libellus *San tſu kim* pag. 16. ſic Interpres: Olim pueri octennes intrabant ſcholam, in qua Parvulorum doctrina tradebatur; docebantúrque domûs aquâ rigandæ ac verrendæ, interroganti modeſtè reſpondendi, hoſpitis domi excipiendi, & domo deducendi honeſtum modum; item artes Muſicæ, Rituum, jaculandi, aurigandi, ſcribendi, numerandi tamdiu docebantur, donec illarum præcepta ac rationes bene penetrâſſent. Idcircò Doctor *Chu Hi* compoſuit librum doctrinæ Parvulorum, cujus præcipua capita ſunt: rectæ diſciplinæ inſtitutio, quintuplex humanæ conditionis ordo, cura ſuæ perfectionis, præclararum ſententiarum & dictorum tum antiquorum, tum modernorum compilatio, &c. Poſtquàm diſcipuli hunc doctrinæ Parvulorum librum bene callent, tunc ſine difficultate poſſunt illis explicari quatuor libri claſſici, Memcius, liber Sententiarum, Adultorum doctrina, & immutabile Medium. Hi quidem ſunt libri antiqui; ſed Doctor *Chu Hi* illos collegit, explanavit, & in quatuor libros redegit. Ab Imperatoribus Familiæ *Tam* & *Sum* huc uſque, liber Sententiarum, liber Memcii, liber filialis Obſervantiæ, Dictionarium *Lh Ta*, duo Commentarii Doctorum *Kum Yam* & *Ko Leam*, Ritus Imperii *Chen*, liber Urbanitatum & Rituum, cum quinque claſſicis libris *Li Ki*, *Xu Kim*, *Xi Kim*, *Ie Kim*, *Chun Cieu*, ſemper dicti

sunt tredecim *Kim*, id est, tredecim libri antiquorũ Sapientum, seu immutabilis doctrinæ. Cum verò liber Memcii, & liber Sententiarum non viderentur discipulorum studiis & applicationi sufficere; Doctor *Chu Hi* immutabile Medium & Adultorum doctrinam, quæ erant in libro *Li Ki* inserta ab Authore *Tay*, & constituebant duo illius capitula, inde extraxit, explanavit, & unà cum duobus libris Memcii & Sententiarum effecit quatuor libros separatos, passim dictos quatuor libros.

A. Deinde idem liber *San tsu kim* in sequentibus paginis recenset horum quatuor librorum, uti & quinque aliorum jam dictorum Authores, prout vides in contextu.

Item ibidem dicit generatim ea, de quibus illi agunt.

Ibidem pag. 23. sic: Libri *Chun Cieu* tres antiqui Interpretes sunt Doctores *Kum Yam*, *Tso Xi* & *Ko Leam*.

A. Insuper videantur Procemia & Indices librorum omnium Præfatorum, ubi continetur id, quod in contextu dicitur.

B. 2. Libr. *Su xu che kiay* tom. 14. in Libr. 2. Memcii cap. 2. *Li leu hia* sic Memcius: Eccur Confucius composuit librum *Ver* & *Autumnum*? Respondeo: Quia ex quo Imperator *Pim Vam* Imperii sedem in Occidentem transtulerat, sensim regiminis vigor defecerat, præclaraque priorum Imperatorum Statuta penè erant extincta, atque Musica virtutis & regiminis Magistra, quæ in palatio Imperiali inter epulas, & ante Imperatoris afflatum decantari, atque ab Imperiali palatio in singulos Principatus transfundi solebat, jam omninò perierat. Ideò Confucius tanto malo commotus, composuit istum librum, in quo ad tradenda Principibus documenta & veram regendi artem, refert res per 242. annos gestas. Non tamen hujus libri primus Author fuit, sed veteres tantùm sui Regni *Lu* Annales concinnavit, qui vocabantur *Ver* & *Autumnus* ob ordinem successivum mensium & annorum, in quibus res singulæ relatæ contigerant; sed erant rudis & indigesta moles. Simili modo Annales Regni *Cin* seu *Xan Si* vocabantur quadriga, & Regni *Tsou* seu *Hu Quam* vocabantur *Tao Uo*, id est, nomen alicujus bestiæ.

B. 3. Lib. *Su xu che kiay* tom. 18. in Libr. 1. Memcii cap. 6. *Tem ven kum hia* sic: Confucius suo libro *Vere* & *Autumno* effecit, ut deinceps perduelles & Imperii prædones haberent quid timerent, nec tam facilè auderent sua nefanda consilia exequi.

C. 4.

C. 4. Libellus *San tsu kim* pag. 19. sic Interpres: Libri *Te Kim*, *Xu Kim*, *Xi Kim*, *Chun Cieu*, *Cheu Li*, *Li Ki* vocantur *Lo Kim*, seu sex libri classici, quibus litterarum Alumni debent vacare, illósque penetrare. Tunc temporis liber *Cheu Li* in numero sex librorum classicorum reponebatur; sed nunc ex illo numero eliminatus est, ita ut sint tantùm *Ou Kim*, seu quinque libri classici.

D. 5. Lib. *Ge kiam su xu* tom. 1. in Procemio sic: Ego existimo bonum totius Imperii regimen ex illa successivè transmissa doctrina, quam viri tum scientiâ, tum virtute illustres, & à Cælo producti ad docendos & regendos populos tradiderunt, omninò pendere. Post Imperatores *Tao*, *Xun*, *Iu*, *Tam*, *Ven Vam*, *Vu Vam*, exurrexerunt Confucius, *Cem tsu*, *Tsu su*, *Mem Tsu*. Hinc præter quinque libros classicos *Te Kim*, *Xu Kim*, *Xi Kim*, *Li Ki*, *Chun Cieu*, habiti sunt liber Sententiarum, doctrina Adultorum, immutabile Medium, Memcius, quorum vastum decus, ut splendor solis & lunæ in Cælo, ac divisio montium & fluminum in terra, longè latéque refulget. Illi enim quatuor Magistri (scilicet Confucius, *Cem Tsu*, *Tsu su*, Memcius) Imperatorum *Tao*, *Xun*, triúmque primorum Imperiorum *Hia*, *Xam*, *Cheu* doctrinam in suis quatuor libris transmiserunt, atque ita quinque librorum classicorum doctrina fuit absoluta. Siquidem isti quatuor, totum horum quinque profundiorem sensum complectuntur.

PUNCTUM II.

De libro *Te Kim* nominatim.

SOlus hic liber, cujus doctrinam nonnulli in controversiam vocant, magnum Tractatum postularet; sed cùm nec temporis brevitas, nec Punctum parvi Paragraphi illum exigat, ideò sequentia pauca annotâsse suffecerit.

Primò, De Authore hujus libri. Imperii Sinici conditor *Fo Hi* confecit octo symbola, seu lineolas & continuas & discretas sic: ——, — —. Unumquodque symbolum continet sex lineolas, vel sex continuas, vel sex discretas, vel partim continuas partim discretas, diversimodè di-

dispositas v. gr. sic: vel sic: vel sic: vel sic: &c. Posteà hæc octo symbola duplicavit, & fecit sedecim; sedecim iterum duplicavit, & fecit 32.; denique 32. rursus duplicavit, & fecit 64. Quia tunc temporis, litteræ & characteres Sinici nondum erant inventi; ideò illa litteris & characteribus nuda & absque litteraria explicatione composuit, sicque perseverârunt usque ad Principem *Ven Vam*, Conditorem tertiæ Familiæ Imperialis, dictæ *Cheu*. Hic Princeps *Ven Vam* singulis 64. symbolis indidit aliquod nomen, illorum explicativum, v. gr. huic symbolo indidit nomen *Kien*, id est, *Cælum* vel *Cæli virtus activa*; huic symbolo indidit nomen *Quen*, id est, *terra* vel *terræ virtus passiva*; aliis indidit nomen *Kan*, id est, aqua; *Li*, id est; ignis; *Sun*, id est, ventus, &c. Nota tamen quòd istæ voces *Kien*, *Quen*, *Kan*, *Li*, *Sun*, &c. ex se & ex sua propria significatione non significent Cælum, terram, aquam, ignem, ventum, &c. Sed quòd per suam propriam significationem symbolicè repræsentent naturam Cæli, terræ, aquæ, ignis, venti. Insuper idem Princeps *Ven Vam*, horum singulorum nominum sat diffusam explanationem apposuit.

Posteà ejus filius *Cheu Kum*, singulis sex lineolis cujuscumque symboli, indidit nomen numericum, sátque diffusam etiam singularum lineolarum explicationem apposuit, & tunc iste liber cœpit vocari *Cheu Ye*, id est, liber mutationum ac productionum concinnatus à Principibus Familiæ *Cheu*, & in duos tomos fuit divisus; anteà enim sub Imperiali Familia *Hia* vocabatur *Lien Xan*, id est, mons junctus; sub Imperiali Familia *Xam* vocabatur *Quey Tsam*, id est, omnium rerum thesaurus seu repertorium.

Denique Confucius prædictis nominibus & explicationibus, quas Princeps *Ven Vam* & *Cheu Kum* adaptârant, ulteriorem addidit explanationem, éstque veluti tertius istius libri Tomus; sed nunc ex parte permixtus aliis duobus Tomis, vel genuinus textus & originalis, totus non subsistit (A).

Quod attinet ad istam explanationem, dictam *Hi Tsu*, quæ Confucio subinde attribuitur, negant ordinariè Sinæ esse ejus opus; sed eam ab alio longè posteriore Authore, dicto *Tay su kum*, vel *Vam so* prodiisse affirmant (B).

Secun-

Secundò, De scopo hujus libri. Imperator *Fo Hi* cum vellet populi sui utilitati consulere, ex aspectu & consideratione rerum cælestium & terrestrium confecit illa octo symbola, ut ex illis possent tum cognosci invisibilis Conditoris virtus operativa, tum distingui visibiles omnium specierum creatarum affectiones ac proprietates (C).

Posteà Princeps *Ven Vam*, quia tunc temporis totum Imperium seditionibus confundebatur, ideò ista symbola ab unitate & binarëitate inchoata, variéque per motum *Yam*, & per quietem *Yn* complicata applicuit ad repræsentandum virum sapientem & insipientem, profectum & defectum, actionem & cessationem, fortitudinem & imbecillitatem; in iisque sedandorum tumultuum, restaurandi regiminis, virtutis & vitii, Boni & Mali rationem comprehendit. Unde nec ipse composuit, nec Confucius illa explanavit ad sortes jaciendas (D).

Tertiò, de doctrina hujus libri. Hujus libri doctrinam tanti faciebat Confucius, ut jam senex diceret, si Cælum aliquot adhuc vitæ annos sibi concederet ad addiscendum istum librum, fore ut posset vivere à gravibus delictis immunis (E). Hæc ergo doctrina comprehendit omnes mundi res, scilicet Cælum, terram, hominem. Unumquodque symbolum construitur primò ex tribus lineolis suprà se invicem positis; suprema, Cælum; media, hominem; infima, terram repræsentat. Deinde duplicantur istæ tres lineolæ & fiunt sex; quia Cæli agendi ratio in motu & quiete, hominis agendi ratio in pietate & æquitate, terræ agendi ratio in duritie & mollitie consistit. Hi sex agendi modi correspondent istis sex symboli lineolis (F). Hinc homo per illa symbola cognoscit Cæli, hominis, aliarúmque omnium rerum agendi rationem (G). Denique hic liber & morum suorum compositionem, & virtutis praxim docet (H).

Quod verò attinet ad illam numerandi artem, & ad illos herbæ *Xi* calamos, de quibus agitur in prima parte explanationis, dictæ *Hi Tsu*, & quibus aliqui fortè utuntur modo superstitioso ad sortes, vel abutuntur, juxta Sinas videtur esse quoddam arithmeticum artificium, quo per variam ac sæpiùs repetitam istorum symbolorum ac lineolarum symbolicarum combinationem investigatur, utrùm res facienda vel omittenda, rectæ rationi sit conformis, nécne? sive sit bona, an mala (I)? Deinde hoc artificium aliqui dicunt esse inventum novum, nec priscorum Sapientum, nec Confucii opus (K). Præ-

Præterea illam Tabulam variis numeris & punctis discriminatam, dictam *Ho Tu*, isti libro præfixam, & quam nonnulli etiam volunt esse istius libri veluti fundamentum, factam fuisse à Principe *Fo Hi* negant Authores *Ngeu Yam*, *Pim Ngan Hiam*, *Cham Kem*, & alii (L). Deinde aliqui illam accommodant viginti quatuor unius anni Sinicis punctis, sive tempestatibus, Sinicè *Cie Ki*, seu duodecim nostris Europæis cæli signis in duas partes divisis (M).

Denique illa Tabula altera, etiam præfato libro præfixa, quæ incipit à voce *Tay Kie*, quoad substantiam eadem cum præcedente, fuit ordinata à Doctore *Cheu*, ex pago *Lien Hi* sub Imperio Familiæ *Sum* (N). Nempe per modum prædicamenti Logici aut Categoriæ.

Textus Librorum.

A. 1. Liber *Cheu ye chin kiay* in Proœmio, & in tomo primo, symbolo *Kien*. Item libro *Ven hien tum kao* tomo 175. ut suprà in contextu.

A. 2. Lib. *Mao xi cheu ye chu su*, seu libri mutationum ac productionum vetus interpretatio à Doctore *Mao* relata tom. 9. *Xue Qua* ad hunc textum: *Ti*, seu *cæli Dominus exivit in actum à symbolo* Chin, æquinoctialem mundi plagam repræsentante, sic ait: Ista vox *Ti*, (seu *Xam Ti*,) id est, rerum productarum Dominus.

Deinde quomodo omnis ejus actio repræsentetur per octo libri *Ye Kim* symbola ænigmatica, sic ibidem explicat: Doctor ergo *Iu Su* judicat hunc *Ti* esse cæli Dominum ac Rectorem. Dum hic *Ti* incipit omnes res facere, existit in symbolo *Chin*; dum eas ordinat, existit in symbolo *Sun*; dum dirigit, existit in symbolo *Li*; dum eas conservat & nutrit, existit in symbolo *Quen*; dum eas exhilarat seu exornat, existit in symbolo *Tui*; dum eas inter se pugnantes conjungit, existit in symbolo *Kien*; dum eas collectas curat, existit in symbolo *Kan*; dum eas absolvit, seu perficit, existit in symbolo *Ken*.

Jam verò quid significent ac repræsentent octo illa symbola, sinicè *Pa Qua*, sic ibidem paulò infrà explicat: *Kien*, id est, firmum ac forte, & repræsentat Cælum. Cælum absque [illegible] semper movetur; hinc dicitur *Kien*, firmum ac forte. *Quen*, id est, obsequens, & repræsentat terram; Terra Cælo obsequitur seu obsecundat.

dat ; hinc dicitur *Quen* obſequens, ſeu obſecundans. *Chin*, id eſt, movens, & repræſentat tonitru vel fulgur ; tonitru omnia movet ; hinc dicitur *Chin* movens. *Sun*, id eſt, ingrediens, & repræſentat ventum ; ventus quocumque ingreditur, hinc dicitur *Sun* ingrediens. *Kan*, id eſt, ruens ſeu præcipitans, & repræſentat aquam. Aqua in ima ruit ac præcipitat, hinc dicitur *Kan* ruens, ſeu præcipitans. *Li*, id eſt, apparens & repræſentat ignem. Ignis è rebus erumpens mox apparet ; hinc dicitur *Ki* apparens. *Ken*, id eſt, quieſcens & repræſentat montes. Montes immotè quieſcunt ; hinc dicuntur *Ken* quieſcentes. *Tui*, id eſt, exhilarans & repræſentat lacus. Lacus irrigant omnia ; hinc dicuntur *Tui* exhilarantes.

B. 3. Lib. *Sien Tien ye y*, id eſt, Principis *Fo Hi* libri *Te* expoſitio, à Licentiato *Cham Kem* facta tom. 1. ſic : Iſta explanatio, quæ nunc vocatur *Hi Tſu*, non eſt antiqua, (ſive non eſt facta à Confucio); dividitur in primam & ſecundam partem ; dein utraque pars in varios articulos. Sed antiquus ſenſus ſeu textus omninò periit.

B. 4. Lib. *Ge kiam ye kim*, ſeu quotidiana explicatio libri *Te Kim* ab Imperatore *Kam Hi* edita, tom. 15. in principio ſic : Quod attinet ad appendicem libri *Te Kim*, dictam *Hi Tſu*, diviſam in primam & ſecundam partem, ejus Author eſt *Vam ſo*.

B. 5. Lib. *Cheu ye chin kiay* tom. 17. part. 1. *Hi Tſu*, in principio ſic : Sunt etiam qui aſſerunt hanc partem, (nempe *Hi Tſu*,) dictam magnam Interpretationem, traxiſſe ſuam originem à Doctore *Tay ſu kum*.

C. 6. Lib. *Cheu ye chin kiay* tom. 20. parte 2. *Hi Tſu* art. 2. ſic : Olim Imperator *Pao Hi*, id eſt, *Fo Hi*, cum voluiſſet publicam populi utilitatem procurare, non auſus eſt id temerè & præcipitanter exequi. Idcircò cæleſtia & terreſtria, omniúmque rerum ſpecies ac cauſas priùs attentè conſideravit ; vidénſque omnia ad generationem & corruptionem, ad motum & quietem reduci, ſua ſymbola mutationum ac productionum compoſuit, &c. Si ſpectetur, inquit Doctor *Tſay*, horum ſymbolorum profundior ſenſus, ex iis Spiritûs intelligentis virtus inviſibilis poteſt cognoſci ; ſi patentior aut materialior ſenſus ſpectetur, rerum affectiones & proprietates in ſua ſpecie diſcernere poteris.

Vide etiam hic ſuprà num. 2. litteram A.

D. 7. Lib. *Ngeu yam ven chum kym cie*; id est Doctoris *Ngeu yam* universalis Commentarius tom. 64. art. 2. sic: Pars libri *Te Kim*, agens de expansis numeris cæli ac terræ, est quid parvi momenti. Ad quid necesse est totam suam mentem illi intendere? iste liber *Te Kim* à Principe *Ven Vam* conscriptus, in numero sex librorum classicorum reponitur; ejus stylus continet sapientis viri verba; ea quæ tractat, sunt Cælum, terra, omnesque rerum species; insuper triplex Regis & subditi, patris & filii, mariti & uxoris immutabilis ordo. Quoad illam jaciendarum sortium per numeros expansos artem, non est Principis *Ven Vam* opus. Ergo, inquies, ista non meretur, ut addiscatur. Respondeo: qui assecutus est majus, potest & minus complecti; sed quamvis quis mineri non studuerit, potest tamen ad majus pertingere. Qui hoc scit, modum addiscendi libri *Te Kim* scit. Ab antiquo tempore, 64. libri *Te Kim* symbola fuêre usitata; rarò tamen cernes sub Imperatoribus Familiæ *Hia* & *Xam* fieri sortium mentionem. Posteà Princeps *Ven Vam*, dolens totum Imperium perturbari ac confundi ob Imperatoris *Cheu* crudelitatem, cupidusque suam mentem explicandi in Posterorum utilitatem, postquam Principis *Fo Hi* symbola, symbolorúmque lineolas incipere ab unitate & binaritate animadvertit; ex variâ illarum combinatione, immutatione, comparatione composuit suum librum, in quo veram Herois sapientis & homuncionis insipientis, progressûs & defectûs, motûs & quietis, fortitudinis, & infirmitatis imaginem adumbravit, totámque boni & mali regiminis, virtutis & vitii, felicitatis & infelicitatis rationem comprehendit. Idcircò inducit loquentem virum sapientem; & librum nomine *Te*, id est, *mutationis*, insignivit. Cum deinde in sequentibus sæculis aliqui illo uterentur ad sortes, Confucius qui sub finem Imperii *Cheu* natus est, veritus, nê paulatim Principis *Ven Vam* mens ac intentio obliteraretur, & iste liber *Te* solummodò ad sortes adhiberetur, tunc ulteriorem ejus explanationem concinnavit, illámque viro sapienti ac Principi ad dirigendas suas actiones accommodavit. Hinc passim de regimine, de Cælo, de terra, cunctisque mundi rebus sermonem instituit; ac proinde patet illum non sortibus inhærere.

E. 8. Lib. *Lun yu* artic. 7. sic aiebat Confucius: Si Cælum aliquot adhuc vitæ

vitæ annos mihi commodârit seu concesserit ad bene addiscendam libri *Ye Kim* doctrinam, tunc potero à magnis culpis immunis esse.

E. 9. Lib. *Cheu ye chin kiay* tom. 21. parte 2. *Hi Tsu* artic. 10. sic: Hujus libri doctrina est amplissima. Omnes mundi res comprehendit. Sed unde hoc cognoscitur? in mundo sunt tantùm tres causæ universales, Cælum, terra, homo. Jam verò si in libri *Ye* symbolis spectentur tres lineolæ: suprema Cælum, media hominem, infima terram repræsentat: sed quamvis harum trium causarum modus agendi sit in se unus, continet tamen duas partes; ideò vir sapiens istas tres symbolorum lineolas duplicavit; modus enim agendi Cæli continet motum *Yam* & quietem *Yn*; duæ superiores lineolæ illum repræsentant. Modus agendi hominis continet pietatem & æquitatem; duæ mediæ lineolæ illum repræsentant. Modus agendi terræ continet duritiem & mollitiem; duæ infimæ lineolæ illum repræsentant.

G. 10. Lib. *Cheu ye chin kiay* tom. 17. parte 1. *Hi Tsu* artic. 4. sic: Libri *Ye* doctrina cum sit tam vasta, quomodo utitur illâ vir sapiens? Respondeo: quamvis ista doctrina sit in se una; prout tamen in varias res diffunditur, diversa sortitur nomina; in rerum existentia, dicitur ratio; in rerum productione, dicitur natura; in rerum Conditore, dicitur lex. Solus vir sapiens potest hæc omnia ritè penetrare. Jam verò liber *Ye* est id, quo vir sapiens ista omnia penetrat, intelligit, exhaurit.

H. 11. Lib. *Ye Kim* parte 1. *Hi Tsu* artic. 7. sic Confucius: An non reverà ista libri *Ye Kim* doctrina ad summum pertingit? Iste liber *Ye*, est id, quo vir sapiens virtutem colit, ejúsque exercitationem longè latéque diffundit.

I. 12. Lib. *Ge kiam ye kim* tom. 15. parte 1. *Hi Tsu* artic. 3. sic: Id quod dicitur faustum, est repræsentatio alicujus humanæ actionis, rectæ rationi consentaneæ, adeóque amplectendæ: & id quod dicitur infaustum, est repræsentatio alicujus humanæ actionis, rectæ rationi contrariæ, adeóque rejiciendæ.

Et Interpres *Cham kiu chim* ad eumdem artic. 3. sic: *Amittere*, id est, agere contra rectam rationem; *obtinere*, id est, agere juxta rectam rationem.

 I. 13.

I. 13. Lib. *Cheu ye chin kiay* tom. 19. parte 1. *Hi Tsu* artic. 10. sic : Istæ herbæ *Xi*, & symbola *Qua* sunt quid deliberationis & ratiocinii expers.

Idem eod. tom. artic. 1. part. 1. *Hi Tsu* artic. 11. sic : Ista vox *faustum* indicat id, quod convenit prosequi; *infaustum* id, quod convenit fugere.

Et paulò infrà sic: Hinc magis adhuc patet doctrinam libri *Ye Kim* cum recta agendi via & æquitate conjungere felicitatem & infelicitatem; utrique sapientis doctrinam longè discrepare à particularibus dogmatibus Sectariorum, instituentium suas divinationes per numeros.

K. 14. Lib. *Sien Tien ye y* tom. 3. sic : Quotiescumque fit mentio sortium *Xi*, sunt verba ab Interpretibus libro *Ye Kim* inserta; in ipso libro *Ye*, à Principe *Fo Hi* & *Ven Vam* confecto illa non habentur. Hinc patet istam artem sortium, ducendarum per herbarum *Xi* inter digitos distributionem & symbolorum examen, non esse id, quod Principes *Fo Hi* & *Ven Vam* spectârunt; nec etiam Confucius forsitan illâ usus est.

Vide etiam hìc suprà num. 3. litterâ B. & num. 7. litterâ D.

L. 15. Lib. *Kiun xu pi kao*, id est, perfectum librorum omnium examen tom. 1. sic: Doctor *Ngeu yam* in suo libro asserit Tabulas *Ho Tu* & *Lo Xu* esse quid vanum & fictitium.

L. 16. Lib. *Sim li ta ciuen* tom. 14. sic Doctor *Pim ngan kiam* : ex quo habetur liber *Ye Kim*, nullus fuit inter omnes Doctores , qui senserit istos libri *Ye Kim* numeros, unum & novem, esse Tabulam *Ho Tu*, &c. Hanc quidam Litteratus *Tuen ye* sub Imperio *Sum* finxit.

L. 17. Lib. *Sien Tien ye y* tom. 3. sic: Liber *Ye Kim* in parte *Hi Tsu* non facit mentionem de ista Tabulæ numericæ *Ho Tu* & *Lo Xu* quadratâ dispositione ; & ante Imperium Familiæ *Han* nullibi fit mentio de pingendis seu formandis symbolis *Qua* juxta Tabulam *Ho Tu*, & de distribuendis speciebus juxta numeros Tabulæ *Lo xu*.

Ibidem pag. 76. sic : In libro *Ye Kim*, inquit Doctor *Vam tsu bem*, à tempore Principis *Ven Vam* & Confucii, usque ad Imperia Familiarum *Han* & *Tam*, nulla facta est mentio Tabulæ *Ho Tu*.

M. 18. Lib. *Cheu ye chin kiay* in Proœmio sic : Juxta dimidietatem Signi cælestis *Tsu* (seu Capricorni), de qua loquitur Doctor *Chao*, possunt, in-

inquit Doctor *Hu*, symbola libri *Ye Kim* divisa, adaptari 24. anni tempestatibus seu Signis, (tot numerantur apud Sinas); incipiendo à symbolo *Fo*, quod adaptabitur dimidietati Signi *Tsu* Solstitii hiemalis, & perveniendo ad finem symboli *Kien*, quod adaptabitur dimidietati symboli *Ou* Solstitii æstivalis, erunt 32. symbola, Sinicè *Qua*; &c. Deinde reliqua 32. nempe symbolum *Keu* usque ad finem symboli *Quen* inclusivè, progredientur à reliqua dimidietate signi *Ou* Solstitii æstivalis, usque ad reliquam dimidietatem signi *Tsu* Solstitii hiemalis.

N. 19. Lib. *Sim li ta ciuen guey yao* tom. 1. sic Doctor *Chu Hi*: Tabula *Tay Kie*, seu primi Termini fuit confecta à Doctore *Cheu lien hi*, nempe sub Imperio Familiæ *Sum*.

Nota: Cùm tam multa sint incerta circa ista libri *Ye Kim* octo symbola, Sinicè *Pa Qua*; annon fortè Author *Fo Hi*, nepos vel filius Noëmi, voluit per illa 8. symbola toties reduplicata, relinquere suis Posteris aliquod monimentum octo personarum in arca diluvii reservatarum, & subsecutæ harum divisionis ac multiplicationis per totam terram?

Paragraphus Sextus.
De Musica.

HÆc quinque circa Musicam Sinicam examinabimus; ejus originem, finem, consonantiam, modos, species. Itaque

Primò, De origine Musicæ Sinicæ. Primitiva Musicæ origo hæc fuit: cor, ut solet, motum fuit ab objectis externis; motum, excitavit affectum; affectus erupit in voces. Vox autem alia clarior, alia obscurior; alia altior, alia humilior; harum diversarum vocum consonantia auribus jucunda, primum fuit Musicæ Principium. Deinde ex Musica ortum est tripudium (A).

Secundò, De fine Musicæ Sinicæ. Finis ultimus Musicæ non est aurium delectatio, harmonico sono causata; sed est pacificum Regni regimen ac populorum concordia. Ideò enim adhibetur Musica, quia sonus harmonicus inspirat animorum concordiam & internam cordis harmoniam, atque passionum tumultus pacat. Præterea antiqua Musi-

ca erat composita ex præclaris Imperatorum gestis, documentis, virtutibus; atque ita per se ipsam bonum regimen & honestæ vitæ disciplinam edocebat (B). Hinc Musica adhibebatur in solemnibus supremi Domini litaminibus, in aliorum Spirituum solemnitatibus, in Progenitorum defunctorum Parentationibus, in conviviis hospitum, aliisque festivis conventibus (C).

Tertiò, De consonantiâ Musicæ Sinicæ. Consonantia hujus Musicæ præcipuè habetur à duodecim fistulis, & octo instrumentis Musicis diversorum sonorum. Duodecim enim fistulas longitudine diversas, quarum diametur tres, peripheria interior novem digiti partes continebat, ex cannis conficiebant. Harum sex, *Hoam chum, Tay tseu, Ku si, Juy pin, Y ce, Vu ye* erant longiores; aliæ sex, *Ta liu, Kia chum, Chum liu, Nan liu, Im chum* erant breviores, servatâ inter se harmonica proportione. Omnes duodecim collectim sumptæ dicebantur magisteriales ac directrices regulæ totius Musices; serviebántque ad discernendos ac temperandos Musicæ sonos, graves, acutos, longos, breves, altos, humiles (D); ac proinde erant veluti quædam organi species.

Octo verò diversi soni instrumenta, hæc erant: Primum, species utriculi ex cucurbita, cum aliquot insertis fistulis confecti. Secundum, erat vas figulinum. Tertium, tympanum. Quartum, chelys ex ligno confecta. Quintum, instrumentum ex lapide onychino, quod tundebatur, confectum. Sextum, campanula seu cymbalum. Septimum, cithara filis sericis instructa. Octavum, fistula. Atque hæc erant instrumenta, quibus Musica temperabatur (E).

Quartò, De modis Musicæ Sinicæ. Modi Musicæ sunt quinque, *Kum, Xam, Kio, Chi, Tu*; nimirum veluti quinque quædam species Octavæ; v. gr. per respectum ad Musicam Europæam, *Kum*, Octava incipiens à voce *ut*; *Xam*, à voce *re*; *Kio*, à voce *mi*; *Chi*, à voce *fa*; *Tu*, à voce *sol*. Hi quinque modi ex primâ superiori fistulâ *Hoam Chum* sic producuntur: ponitur fistula *Hoam chum* continere novem digitos in longitudine, & singuli novem digiti in novem æquales partes divisi. Multiplica novem per novem fiunt 81.; atque hic est numerus modi *Kum*. Deinde numero 81. deme tertiam ipsius partem, seu 27. restant 54. pro numero modi *Chi*. Numero 54. adde tertiam ipsius partem, seu 18. fiunt 72. pro numero modi *Xam*. Numero 72. deme tertiam ipsius

ipsius partem seu 24. restant 48. pro numero modi *Tu*. Denique numero 48. adde tertiam ipsius partem, seu 16. fiunt 64. pro numero modi *Kio*. Itaque chordæ modi *Kum*, constabant 81. filis sericis; *Xam*, 72. *Kio*, 64. *Chi*, 54. *Tu*, 48. (F).

Modus *Kum* est gravis, excitátque ad majestatem & benignitatem; unde est Regis figura, seu symbolum. Modus *Xam* est fortis, excitátque ad magnanimitatem; unde est Magistratûs figura. Modus *Kio* est moderatus, excitátque ad misericordiam; unde est populi figura. Modus *Chi* est clarus, excitátque ad charitatem; unde est negotiorum figura. Modus *Tu* est nitidus, excitátque ad considerationem; unde est effectuum figura (G).

Sextò, De speciebus Musicæ Sinicæ. Musica, alia trivialis, seu trivialium concentus cantilenarum, quales sunt in duobus primis Tomis libri Carminum, dictæ *Quæ Fum*; alia regia, seu Imperatorum *Hoam Ti, Chuen Hio, Ti Ko, Yao, Xun, Chim Tam, Vu Vam* Musica; id est, in laudes istorum Principum, eo, quo regnabant, tempore composita (H). Deinde alia honesta seu recta, Sinicè *Ya*, qualis habetur in duobus posterioribus Tomis præfati libri Carminum; alia prava seu impura, qualis est Musica Principatûs *Chim*, tantoperè olim Confucio exosa. Rursus Musica, alia pacifica, seu pacificum Regni regimen complectens, qualis est Musica Imperatorum *Yao* & *Xun*; alia bellica, quæ præclara belli facinora refert, vel inspirat, qualis est Musica Imperatorum *Chim Tam*, & *Vu Vam* (I). Denique Musica alia solis instrumentis, alia instrumentis & vocibus constans (K).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Li Ki* tom. 7. cap. 19. *Yo Ki*, seu Musices relatio sic: Omnis concentus Musicus trahit ab hominis corde suam originem. Hominis cor naturaliter ab objectis movetur; dum autem ab iis movetur, intus excitat affectum, & affectus in voces erumpit; dum voces bene inter se correspondent, gignunt jucundam soni varietatem; varietas soni produxit artem, quæ dicitur Musicus concentus. Dum Musicus concentus cum instrumentis Musicis, cum lanceis & vexillis tripudiantium conjungitur, tunc dicitur Musica perfecta.

B. 2.

B. 2. Lib. *Li Ki* tom. 7. cap. *To Ki* sic: Solus vir sapiens potest bene scire quid sit Musica. Primò enim perpendit voces ad sciendum modum Musicum; deinde perpendit modum Musicum ad sciendam Musicæ artem; deinde perpendit Musicæ artem ad sciendum regimen; atque ita perfectam regendi rationem assequitur.

Ibidem paulò infrà sic: Idcircò plena & florida Musica non fit ad aurium delectationem, sive ad edendum tantùm harmonicum illum & suavem sonum, &c. Est enim in illâ aliquis harmonicus sonus, qui non prodit, &c. Sed fit ad docendum populum amoris & odii æquitatem, & ad eum reducendum in rectam hominis viam.

B. 3. Lib. *Pe hu tum* tom. 1. artic. *Ly yo*, seu Ritus & Musica sic: Dum in Parentali Regum defunctorum aulâ Rex & Proceres, superior & inferior simul audiunt Musicam, mox instillatâ per illam animorum concordiâ omnes reverentiam servant. Dum in publicis vici vel oppidi locis senior & junior, consanguinei & vicini simul audiunt Musicam, mox instillatâ per illam animorum concordiâ, omnes observantiam colunt. Dum intra domesticos parietes Pater & filius, frater senior & junior simul audiunt Musicam, mox instillatâ per illam animorum concordiâ, omnes amorem spirant. Idcircò Musica est id, quo concordia & observantia colitur, ac moderatio rerum similitudine conciliatur; moderatio juncta cum Musica parit affectum, quo Pater & filius, Rex & Subditus, consanguinei & vicini, omnes denique populi inter se concordes fiunt. Hæcque est priscorum Imperatorum mens ac finis, ob quem Musicam instituerunt.

Ibidem paulò infrà sic: Musica est id, quo prisci Imperatores suam lætitiam, & belli Duces suam iram temperabant. Idcircò illorum lætitia, & horum ira moderationis & æquitatis limites non excedebat. Lætitiâ concordiam populis, irâ timorem perduellibus indebant.

B. Ibidē sic: Antiqui Imperatores in principio suæ Monarchiæ cujusnam rei maximè satagebant? Respondeo: satagebant populi mores componere, & ad hoc obtinendum prædecessorum Imperatorum Ritus & Musicam adhibebant. Pacato toto Imperio, tunc & Ritus & Musicam renovabant, & evulgari jubebant. Musicâ virtutes, præclara facinora, no-

nominis celebritatem referebant. Hinc Imperatoris *Hoam Ti* Musica, ut ait liber *Li Ki*, vocata est *Hien chi*, id est, *lacus universalis*; quia Imperator *Hoam Ti* verbo & exemplo rectam vivendi normam tradiderat; omnesque ejus virtutis beneficium sive pro cælestibus, sive pro terrestribus rebus perceperant. Imperatoris *Chuen Hio* Musica vocata est *Lo Hem*, id est, *sex spicarum culmi*; quia ille sex Musicæ regulas, Astronomiæque ac Kalendarii leges instituerat. Imperatoris *Ti Ko* Musica vocata est *Ou Im*, id est, *quinque flosculi*; quia ille quinque vocum discrimina pulchrâ harmoniâ in populorum utilitatem temperârat. Imperatoris *Yao* Musica vocata est *Ta Cham*, id est, *magnum jubar*; quia ille Cæli, terræ, hominis viam, seu agendi viam magnoperè illustrârat. Imperatoris *Xun* Musica vocata est *Siao Xao*, id est, *fistularum continuatio*; quia Prædecessoris sui *Yao* modum ac normam continuârat. Imperatoris *Yu* Musica vocata est *Ta Hia*, id est, *magna amplitudo*; quia suorum Prædecessorum *Yao* & *Xun* præclaram regiminis normam ampliârat. Imperatoris *Chim Tam* Musica vocata est *Ta Hu*, id est, *magna protectio*; quia ille populos immitti regimine oppressos protexerat ac vindicârat. Principis *Cheu Kum* Musica vocata est *Cho Ho*, id est, *examen concors*; quia ille, cùm Imperatorem *Chim Vam* in regimine adjuvaret, ritè examinatam Prædecessorum *Ven Vam* & *Vu Vam* regendi normam perfecerat. Imperatoris *Vu Vam* Musica vocata est *Siam*, id est, *repræsentatio*; quia illâ, allatam Imperio pacem referebat; priùs vocabatur *Ta Vu*, id est, *magnum belli opus*.

C. 4. Libellus *San tsu kim* pag. 12. sic Interpres: Omnes antiqui Imperatores suam habebant Musicam, quæ in sacrificiis supremi Domini *Xam Ti*, in solemnitatibus cælestium & terrestrium Spirituum, in Parentationibus Majorum defunctorum, in conviviis ac festivitatibus hospitum adhibebatur; propinando, repropinando, offerendo vini scyphum, in aulæ ascensu & descensu, in reverentiæ exhibitione semper Musica edebatur, &c.

D. 5. Lib. *Xu Kim* tom. 1. cap. *Xun Tien* Interpres *Tsay Xin* sic: *Liu*, id est, duodecim fistulæ, &c. Ut suprà in contextu.

E. 6. Lib. *San tsu kim* pag. 12. sic Interpres: Illa octo instrumenta quænam erant? Respondeo: primum, &c. Ut suprà in contextu.

F. 7. Lib. *Li Ki* tom. 7. cap. 19. *Yo Ki* sic Interpres *Chin Hao*: Hi quinque soni, seu quinque modi producuntur ex prima fistulâ *Hoam Chum*, &c. Ut suprà in contextu.

G. 8. Lib. *Li Ki* tom. 7. cap. 19. *Yo Ki* sic: Modus *Kum* pertinet ad terram; instrumentorum chordæ non excedunt 81. fila serica; sonus est maximè gravis, omniúmque quinque modorum Musicorum honorabilissimus. Idcircò est Regis figura seu symbolum. Modus *Xam* pertinet ad metallum; instrumentorum chordæ continent 72. fila serica. Sonus minùs gravis; idcircò est figura Magistratuum. Modus *Kio* pertinet ad lignum; instrumentorum chordæ continent 64. fila serica; sonus partim gravis, partim acutus, quinque modorum medius; idcircò est populi figura. Modus *Chi* pertinet ad ignem; instrumentorum chordæ continent 54. fila serica; sonus acutus, seu clarus; est negotiorum figura. Modus *Yu* pertinet ad aquam; (aqua, ignis, lignum, metallum, terra sunt apud Sinas primaria quinque universalia principia, velut elementa); instrumentorum chordæ continent 48. fila serica, ad minimum; sonus maximè acutus; est effectuum figura.

G. 9. Lib. *Pe hu tum* tom. 1. artic. *Ly yo* sic: Hinc ego audivi modum *Kio* esse plenum misericordia, & excitare ad clementiam; modum *Chi* esse plenum lætitiâ, & beneficum animum fovere; modum *Kam* esse fortem seu vehementem, & res stabilire; modum *Yu* esse profundis conceptibus plenum, & res remotas considerare. Modum *Kum* esse lenem; & mansuetudinem afferre.

H. 10. Lib. *Su xu che kiay* tom. 14. in Libr. 1. Memcii cap. 2. *Leam hoei vam hia* sic: Quidam Regni *Cy* Præfectus *Chuam Pao* invisit Memcium, cui inter colloquendum hæc retulit: Hisce diebus cum ego ex more & ex officio nostrum Regem inviserem, dicebat mihi se vehementer Musicâ delectari. Ego nesciens utrùm Regem deceret, nécne, Musicâ delectari, & an Musicæ amor obesset aut prodesset bono regimini, non habui quid responderem. Quid ergo? obéstne, an prodest bono regimini amor Musicæ? Tum Memcius: Si Rex tuus multùm delectetur Musicâ: noveritque Musicæ artem esse regendi arti consimilem; & harmonico Musicæ concentu utatur ad pacandum Regnum & ad conjungendos stabili concordiâ populorum

rum animos, numquid Regnum *Cy*, (nunc Provincia *Xan Tum*) novam brevi faciem induet, & Rex tuus ad rectam benè gubernandi artem proximè accedet ? hujus sermonis occasionem arripiens Memcius, sequenti die invisit istum Regni *Cy* Regulum, quem sic interrogavit: verène, Princeps, tuo Ministro *Chuam* nuper dixisti te Musicâ multùm delectari ? mox Princeps immutato vultu ad quæstionem penè erubuit, ad quam tamen sic respondit: modicæ ego virtutis vir non sum, qui delectari valeam excellenti illa priscorum Imperatorum Musicâ, præclaris documentis exuberanti, & vitæ Magistrâ; sed quâ ego delectari soleo, est tantùm illa trivialium cantilenarum Musica. Sed hæc quomodo regimini potest prodesse ? enimverò potest plurimùm, reponit Memcius; si enim verè & multùm illâ delecteris; si non tantùm ejus sonum, sed etiam ejus concordiam concordiæque suavitatem verè diligas, & scias uti harmonico illius concentu ad pacandum Regnum & ad populorum animos conjungendos, numquid tuum Regnum brevi novam faciem induet, & ad rectam rectè gubernandi artem proximè accedet ? hæc enim trivialis Musica ex priscorum Imperatorum Musica emanavit; una est utriusque ratio; utraque vocum concordiam & harmoniam spectat; utraque eumdem effectum sortiri potest, licèt non una & eadem sit argumenti præstantia.

H. 11. Vide hîc suprà num. 3. litterâ B.

I. 12. Lib. *Pe hu tum* tom. 1. artic. *Li yo* sic: Id quod maximè spectat Musica, est vera rectitudo. Idcircò longè à se amovet & abhorret pravum lascivúmque Regni *Chim* cantum. Regni *Chim* cantus, inquit Confucius, est lascivus. Cur autem lascivus ? quia istius Regni *Chim* incolæ cùm in montibus habitarent, & in vallium rivulis corpus lavarent, viri & mulieres inter se permixti instituerunt istum cantum ad mutuam oblectationem.

I. 13. Lib. *Lun yu* artic. 15. sic Confucius: Proscribe Regni seu Principatûs *Chim* cantum; à te procul amove adulatores. Ille enim lascivus, & hi periculosi sunt.

I. 14. Lib. *Lun yu* artic. 3. sic: Imperatoris *Xun* Musicam, dictam *Xao*, asserebat Confucius & pulcherrimam & optimam esse, (quia, ait Interpres, pace & modestiâ Imperator *Xun* consecutus est Imperium;)

um); Imperatoris autem *Vu Vam* Musicam, dictam *Vu*, seu bellicosam, esse quidem etiam pulcherrimam, sed non optimam; quia, ait Interpres, bello & fortitudine *Vu Vam* adeptus est Imperium.

K. 15. Lib. *Xi Kim* tom. 4. *Siao ya* cap. *Lo mim*, odà *Nan kay*, id est, australium graduum ordo sic: Hæc oda, ait Interpretatio *Ku siu*, continet mutuam liberorum commonitionem ad Parentum sustentationem. Deinde ibidem Interpres *Chu Hi* sic: Hæc oda, sunt tantùm fistularum versus, & cantus sine voce.

Denique pro his & aliis innumeris rebus ad Musicam Sinicam spectantibus, videatur liber *Ven hien tum kao* tom. 128. 129. 130. 131. &c. Ubi de ea fusè agit.

SECTIO II.

De Militari Regni Administratione.

Militaris Regni administratio hæc tria præcipuè spectat, artem bellicam, militiam seu Duces ac milites, stipendia.

Paragraphus Primus.

De Arte bellica.

Primò, *Bellicæ artis necessitas.* Regna sunt à Majoribus transmissa ad Posteros, ut ea fideliter custodiant; nec possunt Posteri pro lubitu de iis disponere; ideò dum pericula ac bella imminent, debent omnes vires intendere ad vim vi repellendam; ac proinde ars bellica illis est necessaria (A).

Secundò, Bellicæ artis objectum. Bellica ars circa quinque versatur; circa æquitatem, cælum, terram, Duces, leges. Æquitas in bello requiritur, ut milites concordi animo incensi non timeant pericula; Cælum inspiciendum est, an serenum, pluvium, frigidum, calidum, hibernum, æstivum? Terra præcognoscenda, an vicina, remota, montosa, paludosa, fluviosa, arcta, ampla, hostilis, amica? Duces, prudentes, fidi, pii, fortes, rigidi disciplinæ militaris exactores procurandi. Leges, quæ pro quinariis militum ordinibus, pro tympanis, vexillis,

lis, tentoriis, officiorum varietatibus, commeatu, viis, castris, Præfectorum muniis, bellicis instrumentis & impedimentis sunt præscriptæ, diligenter attendendæ. Maturè igitur considerandum est, à qua parte stet belli æquitas, cæli & terræ emolumenta, ducum fortitudo, militum numerus ac vires; quomodo vigeat bonorum ac malorum retributio (B).

Tertiò, Bellicæ artis leges. Belli leges, aliæ pro pugna, aliæ pro obsidione, aliæ pro dispositione exercitûs, aliæ pro ejus profectione, &c. Deinde aliæ spectant Regem, Duces, milites, præmia, pœnas, locum pugnæ ac tempus, &c. Has & alias continet liber classicus de arte militari, Sinicè *Vu Kim*, divisus in novem parvulos Tomos, quem militarium graduum Candidati, militaresque Baccalaurei addiscere tenentur (C).

Quartò, Bellicæ artis exercitatio. Hæc exercitatio, alia litteraria libri *Vu Kim*, jam dicti, ex quo aliquid componendum datur; alia jaculandi, alia equitandi. In examine enim ad obtinendum militarem gradum, his probantur militiæ Alumni. Milites insuper in explodendis bombardis exercentur, & semel quot annis coram Præfectis ac Ducibus superioribus bellicas prolusiones, in quibus per aliquot menses priùs exercentur, exhibent.

Quintò, Bellicæ artis finis. Finis belli, vel est Regni defensio, vel populi tyrannide oppressi liberatio, vel aliarum terrarum justa acquisitio (D). Unde dum fit bellum, caveatur ne bello mercatus & agricultura impediatur, populi mutare proprias sedes cogantur, gravia tributa exigantur, incolarum supellex auferatur, pueri ac senes captivi fiant (E).

Textus Librorum.

A. Lib. *Su xu che kiaj* tom. 14. in Lib. 1. Memcii cap. 2. *Leam hoei vam hia* sic Memcius: Principatus & Regna sunt à Majoribus ad Nepotes transmissa, ut continuatâ generationum serie fideliter illa custodiant & fortiter tueantur; non autem uniuscujusque arbitrio sic relicta sunt, ut possit pro lubitu de iis disponere; sed tenetur, ubi pericula & bella imminent, omnes vires intendere ad vim vi repellendam.

B. 2. Lib. *Vu Kim*, seu liber classicus de re militari à militiæ Duce *Sun* sub Imperio Familiæ *Han* conscriptus, tomo 1. artic. 1. sic: Quod ad Regnum attinet, arma sunt res maximi momenti; ab iis mors vel vita, salus vel exitium pendet; adeóque diligenter perpendenda. Idcircò hic liber quinque res spectat, quas ordine discutit, & earum proprietates inquirit. Prima, est via seu æquitas; secunda, cælum; tertia, terra; quarta, Duces; quinta, leges. Quod attinet ad æquitatem: si pietate & æquitate ita regantur milites, ut unum & eumdem cum suo Rege habeant animum, tunc cum illo & mori & vivere scient, nec pericula reformidabunt. Quoad cælum: attendenda dierum ac mensium diversitas, frigus & æstus; ac juxta tempestatem æstivam vel hibernam transferenda arma in tractus vel australiores vel borealiores. Quoad terram: præcognoscendum, an sit vicina, an remota: an facilis an difficilis; an spatiosa an angusta; an salutifera an contagiosa vel insalubris. Quoad Duces: attendendum, ut sint prudentes, fideles, pii seu recti, fortes, rigidi disciplinæ militaris exactores. Quoad leges: sunt quinarii militum ordines, regulæ tympanorum, cymbalorum, vexillorum; sunt Præfectorum munia; sunt via castrorum, vallorum, munitionum, commeatuum; sunt Inspectorum officia, sunt apparatus curruum, equorum, instrumentorum bellicorum. Nullus est belli dux, qui hæc quinque non audierit; sed ille, qui ea bene intelligit, vincit; qui non bene intelligit, vincitur. Idcircò oportet ista ordine discutere, & examinare eorum proprietates; nimirum uter Rex æquitatem ac rectam viam teneat? Quinam Duces sint potentiores & fortiores? quomodo faveat cælum ac terra? quomodo leges ac disciplina militaris serventur? quisnam exercitus fortior? quinam milites magis exercitati? quomodo distributio præmiorum ac pœnarum vigeat? ex his ego facilè colligam, quisnam sit victurus; quisnam vincendus;

C. 3. Idem liber *Vu Kim*, Tomi primi Index sic: De belli apparatu, de consiliis bellicis, de dispositione exercitûs, de exercitûs accessu & recessu, de stratagematibus, de conflictu, de casuum varietate, de castrorum motu & situ; de locorum situ & diversitate, de igne & combustionibus, &c.

Deinde

Deinde Tomi secundi Index sic : De Regni regimine, de prænotione virium hostilium, de exercitûs regimine, de belli Ducibus, &c.

Tomi tertii Index sic : de Regis bellantis æquitate, & pietate; de distributione dignitatum militarium, de rigore disciplinæ militaris, &c.

Videantur plura similia in reliquis Tomis.

D. 4. Lib. *Su xu che kiaj* tom. 14. in Lib. 1. Memcii cap. 2. *Leam hoei vam hia*. Vide hìc suprà num. 1. litterâ A.

D. 5. Lib. *Su xu che kiaj* tom. 16. in Libr. 1. Memcii cap. 4. *Kum sun cheù hia* sic : Regni Cy Regulus collecto milite bellum intulit Regno *Yen*. Quidam suspicatus id ortum esse ex Memcii verbis, quibus dixerat Regnum *Yen* posse bello impeti, sic eum interrogavit : ferunt nostrum Regem à Te, Domine, stimulatum fuisse ad inferendum Regno *Yen* bellum; itáne est? minimè, reponit Memcius. Nuper quidem Regius Minister *Xin Tum* ex me sciscitatus est, utrùm posset Regno *Yen* tumultuanti bellum inferri, & ab eo pœnas injustitiæ exigi? ego respondi, posse. Mox ille, hoc responso accepto, Principem ad bellum impulit. Si me ulteriùs interrogâsset, quisnam isti Regno indicere bellum posset, respondissem Imperatorem, qui scelerum pœnas Cæli nomine potest reposcere. V. gr. en aliquis homicida offertur, & quidam ex me quærit, utrùm possit interfici. Ego certè respondebo, posse. Si deinde ulteriùs me interroget, quisnam possit illum interficere? tunc respondebo eum esse, qui nomine Imperatoris, Iustitiæ præest. Ita de bello, &c.

D. 6. Lib. *Su xu che kiaj* tom. 14. in Libr. 1. Memcii cap. 2. *Leam hoei vam hia* sic : Quomodo Princeps *Chim Tam* possidendo Regnum 70. dumtaxat stadiis amplum, potuerit universum Imperium obtinere, habes in libro *Xu Kim*, qui sic ait : Cum vicini Regni *Ko* Regulus exlex viveret, mortémque insonti puero intulisset, Princeps *Chim Tam* collecto milite eum aggressus est ac domuit. Ex hoc subacti Regni seu Principatûs *Ko* principio, reliqui per totum Imperium populi firmiter sibi persuaserunt, Principem *Chim Tam* non tyrannidem meditari, sed sibi durissimo jugo oppressis opem & salutem afferre velle. Ideò si in orientalem partem bellaturus proficisceretur, Incolæ occidentales, quadam veluti amoris iracundiâ commoti, conquere-

bant

bantur quòd citiùs ad se non veniret; si in australem, boreales exteræ gentes etiam amanter quasi iratæ dicebant: Cur ad nos postremo loco venit? omnes populi non aliter eum anhelabant, ac agricolæ post longum magnæ siccitatis tempus, ardenter cupiunt glomerari nubes, cælum ingravescere, imbres ruere; unum dumtaxat veriti, nè subitò in obortis nubibus Iris appareat, & imbrium cursus sistatur.

E. Deinde cùm ejus copiæ in provincias adventabant, nullo modo mercatus nec agricultura impediebatur; omnes mercatores tutò ad forum & nundinas confluebant; omnes agricolæ quietè suos agros arabant, non coacti sedes mutare, aut aufugere. Denique dira tantùm tyrannidis scelera plectebantur, & innocui populi vita sublevabatur. Idcircò omnes populi ingenti gaudio perfusi non aliter exultabant, quàm ubi post magnam aëris siccitatem, tempore optato copiosi imbres è cælo ruunt. Hinc idem liber *Xu Kim* sic eos introducit loquentes: Eheu! quanto tempore, dirissimis oppressi malis Imperatorem & servatorem nostrum expectavimus! tandem aliquando expectatissimus advenit, & nos è servitute eripuit, velútque mortuos ad vitam revocavit.

Paragraphus Secundus.

De belli Ducibus.

PRimò, *Militarium Ducum ordo.* Hic ordo ita olim constitutus fuit: Una phalanx constabat 2500. militibus, & Imperialis exercitus complectebatur sex hujusmodi phalangas; Reguli autem *Kum* & *Heu* exercitus complectebatur tres; Reguli *Pe*, duas; Reguli *Tsu* & *Nan*, unicam; harum omnium phalangum supremus Ductor, erat unus ex Imperii Proceribus. Unius tantùm phalangis Ductor, erat unus primarius Præfectus ex secundo ordine. Deinde una legio constabat ex 300. militibus; hujus Ductor, erat unus primarius Præfectus ex tertio ordine. Una turma constabat ex 100. militibus; hujus Ductor, erat unus militaris disciplinæ Doctor ex primo ordine. Denique singuli quinque milites habebant etiam suum Præfectum, seu Caput (A).

Secundò, Militarium Ducum virtutes. Militiæ Dux debet assumere firmum

mum intrepidæ mentis & æquitatis propositum, & sciat ubi, & quando vivere ac mori deceat. Ritè distinguat emolumenta à damnis; unicè vacet suæ dignitatis muneri. Sit tenax recti cultor; sit magnanimus ac liberalis. Impuros cantus, ac libidinosas illecebras à se procul amoveat; habendi cupiditatem expellat; pudeat adulari; bonam nominis famam honesto modo sibi comparet; animi demissionem magni faciat; lubenter audiat monita ac consilia; noverit probè alios imitari; sit armorum peritus; amet suos Sub-Præfectos ac milites; sibi amorem ac timorem concilìet; disciplinæ militaris sit accuratus exactor; sciat milites conservare (B).

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Ven hien tum kao* tom. 149. *Pim chi* sic: In Libro Rituum Imperii *Cheu* articulo *Ta su ma*, id est, *supremus militiæ Dux*, hæc præscribuntur: una phalanx, &c. Ut suprà in contextu.

Vide etiam apud eumdem librum *Ven hien tum kao* tom. 58. & 59. nomina & officia omnium Præfectorum militarium v. gr. supremi Ducis exercitûs; Præfectorum equitatûs, peditatûs, legionis, alæ dextræ, alæ sinistræ, &c.

B. 2. Liber *Vu Kim* tomo 8. per varios parvos articulos enumerat Ducis militaris virtutes requisitas, quas in contextu summatim suprà annotavi.

Paragraphus Tertius.

De stipendiis.

QUid olim, quid nunc fiat circa hæc, breviter accipe.

Primò, *Olim* Præfectorum tum militarium, tum civilium stipenpendia juxta cujusque ordinis gradum sic sancita erant; id est, agrorum ditio, ex quibus suorum stipendiorum reditus colligebant, sic erat determinata: Supremi in aulâ Imperiali Tribunalium Præsides eamdem ac Reguli primæ & secundæ classis; primarii Præfecti eamdem ac Reguli tertiæ classis; Doctores ex primo ordine eamdem ac Regu-

di quartæ & quintæ classis, pro suæ dignitatis reditibus portionem terræ accipiebant.

Quod verò attinet ad Principatuum Præfectos, hæc sancita erant: Regulus primæ & secundæ classis habebat decuplo majorem terræ portionem pro suis reditibus, quàm sui primi Tribunalium Præsides; id est, habebat 32. jugerum millia; totum enim ejus Regnum seu Principatus complectebatur centum quadrata stadia. Hi primi Præsides habebant quadruplo majorem, quàm primarii Præfecti; id est, tria jugerum millia & ducenta. Primarii Præfecti duplo majorem quàm Doctores primæ classis; id est, 800. jugera. Doctores primæ classis duplo majorem, quàm Doctores secundæ classis; id est, 400. jugera. Doctores secundæ classis duplo majorem, quàm tertiæ; id est, 200. jugera. Tertiæ classis Doctores eumdem censum aut stipendium habebant, quàm populares viri, qui apud Magistratus aliquod leve munus gerebant, id est, 100. jugera.

Eodem modo Regulus tertiæ classis, cujus Regnum 70. stadia; & Regulus quartæ & quintæ classis, cujus Regnum 50. stadia complectebatur, proportionatam etiam cum suis Præfectis, & Præfecti inter se, terræ portionem pro suæ dignitatis censu accipiebant.

Populares viri, qui apud Magistratus leve aliquod munus gerebant, quia ad se alendos arare eis non vacabat, idcircò 100. jugerum reditus tamquam vicarium agriculturæ à se exercendæ fructum accipiebant. Sed quia fructus & messis, quæ ex 100. jugeribus colligitur, est diversa, juxta diversam & coloni diligentiam, & agri qualitatem; hæc enim v. gr. sufficiet ad alendos 7. 8. 9. homines; illa sufficiet ad alendos tantum 5. aut 6.; ideò non unum & idem erat illorum stipendium; sed juxta majus aut minus munus quod quisque gerebat, illi assignabatur diligentioris aut negligentioris agricolæ, vel melioris aut deterioris terræ jugerum fructus (A).

Secundò. Postea verò, uti & nunc, aliter sunt sancita stipendia. Sub Imperio *Han* assignatus est Præfectis certus modiorum orizæ aut frumenti numerus loco istorum terræ jugerum. Hic modiorum numerus servatâ proportione juxta cujusque dignitatis aut præfecturæ diversitatem, major aut minor determinatus fuit; maximus fuit 2000. modiorum, & aliquando 10000.; minimus 100. Deinde hujus numeri dimidia

midia pars mutata est in pecuniæ valorem sic: cui assignati erant 2000. modii, quot mensibus accipiebat 90. argenti uncias, & 70. modios; cui assignati 1000. accipiebat quot mensibus 40. argenti uncias, & 30. modios; & sic de reliquis.

Deinde assignata sunt etiam reliqua ad victum & vestitum necessaria; nimirum tot serica volumina, tot libræ cannabis crudæ, talis portio vini, orizæ, piscium, carnium, olei, candelarum, carbonum, papyri, &c.

Prætereà determinatus est numerus eorum, qui Magistratibus inservire debent, major aut minor servatâ superioris aut inferioris præfecturæ proportione; v.gr. Magistratibus primi ordinis, determinati 100. Ministri; secundi, 90.; tertii, 80. &c. Illisque assignatum stipendium.

Denique ista stipendia sive victûs, sive vestitûs, sive pecuniæ, modò pro singulis mensibus, modò pro singulis quatuor mensibus, modò pro unoquoque Vere & Autumno, modo pro unoquoque Vere & hieme assignata & affixa fuerunt (B). Hodiéque milites initio cujusque mensis sancitam sui stipendii pecuniam, & orizam accipiunt.

Hæc pauca, sat properè in libris Sinicis conquisita, sufficient ad efformandam sibi levem aliquam ideam Sinensis Ethices; roga, Lector, ut illa, acquisito cælestis perfectionis augmento, ex naturali transeat in Christianam.

Textus Librorum.

A. 1. Lib. *Su xu che kiay* tom. 22. in Libr. 2. Memcii cap. 4. *Fan cham hia* sic: Supremi in aula Imperiali, &c. Ut supra in contextu.

B. 2. Lib. *Ven hien tum kao* in tom. 65. ea, quæ dixi in contextu, percurrendo multas antiquas & modernas Imperiales Familias, diffusè enumerat.

B. 3. Vide etiam Libr. *Ta mim hoei tien* tom. 38. de stipendiis Regulorum, Procerum, Ducum militarium, & aliorum Magistratuum.

FINIS.

Errata Corrige

In primo Tractatu de Cognitione primi Entis.

Paginâ 5. lin.	23.	oblationes,	*lege*,	Parentationes.
Pag. 11. l.	28.	acceleravit,	*lege*,	accersivit.
Pag. 12. l.	23.	Memcium,	*lege*,	Memcius.
Pag. 66. l.	21.	significant,	*lege*,	significat.
Pag. 82. l.	22.	non est sensibile	*lege*,	est sensibile.
Pag. 123. l.	30.	Imperiales,	*lege*,	Imperialis.
Pag. 129. l.	33.	lignum,	*lege*,	signum.
Pag. 131. l.	23.	nempe major vitulus, &c.	*lege*,	nempe parvulus vitulus, quàm bos, seu major vitulus.
Pag. 133. l.	2.	reguntur,	*lege*,	teguntur.
Pag. 173. l.	2.	sacro,	*lege*,	[illegible]

In secundo Tractatu de Ceremoniis Sinarum erga Defunctos.

Pag. 7.	lin. penult.	Xiao,	*lege*,	Kiao.
Pag. 8. l.	18.	*Post hæc verba*: Sapientum dicunt,	*lege*,	Mortuis, sicut vivis; non existentibus, sicut existentibus, inserviendum est; & ideò dicitur:
Pag. 8. l.	42.	Alimentationis,	*lege*,	Alimoniæ.
Pag. 24. l.	20.	Xam,	*lege*,	Xun.
Pag. 43. l.	penult.	adversatur,	*lege*,	adversetur.
Pag. 52. l.	13.	longævæ,	*lege*,	longævæ vitæ.
Pag. 54. l.	9.	Kiao	*lege*,	Hio.
Pag. 54. l.	12.	Chin Kium,	*lege*,	Chim Kiun.
Pag. 61. l.	1.	endam;	*lege*,	faciendam.
Pag. 68. l.	27.	rectæ vitæ	*lege*,	rectæ viæ.
Pag. 108. l.	28.	Cheu hi,	*lege*,	Chu hi.

Pag.

Errata			*Corrige.*
Pag. 117. l.	19.	velle,	*lege*, vellet.
Pag. 138. l.	31.	exhibens,	*lege*, exhibent.
Pag. 172. l.	6.	mensæ comites,	*lege*, comites.
Pag. 173. l.	31.	Spiritui,	*lege*, Spiritu.
Pag. 185. l.	21.	fulcimen assumitto,	*lege*, fulcimento assumit.
Pag. 214. l.	24.	*Post* ferre judicium,	*lege*, Ita ille.

In tertio Tractatu de Ethica Sinensi.

Pag. 14. lin.	7.	studia,	*lege*, stadia.
Pag. 32. l.	8.	aus,	*lege*, aut.
Pag. 64. l.	16.	interior honestas,	*lege*, exterior honestas.
Pag. 64. l.	23.	militans,	*lege*, militaris.
Pag. 78. l.	19.	jam nec est,	*lege*, jam non est.
Pag. 93. l.	ult.	palsam,	*lege*, falsam.
Pag. 97. l.	1.	indulgebant,	*lege*, indulgebunt.
Pag. 106. l.	32.	barbanis,	*lege*, barbarus.
Pag. 142. l.	14.	à plebe,	*lege*, è plebe.
Pag. 145. l.	33.	interioris,	*lege*, interiores.
Pag. 162. l.	15.	diligenter,	*lege*, diligentior.
Pag. 197. l.	32.	canditatos,	*lege*, Candidatos.
Pag. 212. l.	4.	Regn	*lege*, Regni.

In Historica Notitia, &c.

Pag. 63. lin.	4.	nempe Defuncti,	*lege*, nempe Defuncto.
Pag. 71. l.	3.	extas?	*lege*, adstas?

